This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

BERKELEY
LIBRARY
UNIVERSITY OF
CALIFORNIA

J. E. B. Mayor

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PAULI VAN HEMERT

EPISTOLA

AD

DANIËLEM WYTTENBACH,

Virum Clarissimum.

Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Hesiodus.

AMSTELODAMI,

Apud J. S. van Esveldt-Holtrop,

Bibliopolam regium.

MDCCCIX.

Digitized by Google

Ut infantes, quibus nulli obtigere colluſores, contumacisſimi eſſe ſolent, ſic umbratici homines, ab omni convictu conſuetudineque civili remoti, cum nunquam vel monendo, vel castigando, ad humanitatem ſint comitatemque revocati, duros, difficiles, et prope intolerabiles ſe aliis praebent. Cumque in illâ vitâ ſolitariâ, qui plus ipſis ſapiat, videant neminem, opinionis et aſſentationis errore ſe ſolos inter mortales ſapere, ſe ſolos pulchros beatosque eſſe putant. — Talis denique eorum animis ſtupor ab obſcurâ vivendi ratione offunditur, ut, quid in quâque re verum, pulchrum, et decorum ſit, ſentire nullo modo queant. — Hoc *pedantismi* vitium tam late patet, nullus ut eruditorum ordo ſit, quem non ejus contagio levius gravius infecerit. Sed, ut verum vel invitus fatear, maxime hoc malo laborant ii, a quibus omnem decoris pulchritudinisque ſenſum, ipſam denique amabilem humanitatem exſpectaretis, propterea quod literas, quae ab humanitate nomen habent, profitentur.

DAVID RUHNKENIUS, in Oratione *de Doctore umbratico*.

Digitized by Google

B2798
H36

PAULUS HEMERTIUS

S. P. D.

DANIËLI WYTTENBACHIO.

Vixdum quatuordecim praeterlapsi erant dies a morte *Filii mei dilectissimi*, quum mihi, cum libellum tuum, qui partem constituit *Bibliothecae criticae* ultimam, a Bibliopolâ missum accepi.

Erat illo tempore animus recentissimo acerbissimoque dolore, ex tantâ tam cari Capitis amissione orto, laceratus adeo atque confectus, ut eum ad scriptionem tuam legendam intelligendamque neque erigere, neque erectum attendere, satis possem. Libri tamen prooemium, quod epistolam continet, ad *Lyndenum*, Virum nobilissimum, a te scriptam, hic illic evolvebam

A ocu-

Digitized by Google

oculisque lustrabam. E quo cum fere intelligerem, quid molireris, quamque contumelioſe mecum ageres, librum continuo de manibus poſui, efficere nolens, ut ad praeſentis et neceſſarii doloris vehementiam novus velut ultro quaeſiti doloris cumulus accederet.

Postea, interjectis aliquot menſibus, in meo ſecesſu aestivo, librum tuum, quem inspiciendum rurſus legendumque ad tempus ſepoſueram, denuo in manus ſumſi, firmataque tunc mihi legenti de te eſt opinio, quam dudum ante jam ſuscepiſſe me profiteor, te nempe eſſe hominem,

Qui captet riſus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non viſa queat:

qualem, ut noſti, HORATIUS *nigrum* eſſe *carendumque* dixit.

In iſtâ enim quâ ad *Lyndenum* epiſtolâ, duo in primis agere te video. Alterum est, ut *Kantium*, clariſſimi nominis Virum, in quem, duri et moroſi ludi-magistri more, graviter acerbeque inveheris, ceu in hominem, *acutum* quidem illum et *ingeniosum*, ſed *novitatis* tamen *et admirabilitatis captatorem; qui res referat notas, ipſum ſe praedicet, magnifica promiſſa expromat*,

mat, sibi ipse non constet nec consentaneus sit; quem novae sectae condendae gloria deceperit; qui priores et antiquos Philosophos haud cognitos, nedum pertractatos habuerit; cui omnino, ultra quam Philosophum decet, literae defuerint, ut in ipsâ Philosophiae historiâ vix supra SPINOZAE *et* CARTESII *aetatem progressus videatur; cujus opus,* CRITICA PURAE RATIONIS *inscriptum, septentrionali frigori sit congruum, et tanquam Cimmeriis tenebris et boreali glacie concretum, in quo pleraque temere ac sine demonstratione ponantur* — ut igitur *Kantium*, illiusque Philosophiae decreta et rationem tuo modo refellas, hoc est, asperioribus faceriis, Philosopho plane indignis, omnique ab humanitate alienis, acerrime perstringas, et quasi ludibrio habeas. Alterum, ut me quoque, quod, novem abhinc annis, in quâdam *Horrei critici*, quod tunc edebam, parte, arrogantiae tuae ac dicacitati quodammodo obviam ire ausus fueram, atro dente mordeas, et de me, rebusque meis, et vitâ, festive, ut soles, jocosque multa garrias, quae cum plane falsa, tum maxime etiam odiosa sunt, et quae, si veritati essent consentanea, neque *nigrae* tincta *loliginis succo*, bonis viris risum moverent, nunc vero illis omnibus bilem atque stomachum. Quod posterius cum feceris, meamque adeo famam ac

Digitized by Google

bonam existimationem in suspicionem apud credulos adduxeris, faciendum equidem puto; ut calumniam garrulitatemque tuam aliquâ ratione compescam, et ad ea, quae tibi, sive nomine expresso, sive personam nomenque *Philalethis* cujusdam ac *Critobuli* mentito, de me narrare libuit, brevi animadvertam: ne scilicet tu, *quasi prospero successu elatus et exsultans, nocere* (et quidquid in buccam venerit scribere) *pergas, sed reprehensus et coërcitus melior reddaris* (*). Interim,

Liberius si
dixero quid, si forte jocosius, hoc mihi JURIS
cum veniâ dabis:

nam, cum *Cicerone* (†), ita statuo, *qui admonent amice, docendos esse; qui inimice insectantur, repellendos.*

Quod

(*) Sciat velim Lector, haec fere superba esse *Wytenbachii* verba, p. 71, quae ipsi perhumaniter hic reddo: additâ simul grati animi significatione, quod, *ad imitationem*, ut ait, *divinae lentoque gradu procedentis vindictae*, non continuo post peccatum, sed tarde, post novem ferme annos, me punisti. Pro quo tam sancto tamque honesto beneficio, nescio equidem quam et qualem gratiam pio divinoque Viro et habere et referre debeam.

(†) De Nat. Deor. I. 3.

Digitized by Google

Quod autem non Belgice, ſed Latine, ad te ſcribere *audeam* (magnus enim et maximus hic *auſus* videri poſſit, in *homuncule*, qualis ego ſum, quem tu, tantae auctoritatis Vir! *ab hoc gradu dejectum eſſe, ſeque adeo ad Belgice ſcribendum recepiſſe* dicis (*), et cujus duas orationes, alteram auspicando muneri, alteram funebrem in obitum clariſſimi *Meerſchii*, plurimis abhinc annis (†) editas, tu nunc, ut ais, *ad earum aggregasti numerum, quibus a te cenſura deſtinatur* (§)) — quod igitur Latine ad te ſcribam, minime hoc eo a me conſilio fit, ac ſi viribus ego meis, quae ſentio quam ſint exiguae, per aemulationem quaſi et rivalitatem, tecum hac in re contendere vellem, aut certare *in hac arenâ, aliquâ ratione, me poſſe confiderem.* Sciunt namque et fatentur omnes, quotquot literarum ſunt periti, ac venuſtatis aliquem ſenſum habent, primas tibi partes deferri debere, neminemque eſſe in univerſo hoc Regno, neque in alio forſan terrarum loco, qui eâdem, quâ tu, ſuaviter eleganterque ſcribendi facultate polleat, aut de rebus quibuslibet tam varie copioſeque dis-

(*) Bibl. p. 62.
(†) Annis nempe 1790 et 1792.
(§) Bibl. p. 65.

Digitized by Google

disserere possit. Sed tamen Latine, quam Belgice ad te scribere malo; tum quod ita tuo mihi exemplo praeivisti, tum etiam quod Latina, ut de Graecis olim affirmavit *Cicero* (*), leguntur in omnibus fere gentibus, Belgica suis finibus, exiguis sane, continentur. Nec dubito, *Wyttenbachi!* qui mearum orationum censendarum cepisti consilium, quin labem etiam et contagionem seculi, et Philosophiae studii, quo maxime delector, orationis meae verborumque Latinitati forsasis adhaerentem, qua es singulari et paene incredibili humanitate, eadem illa, aliave occasione, sis indicaturus, et a sordibus, si quae, ut fore suspicor, me invito superstnt, hanc epistolam purgaturus.

Sed age! ad rem progrediamur. Quod in *Bibliothecae* tuae proœmio, illo quem significavi loco, tibi proposuisse videris, primum hoc est, ut Lectoribus tuis expositionem dares rationis atque decretorum Philosophiae, quae a *Kantio* nomen accepit, et expositioni simul reprehensionem aut confutationem adjungeres.

Ante vero quam ad hunc locum tibi perdifficilem

(*) Pro *Archiâ* Poëtâ. § 10.

Digitized by Google

lem accedas, more tuo suaviter argute que nugari incipis, ut, leviore quasi hoc cibo, lectores ad solidius aliquod et succi plenius alimenti genus praeparare velle videaris. Audisne? Vir clarissime! *nugari* te ajo. Ne tamen hoc te offendat verbum! Ipse enim, ô praeclaram animi, dicam an *verborum?* modestiam! hujus generis narratiunculas, quas tu in primis amas et in deliciis habes, *nugarum* nomine insignivisti (*). Et recte quidem: sunt enim, communi omnium, non dico puerorum, sed virorum judicio, vere *nugae*, et praeterea nihil. At tamen ejusmodi hae nugae sunt, quae Lectores, si elegantis sint ingenii, alliciant, capiant, illorumque animos grata quadam voluptate perfundant, quoniam sensum venustatis acrem limatumque hae nugae secum ferunt. Narras igitur hic copiose multa: primum de te ipso, deque Patre tuo, cui non modo τὸ ζῆν, sed et τὸ εὖ ζῆν, debere te significas; dein de amicis, quos aut mors tibi eripuit, aut temporum varietas subtraxit; tum de tuis literarum studiis, variisque hac in palaestra laboribus; porro de nostra Patria, de turbis ac contentionibus civilibus,

(*) P. 2.... *qui meis nugis tantum tribuas*..... et p. 71. *quis velit sermones de his nugis habitos conscribere?*

Digitized by Google

bus, de bello ejusdemque calamitatibus, de pace *Ambianensi*, quam, ut lepide vereque dicis, somniavimus magis quam percepimus; de aliis tandem rebus, quarum, etsi omnes aut sint in vulgus notae atque obsoletae, aut ejusmodi, ut illas scire nostra parvi interfit, tuo tamen *Lyndeno* haud ingrata fuerit narratio, mihi certe aliisque inter Lectores jucundissima. Adeo quippe in omni scriptionis genere excellis, ut vel ipsas nugas ingeniique lusus, quibus in chartas subinde conjiciendis delectaris, non tantum legere non dedignemur, verum eos etiam sedulo quaeramus, et cum voluptate lectitemus.

De laudibus itaque tuis vides nil quidquam detrahere me velle; neque detrahere unquam voluisse me profiteor. Est tamen, ut in universâ hac ad *Lyndenum* epistolâ, sic in ipsis quoque his nugis, quod reprehendendum censeam, censeantque multi, iique etiam inter amicos tuos praeclari viri. Si quid sit, quaeras; dicam ingenue. Non decet, opinor, virum, qui veterum Philosophorum de bono honesto, morumque et animi puritate, praecepta legerit, quique Philosophus ipse haberi cupiat, in re seriâ jocari, et puerorum more ludere. Non decet eum, laudis adeo appetentem gloriaeque tam esse cupidum, ut quâvis fere paginâ magnifice se ac superbe jactet, amicosque loquen-

tes

tes quasi inducat, qui ipsum laudibus in coelum tollant, supra alios omnes Viros, acutissimos etiam Philosophos, efferant, ipsiusque ad quaestiones responsa, nec non antiquatae veterisque decreta Philosophiae, tanquam Dei *Apollinis* oracula, quae fallere nesciant, admirentur. *Trahimur quidem omnes* (ut notissimo illo *Ciceronis*, pro *Archiâ*, utar,) *laudis studio, et optimus quisque gloriâ ducitur*; estque omnino ἥδιστον ἄκουσμα ὁ ἔπαινος: nec mirum: φιλεῖ γὰρ ἑαυτὸν πλεῖον ἑυδεὶς ἑυδένα. Sed tamen sapientis est ac boni viri, illud studium, ne aliquando fraudi sit exitumque habeat vitiosum, prudenter moderari, finique id graviori submittere. *Habet enim*, ut ipse, in tuis δευτέραις φροντίσι, post *Platonem*, observas, *habet unusquisque in se quasi civitatem: habet ejus varias partes; Regentem, tamquam Principem; regendas, veluti plebem et vulgus; ministras, quasi optimates et magistratus: habet rationem, motus, impetus, affectus, cupiditates. Rationis est, ceteras partes non solum perpetuo imperio continere, sed censurâ etiam tempestivâ lustrare, quâ laborantibus succurrat, deficientes suppleat, exsultantes reprimat, peccantes castiget, falsas expurget.* Tu itaque censuram in te ipsum converte, et vide, qualis sis: an forte et in te *partes ministrae Regentem* loco moverint, animoque quan-

tum tu differas ab immortali illo maximoque Viro, cujus olim ipse laudes praedicasti, *Davide Ruhnkenio*. Hic enim, quamvis censeri se in principibus literarum, verâ sui aestimatione, intelligeret, eum tamen se esse, nec prae se ferebat, nec dissimulabat (*). Te vero quod attinet, *Wyttenbachi!* aliquemne putas esse tam coecum animoque hebetem, qui tuas, ut ita dicam, *nugas*, vehat has ad *Lyndenum*, aut eas ad *Boschium*, tui meique familiarem, antiqui moris eumque eruditissimum Virum, aliasque hic illic a te sparsas, oculis percurrens, hominem non continuo videat *sui plenissimum*, qui, uti elegantiorum literarum, ita quoque Philosophiae principatum tenere se arbitratus, ceteros homines, interque eos, doctos variâque rerum scientiâ et philosophico ingenii acumine valentes Viros, altissimo supercilio despiciat, et hancce suam tetram indolem, ut veram animi morumque formam, in omni fere scriptione, tanquam in tabulâ, exprimat atque depingat? Et hic, de quo loquor, nimis acer laudis atque honoris amor, Rationis imperio postquam se semel subduxerit, quomodo, noctes diesque animum humanum gloriae sti-

(*) Sunt verba *Wyttenbachii*, in vitâ *Davidis Ruhnkenii*, p. 245.

Digitized by Google

ſtimulis concitans et quaſi pungens, eum tandem, cum ſanitate ſuâ, tum tranquillitate privare, in transverſum agere, odio erga alios acerbiſſimo replere, ac tantum non in furorem conjicere valeat, tu, in hac ipſâ ad *Lyndenum* epiſtolâ, tuo exemplo comprobaſti. Quid enim? an quemquam latere poſſe putas, te, nullâ aliâ de cauſâ, doctrinae *Kantianas* adeo vehementer inſultare, eosque qui eam profitentur tam flagranti odio perſequi, niſi quod verearis, ne tuis obſtruatur luminibus, et tua, quam jactas, Philoſophiae peritia prorſus nulla eſſe deprehendatur? Nonne palam ipſe feciſti, magno te irarum aestu atque inſatiabili vindictae cupiditate incenſum, et fere extra te raptum, animum ad ſcribendam illam *epiſtolam appuliſſe*, conturbatumque adeo hisce moribus fuiſſe, ut quid ſcriberes aut ageres, ipſe aliquando nescires, tibique adeo non valde conſentaneum te Lectoribus ostenderes? Cujus rei, ut nunc alia, posthac tangenda, praeteream, exemplo ſit, quod *Kantium*, cui *omnem literarum ſcientiam et Philoſophiae historiam defuiſſe* impudenter autumaveras, mox iterum, in alio ejusdem epistolae loco (*), ut *univerſae ſcientiâ Philoſophiae excellentem* proponas, triti illius ſer-

(*) P. 58.

ſermone proverbii immemor: *mendacem* ac calumniatorem, ni cauſâ ſuâ continuo cadere, et ab aliis derideri velit, *memorem eſſe oportere.* Laboras itaque, ut video, graviſſimo morbo, cui vel ipſe tuus *Critobulus*, *Asclepiadis* filius, quamvis peritiſſimum eum eſſe medicum perhibeant, ut omnino mederi queat, equidem ſubvereor. *Definit* enim, ut ait *Seneca*, *remedio eſſe locus*, *ubi*, *quae vitia erant*, *mores ſunt.* Estque tuus hic morbus e periculoſiſſimorum genere: cauſam enim habet quamdam mentis caliginem, oculorum caligine multo graviorem; atque inſuper producit febrim, quartanâ pejorem, et ad curandum ſimul difficiliorem eâ, quâ olim adolescentulum te laborasſe narras, et quam haud illepide *Wolfianam* appellas: fuit enim illa, ut ais, nec *vehemens* nec *diuturna*; haec vero vide quam ſit lenta, quamque maligna et pertinax, ut jam novem annos visceribus tuis atque medullis intime inhaeserit, omnemque prorſus medicinam, ab amicis tuis oblatam, contemserit. Hunc autem morbum, *Wyttenbachi!* tibi ipſe contraxisti, *nimio gloriae amori indulgendo:*

Τῷ σε Ζεὺς ἤσατο καὶ θεοὶ ἄλλοι.

Et hoc quidem vitium in alio nemine, quam in te, minus esſe ferendum arbitror, cum, quia aliorum in vitiis quam acutiſſime cernis, ipſumque adeo

Kan-

Digitized by Google

Kantium, verae modestiae ac reliquarum virtutum exemplum, propterea quod doctrinae suae *novitatem*, summo maximoque jure, fuerat professus, puerilis insimulas jactantiae, eosque, qui *Kantii* praecepta probant, velut agyrtas medicos (*), in conventiculis, circulis, stabulis, cauponis, thermopoliis, miranti atque imperito vulgo, suum lippitudinis collyrium ostentantes et venditantes, malitiose deridere, sannisque et cachinnis imperitorum tradere haudquaquam erubescis: tum etiam maxime, quia tibi, ut jactas, tam felici esse contigit, ut patrem fueris nactus, qui te puerum τὸ εὖ ζῆν, hoc est *bene vivere*, docuerit. Illud enim *bene vivere*, ut cum *Tullio* dicam (†), *nihil est aliud, nisi honeste et recte vivere*. Quo igitur *nisi in primis* et *illud* referatur, ut quo quisquam, doctrinâ itemque ingenii dotibus, praestare aliis videatur, eo quoque se gerat modestius, equidem ignorare me fateor, quid eo tandem pertinere censendum sit. Quapropter, mi *Wyttenbachi!* quod pace tuâ dixerim! vehementer equidem dubito, Patris tui, a quo *bene vi-*

(*) Bene fecisset *Wyttenbachius*, si horum hominum male sanorum nomina produxisset. De his enim, quae narrat, equidem nihil unquam audivi. Sed forte et hoc, ut alia multa, *verbi causâ*, finxit.

(†) Parad. c. 3.

Digitized by Google

que verborum, in significatione etiam rerum, a sensibus maxime abductarum, si non *semper*, at *plerumque*, accuratum et ad Latinitatis consuetudinem formamque mirifice accomodatum; ab alterâ, facere non possum, quin tuam de recentiore illâ Philosophiâ fermocinationem cum incondito imperitoque garritu comparem pistricium tabernariarum, in foris et compitis sedentium, et in sartaginibus popana coquentium! cum quarum mulierum negotio, tibi, faceto esse volenti, *categoriarum*, a *Kantio* explicitarum, sed a te minus intellectarum, negotium, honoris causâ, comparare placuit. Materiem certe libro haberem, tuam ad *Lyndenum* epistolam, paginarum numero, longe longeque superaturo, si cuncta prolixe recensere accurateque notare vellem, quibus te turpiter dedisti, et *Kantium*, novitiaeque formulae sectatores, quos vocas, a te non intellectos esse, probasti. Sed non opus esse duco, ut multis verbis utar, quibus te in maximâ rei, contra quam disputasti, ignoratione versari ostendam. Eoque minus hoc necesse videtur, si quidem plurimorum, quos in hac re commisisti, errorum praecipua pars, nuperrime (initio nempe mensis proxime praeterlapsi), a quodam Censore Belgico, harum literarum peritissimo, sedulo notata docteque reprehensa fuit. Quod nullus dubito, quin ad tuam notitiam pervenerit.

Cri-

Digitized by Google

Critobulus enim, familiaris iste tuus, itemque librorum quasi bellua, quem *novorum* proventu librorum valde delectari, novaque scripta avide captare narras —. ille igitur *Critobulus* quin de eâ Censoris anonymi scriptione te commonefecerit, mihi quidem dubium nequaquam est. Quare, ne ab unâ parte, actum omnino agere videar, neve, ab alterâ, locum hunc prorsus intactum relinquam, age! quae contra *Kantium* disputasti, brevissime, quoad ejus fieri possit, lustremus, ordinemque sequamur, non illum, quem res, si accurate tractaretur, postularet, sed eum potius, quem tui offerunt libelli paginae.

Dixi jam, duo in primis agere te voluisse: alterum, ut *Philosophiae*, quae summo maximoque jure, te licet invito, *Critica* appellatur, Lectori summam exhiberes: alterum, ut in eâ quid reprehendendum tibi videretur, brevi referres. Quae duo ita conjungere tibi placuit, ut cujusque singularis partis expositioni reprehensionem, si quam haberes, simul adjiceres.

Tradito igitur, ut *tibi* quidem videtur, praecipuo doctrinae *Kantianae* argumento, *haec*, inquis, *si recte memini, illius est summa.* Sed heus, bone Vir! pace tuâ dixerim, haud recte meministi. Nec mirum: doctrinam quippe ipsam

Digitized by Google

non recte cepisti, nedum percepisti, aut animo totam penitusque eam comprehendisti. Veterum, contra, atque recentiorum placita Philosophorum, et *Kantii* adeo δόγματα, turpiter miserque miscuisti. Quo fieri non potuit, quin, cum in proponendâ hujus Viri doctrinâ, multiplici variâque ratione fueris hallucinatus, tum vero etiam, in eâ reprehendendâ, quod vulgo ajunt, contra umbras non raro pugnaveris. Uno verbo, et tu, et sagacissimi isti Viri, *Critobulus* ac *Philalethes*, familiares tui, contra *Kantium* ita disputastis, ut mecum, inter legendum, vobis illud *Nestoris*, apud *Homerum*, saepe objicere cogerer:

Ὦ πόποι, ἦ δὴ παισὶν ἐοικότες ἀγορήσασθε νηπιάχοις.

Statim jam in initio tuae contra *Kantium* disputationis, triplicem philosophantium divisionem, in recentiorum scholis librisque tradi solitam, ac si neque historiae fidei congrueret, nec Logices legibus, alto quamvis dictatoris supercilio, sine ratione tamen ullâ, improbasti. Quae enim affers argumenta, nullius ea sunt pretii. Philosophi nimirum dividuntur in *Dogmaticos*, *Scepticos*, et *Criticos*. Quam divisionem tu, utpote *Kantianam*, *Kantio* saltem quodammodo honorificam,

tam, rejiciendam esse judicas. *Dogmaticis*, decreta quaedam statuentibus, verumque adeo cognosci posse affirmantibus, opponendos ais qui hoc negant, ut *Academicos*, ab *Arcesila* et *Carneade* profectos, similesque, et in medio quasi inter hos utrosque collocandos esse *Sceptícos*, qui nescire se, necdum invenisse fatentur. Veteribus certe hanc, quam tu sequi mavis, divisionem placuisse, res est notissima. Sed quid, quaeso, illorum nos moveat auctoritas? Non enim, ut cum *Cicerone* loquar (*), auctoritatis, sed rationis momenta quaerimus, neque illud protenus ratum habemus, quod ab aliis (sive veteres hi sint, sive recentiores,) judicatum videmus. Rogatum itaque te velim, quo tandem jure eos, qui, *cum secundae tertiaeque* Philosophis Academiae, omnino negant verum cognosci posse, *Dogmaticorum* numero eximendos censeas? Hi enim, non minus atque illi, qui, cum *Peripateticis*, *Stoicis*, atque *Epicureis*, et esse et percipi posse verum pronuntiant, *decretum aliquod statuunt*, ab illis eo tantum differentes, quod horum decretum sit *negans*, illorum *ajens*. Unde efficio, et *ajentes*, et *negantes*, diversam quamvis constituant classem et quasi formam, ad

ideni

(*) De nat. Deor. I. 5.

Digitized by Google

idem tamen *Dogmaticorum* genus referri et posse, et vero etiam debere. Nec movere me aut *Sexti Empirici*, aut aliorum quorumlibet, auctoritas potest: ipsa enim res per se satis est evidens.

Quod autem porro dicis, non *Kantium* solum, sed et *Socratem*, multosque ante eum Philosophos, et qui post illum fuerunt tantum non omnes, ad *Leibnitzium*, *Lockium*, et novissimos usque, *sibi proposuisse*, fines facultatum animi et materiae cognoscendae designare, atque inter se comparare: de eo quidem, quo usque verum sit, tecum non multum contendam. Sed quid tuam illud causam adjuvet, sane haud intelligo. Quaeri enim hic nequaquam potest, quid illi animo sibi proposuerint Philosophi, quidque praestare fuerint anniti: sed quid re verâ praestiterint. Quae duo quantum a se invicem differant, non est quod dicam. Tu etiam, in tuâ, quam adeo crepas, *Metaphysicâ*, operam (quod ipse significas (*) dedisti, ut, quoad ejus fieri posset (id est, *quoad tu quidem posses*) terminos facultatum cognoscendi et rerum cognoscen-

(*) Bibl. p. 16.

Digitized by Google

tendarum inter se comparares, eaque comparatione ostenderes, quo usque progredi liceret, et ubi esset subsistendum. Hoc igitur tibi proposuisti, et, ut faceres, operam dedisti. Credo sane, et maxime laudo. Nec tamen fecisti, aut facere potuisti. Neque etiam ante te alii aut fecerunt, aut facere potuerunt: quoniam ex tibi, et aliis, idem quotquot facere voluerint, *purae Critica rationis* defuit. Omnia quippe, hac in parte, densissimis ignorantiae tenebris sepulta atque obruta tenebantur: unde fieri nullo modo potuit, quin Philosophi, quorum quaevis fere generatio novam ferebat sectam, tamquam in illuni nocte, sine lumine errantes, saepe offenderent, saepe laberentur, saepe quovis potius, *quam quo instituerant*, pervenirent: ut eam adeo, de qua loquimur, finium designationem non ex ipsa solaque intelligentis animi natura, justaque ejusdem facultatum cum distinctione, tum aestimatione, petere, aut certo Rationis, suas ipsius vires cognitas exploratasque habentis, ductu atque auctoritate, hanc veri viam invenire potuerint: sed forte fortuna, velut experientia ducti, et huc illuc agitati, plurimorum conatuum dudum experti vanitatem, qualemcumque, si modo aliquam, finium terminorumve designationem quodammodo didicerint. Nunc ve-

ro, ut cum *Cicerone* loquar (*), *discussa est illa caligo, quam paulo ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia.*

Quae cum ita sint, tuam, hac in re, *Kantii* reprehensionem nullius esse pretii et ridiculam autumo. *Veram* quippe finium designandorum viam primus indicavit *Kantius*. *Veram* quoque illorum designationem idem perfecit, suaeque, quâ hanc viam monstravit et munivit, doctrinae, summo jure, *Criticae* cognomen imposuit. Sed et ipsum hoc nomen reprehendere te video: ut nescire me fatear, ignorantiam ego tuam magis mirer, an vero animi malevolentiam. Sic enim scribis: „ *Criticam* dixit primus *Kantius*, solitâ sibi verborum licentiâ: quum potius, a re ipsâ, *finientem*, *decernentem*, *aestimatoriam*, *circumscribentem* dicere deberet. Sed nimirum *Criticae* cognomen magis ad opinionem vulgi valebat, et tunc in primis vigebat saeculi more, ut nil magis commendaret librum, quam hoc nomen in titulo positum. Veluti antea celebrabantur nomina *philosophicus* et *pragmaticus*, neque liber placere poterat, sine alterutro, aut utroque: —

(*) Philip. XII. 11.

Digitized by Google

que: — sic tunc in istum honorem successerat nomen *Criticus*, quod libro ad vulgi studia januam aperiret." Quo garritu ecquid imperitius dici aut odiosius potest? Nam quae tandem illa est, vel esse potest, quam crepas, *verborum licentia*? Latetne illa in nomine *Criticae*? Κρίνειν igitur nonne *Graecis* proprie est *cernere*, *secernere*, *discernere*? Quo sensu et *Homerus* dixit:

κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον: (*)

ubi Scholiastes κρίνε explicat per διάκρινε, διακώλυσον; et *Hesychius* κρίναι, inquit, χωρίσαι, τάξαι, etc. Egone itaque, tantillus homunculus, tantum Virum, eumque Graece perdoctum, *quin* fere Graecum, Graeca docere debeo! Vel quodnam *illud* erit *nomen*, quod ad rem, de quâ agitur, exprimendam aptum magis accomodatumque sit?

Quo in tuam legendo doctrinae *Kantianae* expositionem ulterius progredior, eo quoque ignorantiam tuam, atque audaciam, imo vero impudentiam, magis miror. Omnia recensere infinitum esset. Sed ecce nonnulla, quae legenti cuivis, mo-

(*) Iliad. β. 362.

Digitized by Google

modo ne, recentioris imperitiâ Philosophiae, ei plane sit similis, in oculos continuo et quasi sponte incurrant.

Narras nimirum, ostendisse *Kantium*, Metaphysicae materiam esse notiones mere intelligibiles, antiquiores notionibus sensibilibus, ab experientiâ per sensus corporis in animum illatis, ab ilsque puras ac genere ipso diversas: has in animo abditas, per experientiam demum evolvi: contineri eas duodecim *categoriis*, ac duabus intuendi conditionibus, *tempore* et *spatio*: has esse notiones antiquissimas et principes, quasi *seminales conceptus intellectus puri*, et *formas cogitandi*, eisque accedere formas *temporis* et *spatii*, per quas experientia sensibiles notitias, id est, sensuum visa, *intuitiones sensibiles* dictas, suscipit et in *categoriarum* formas infert: quibus formis visa quaeque intellectus noster accommodat, exinde nova duo notionum intelligibilium genera effingens, *conceptus reflexionis* et *ideas* etc."

Haec jam, si Diis placet, summa erit *Kantianae* doctrinae, brevissime, et paucissimis quasi punctis notata! — Risum vero quis teneat vir peritus, talia legens apud hominem, qui, quâvis fere paginâ, ac quovis versu, suam ostentans sapientiam,

Digitized by Google

dam, *Kantii* quoque libros, jam dudum antea, quam ad Nostratium pervenissent notitiam, et legisse se, et accurate tractasse glorietur, quique omnes locos, quos improbaret, signo ad marginem posito, notavisse, paucasque invenisse se paginas in *Kantii* Critica jactet, in quibus hoc improbationis signum non aliquoties apponere debuerit (*)? Exstat praeclara sententia, apud *Xenophontem*, in *Oeconomico*, nihil esse aut pulcrius, aut ad usum commodius, quam ordinem; nihil, contra, aut adspectu foedius ac deformius, aut quod pluta omnibus rebus incommoda afferat, quam confusionem ac perturbationem. At vero vide quam hic omnia confusa sint, et perturbata, et *ὕστερα πρῶτα*, et erroribus permixta, a *Kantio* non tantum haudquaquam commissis, sed penitus etiam ac de industriâ ab eo profligatis!

. . . . . .

Primum enim, ô Philosophe *Veterane!* toto coelo erras, et a Viro, quem proponere voluisti, mihi crede, plane abludis, illius *purae rationis Criticam* considerando velut systema quoddam metaphysicum, *novamque* appellando *Metaphysicam*, in quâ igitur cuncta invenienda sint,

(*) Bibl. p. 30.

Digitized by Google

sint, quae in vulgaribus Metaphysicorum libris. Estque hic tuus error ejusmodi, ut nullis fere aliis argumentis mihi opus sit, quibus evincam, te doctrinae *Kantianae*, cujus summam Lectoribus tradere voluisti, omnino ignarum esse, et de mente ac praecipuo Philosophi, quem insectaris, consilio nihil quidquam animo percepisse. Quid enim? Nonne apertis ipse verbis aliquoties professus est *Kantius*, Criticam suam neque esse, neque esse posse, systema metaphysicum, sed censuram potius *Rationis purae*, notitiarumque ab ea proficiscentium; et velle se itaque inquirere, an in humani ingenii facultatem *Metaphysica* cadere possit? Et tu ipse (quae res sane valde est mirabilis) *Kantium* induxisti, hoc fere idem, iisdemque verbis, palam aperteque testantem (*): nec tamen hoc impedire potuit, quominus, ab eo licet saepe admonitus, gravissimum hunc foedissimumque errorem commiseris. *Ignoscitur*, ut tuis hic verbis utar (†), *talis error adolescentibus: aetate provectis minus ignoscitur; quo turpius his est imperitis et indoctis esse, quoque majore cum dedecore delirant.* Omnium minime, ut hoc equidem addam, tam stulte ela-

(*) Bibl. p. 20, 21.
(†) P. 13.

Digitized by Google

elato ſuperboque Viro ignoscitur, qui ſe ſupra omnes Philoſophos ſapere putet, et

πεϱὶ πάντων ἔμμεναι ἄλλων

cupiat. Viro, inquam, tam ſui pleno, reique quam tractat tam imperito, errores ejusmodi neque ignoscuntur, neque ignosci debent. — Deinde, in quo *Kantii* loco legisti, formas intellectûs conſiderandas eſſe ut notiones mere intelligibiles, in animo abditas, quae per notiones ſenſibiles enucleëntur, et per quas experientia ſenſibiles notitias, id est, ſenſuum viſa, ſive *intuitiones ſenſibiles*, ſuscipiat atque in *categoriarum* formas inferat? Inane vero! Hanccine eſſe ais doctrinam *Kantii?* Putabam ego, plane contrarium a ſummo Viro et poſitum et demonſtratum fuiſſe: nimirum, experientiam non *ſuscipere* aliquid, ſed *ſuscipi* ipſam; non *inferre*, ſed *inferri:* et nec *tempus* ac *ſpatium*, neque etiam *categorias*, ſeminales conceptus intellectûs puri, ab intuitionibus ſenſibilibus evolvi atque enucleari; ſed *ſpatium tempusque*, intuitionum ſenſibilium formas, itemque *categorias*, abſolutas eſſe *conditiones* quaſi, atque immutabilia humanae cognitionis *fundamenta.* — Porro, qualem hic Lectoribus farraginem in manus tradidisti? Omnia enim

per-

perturbata sunt ac praepostera: ut continuo in mentem veniant illa de Chao *Ovidiana*:

Quâque erat et tellus, illic et pontus et aër.

An de industriâ hic omnia miscuisti, ut Lectores falleres? an vero tam ignarus es, ut nescias, conceptus, quos tu vocas, *reflexionis*, cum illis conceptibus, quos *Kantius* vocat *ideas*, nihil quidquam habere commune, et neque illos, neque hos etiam, e *categoriis* effingi, aut ad formas cognitionis humanae referri posse? Satis utique manifestum est, te (ut metaphorâ utar, quam ipse adhibuisti (*)) dolium *criticae* Philosophiae, quod cum *Pandorae* dolio componere tibi placuit, interius haudquaquam inspexisse, sed operculum, vix leviter raptimque, et ne vix quidem, sublatum, continuo ei rursus impositisse: ut adeo, quaenam dolio proprie insit, quamque praestans materia, tu, *Wyttenbachi!* cum ignarissimis penitus ignores.

Quod quo magis appareat, age, illa breviter lustremus, quae ad reprehensionem doctrinae, male a te propositae, proferre ausus sis.

Ac

(*) P. 26.

Ac primo quidem reprehendis *Kantium*, quod ſibi in animum induxerit, finium exhibere deſignationem accuratam, ac veluti circulo centroque circumscriptam, nondum a quoquam Philoſophorum confectam. *Kantium* quidem, ſi ſibi constare et conſentaneus eſſe voluiſſet, ne vel conari eam finium deſignationem debuiſſe autumas. Pro quo dictatorio edicto, quas affers, rationes ejusmodi ſunt, ut vix oculis ipſe meis credam, cum ne ipſam quidem vocabulorum, quae reprehendis, vim a te intellectam eſſe pateat. Quippe tam verum est, quod a Veteribus velut in proverbio dicitur (*): ἡ ἀμαθία μὲν θρασεῖς, ὀκνηροὺς δὲ τὸ λελογισμένον ἀπεργάζεται. Qui enim cognitionem humanam, nec modo ſenſibilem *ejus* partem, *ſed et intelligibilem*, a ſcientiâ et veritate ad opinionem ac ſpeciem traduxit, ſeu, ut nunc loquuntur, ex *objectivâ ſubjectivam* fecit, qui et ipſe homo, et ad eandem naturae conditionem, ad quam caeteri omnes homines, adſtrictus ſit, eum dicis, cum *ſubjectivâ* ſuâ cognitione, fines *veros*, quos vocant *objectivos*, cognoscere haudquaquam poſſe. Sed rogatum te velim, ô Philoſophe *veterane!* un-

(*) Vid. *Lucianus*, in *Nigrino*. T. I. Ed. *Hemſterh.* p. 38.

Digitized by Google

unde tibi constiterit, fines *veros Kantio* eosdem dici haberique cum illis, quos nunc vulgo *objectivos* appellant. Quod si Philosophi scripta, eo quo par est studio curâque, legisses, animumque ad ea recte intelligenda sedulo diligenterque attendisses, in hunc certe errorem incidere non potuisses. Qui enim veros humanae cognitionis fines se nobis designaturum profitetur, is profecto, nisi quid sibi velit, ipse plane ignoret, *subjectivos*, quos vocant, fines, eosque solos, intelligat necesse est: ut de *objectivis* finibus ne vel cogitasse censeri possit. De his quippe nulla esse potest aut cogitatio, aut quaestio, simul ac perspectum exploratumque sit, cognitionem nostram, quod et te ipsum concedere video, non nisi *opinabilem* esse posse, intelligentiaeque cujusvis hominis imperviam omnino esse scientiam, quid tandem qualesve res sint, extra nostrum concipiendi modum, nostrasque intuendi formas positae. Ipse *finium*, sive *terminorum*, conceptus, ipsumque hoc vocabulum, conceptum *subjectivitatis*, quam vocas, aperte involvit: ut se ipse non intelligere inepteque garrire putandus sit is, qui veros fines, eosque *objectivos*, cognitionis humanae tecum designari posse putet, aut designaturum se eos profiteatur. Illi enim fines, de quibus hic loquimur, *subjectivi*, quid, quaeso, aliud sunt, quam ipsae *conditiones*, a qui-

quibus nostra prorsus pendeat cognitio, quibus ea ceu fundamentis innitatur, et sine quibus nulla in animis nostris cognitio aut existere, aut esse, ullâ ratione queat? Quapropter, mi *Veterane!* et hic denuo te turpiter dedisti, et non contra *Kantium*, sed contra umbras, a te ipso effictas, sive aegrae mentis somnia, dimicasti. Eo namque ipso, quod *Kantius* cognitionem nostram statuit esse *opinabilem*, et ab intellectûs *categoriis*, sensibilisque intuitionis formis plane dependentem, ita ut sensuum visa percipiamus, non qualia re ipsâ sint, sed qualia in illis formis formata videantur: eo igitur ipso asserere et potuit et debuit, cognitionis humanae fines definiri designarique posse. Quod ipsum, utriusque *hujus generis formis*, ex *interiore hominis naturâ* erutis, et a se *invicem critice* secretis atque disjunctis, a *Kantio* feliciter accurateque confectum esse, confidenter affirmo.

Quae porro, in ejusdem argumenti continuatione addidisti, nihil aliud probant, nisi hoc unum: garrire te superbe atque magnifice de re, quam plane non intelligis. Et sane piget jam fere taedetque, plura afferre ignorantiae tuae exempla. At paulisper tamen id faciam, non quidem copiose, sed breviter, et quasi strictim: ut quanta

in

in te sit ignorantia et simul impudentia, orbis literatus cognoscat.

Et hoc igitur in *Kantio* reprehendis, quod se tribunal instituisse professus sit, quo, secundum ipsius Rationis aeternas et immutabiles leges, causa Rationis judicaretur, jus vindicaretur, fines constituerentur. Tum Philosopho, pro more tuo, insultans, haec adjicis: „Quae tandem illa est Ratio? Scilicet humana, opinabilis, *subjectiva*. Hujus itaque *leges* sunt *aeternae* et *immutabiles!* Ita quidem de divinâ Ratione loquuntur alii Philosophi; et fas est ita loqui: non de humanâ; nedum de hac infra humanae integritatis modum a *Kantio* redacta." Sed dic mihi, Philosophe *veterane*, qui te, ante hos jam tres et viginti annos (*), *Kantium* legisse, relegisse, praecipuos illius interpretes tibi prospexisse, eosque in consilium adhibuisse gloriaris, dic igitur, quonam in libro haec legeris, quae Lectori narras. Indica mihi locum, in quo absurdissimum hoc *Kantii* decretum inveneris: ipse enim, qui etiam plurimis abhinc annis hujus Philosophi praecipuorumque illius interpretum scripta legi ac relegi, nihil in eis ejusmodi quod dicis, sed pla-

(*) P. 53.

Digitized by Google

plane contrarium, inveni. Verum, ne Lectorem diutius detineam, dicam simpliciter, omnia hic iterum a te perturbata esse atque commixta. Confundis nimirum Rationem, quam *theoreticam*, cum eâ, quam *practicam* vocant, et utriusque diversam vim, diversumque usum. Ignoras, id quod vel pueris, haec Philosophiae studia vix adeuntibus, ut ita dicam, in limine jam sit cognitum, Rationem videlicet, cui a *Kantio* leges tribuuntur *aeternae* atque *immutabiles*, non eam esse, quam *theoreticam* vocant, de quâ hic solâ agitur, sed *practicam*; et, quamvis utraque pars ad *eandem* pertineat Rationem, *theoreticae* tamen, quid *verum* sit inquirentis, alium esse usum, itemque alias leges, ac *practicae*, quid *honestum* sit videntis, idque praecipientis. Haec omnia, a *Kantio* dilucide copioseque exposita, et ab ejus interpretibus centies centiesque repetita, a te turpiter confunduntur:

πᾶν ἐν παντὶ μέμικται.

Porro, ad commendandam veterem Metaphysicam, imperiosa quaedam edicta profers: in quibus et hoc est, quod facere non possum quin Lectori exhibeam; est enim exquisitum, ingenioque tuo perdignum. Tua ipsius verba

dabo (*): „ Omnes autem Philosophi in eo consentiebant, ut Metaphysicam scientiâ principiorum elementorumque cognitionis humanae definirent; ut, quemadmodum Philosophia omnium caeterarum scientiarum, sic Metaphysica totius Philosophiae semina ac fundamenta contineret. Atque hac ubertatis auctoritatisque existimatione adhuc florebat, licet pleraeque ejus partes firmitate evidentiâque scientiae carerent." Metaphysica igitur, quamvis *pleraeque ejus partes firmitate atque evidentiâ scientiae careant*, tamen et est, et esse ac manere debet, totius quasi mater Philosophiae, et haec rursus caeterarum scientiarum! Ita enim, alio in loco (†), *Philalethem* tuum inducis: „ Lectâ illâ *purae rationis Criticâ*, judicavi, melius esse, retinere veterem nostram, sive impuram sive mixtam quis vocet, Metaphysicam, et secundam illam rerum ubertate, et ratione summopere probabilem, quam novam illam adoptare, pro *criticâ* et *purâ* se venditantem, non valentem ad veteres possessiones tuendas, nedum ad novas acquirendas." Quod si esset, ut *tu* dicis, communem humanae cognitionis sortem quis satis miserari posset? Quae enim

(*) P. 37.
(†) P. 53.

enim esse potest *probabilitas* scientiae, cujus *pleraeque paries firmitate careant atque evidentiâ*; et quales esse debent *possessiones*, ejusmodi fundamentis innixae? Cave tamen putes, me eum esse, qui aut te, aut *Philalethem* tuum, aut *Critobulum*, a veteri vestrâ Metaphysicâ avellere cuperet. Habeatis vobis, et serveris, et tueamini hunc vestrum thesaurum: modo finatis, me meosque meliores firmioresque rationes sequi: quippe in nobis *non tanta est perversitas, ut, inventis frugibus, glande vescamur* (*).

Deinde pergis ad *Kantii* de *categoriis* praeceptum, tamquam absurdum sibique ipsum repugnans, acriter facetèque perstringendum. Et repugnantiarum quidem, quas in eo invenisse tibi videris, quasdam ordine recenses. Prima, eaque praecipua, est: „ illas a *Kantio categorias* sic informari, ut proprium *Metaphysicae* officium, quod in *vid à priori* positum est, evertant: eas enim ante sensibilium visorum adventum in animo jam esse, nec tamen cogitari, sed per illa demum excitari." Hoc autem intelligi a te posse affirmas, in *Platonis* opinione de reminiscentia no-

(*) Sunt verba *Ciceronis*. Orat. ad Brut. IX. 31.

Digitized by Google

notionum, ex priore vitâ ſervatarum; n *Leibnitzii* Harmoniâ praestabilitâ; in aliis denique aliorum Philoſophorum opinionibus: in istis vero *Kantii categoriis* intelligi a te non poſſe. Quod posterius quin verum ſit, equidem nullus dubito. Totum quippe hoc *categoriarum* negotium haudquaquam a te intellectum eſſe, ex iis, quae dixisti, manifesto jam apparuit, idemque denuo hic apparet, cum ex ipſâ hac crudâ jejunâque reprehenſione, tum vero etiam ex illis, quae, ut ſcilicet *rebus obſcuris, ex rebus obviis et vitâ communi, dilucide et Socratice lumen afferres* (*), per ludum quaſi jocumque adjicere tibi placuit. Ne enim ea hic repetam, quae de *Metaphyſices* et *Criticae Kantianae* confuſione a me jam ſunt dicta, et ne ostendam, illis *Platonis* notionibus, ex priore vitâ ſervatis, cum his *Kantii categoriis*, ſive *formis cogitandi*, nihil prorſus eſſe commune, rogatum te unice velim, ecqua in eo poſita eſſe repugnantia poſſit, ſi quis *categorias*, hoc est, *cogitandi formas*, ante ſenſibilium viſorum adventum, in animo jam eſſe, nec tamen cogitari, ſed per illa demum excitari, ſtatuat. Vel an et hoc tibi abſurdum eſſe ſibique ipſum repugnare videtur, formam vi-

(*) P. 39.

videndi audiendive in fabricâ nostrorum oculorum vel aurium latere, antea quam, idoneâ affluente luminis aërisve copiâ, visa atque audita hisce sensibus percipiamus? Nulla profecto in hac doctrinae *Kantianae* parte ostendi repugnantia potest, modo ne quis eas sibi *categorias* animo ita effingat, ut tu fecisti, quatuor categoriarum ordines cum totidem comparans ordinibus ternarum cellarum, super quos iterum positae sint duae cellae *spatii* ac *temporis*, per quas materia viforum ab experientiâ extrinsecus recipiatur, et in illas duodecim cellas influat, earumque figuram accipiat. Quae omnia, tibi quamvis, sive *Philalethi*, ut tu dicis, *perspicua* videantur ac *probabilia*, a mente tamen *Kantii* omnino aliena, et non hujus Philosophi, sed *Wyttenbachiani* potius ingenii ἐπιγεννήματα esse, a quo

velut aegri somnia, vanae
fingantur species,

eis omnibus notum est, qui *Kantium* ita legerint, ut ejus mentem simul perceperint. Quod igitur de *commento categoriarum*, nec non de *illarum inanitate*, deque *receptaculis vacuis*, *antea quam experientia quid in ea infuderit*, effutiisti, crassâ illud pinguique Minervâ a te fictum, certoque simul argumento est, te ne vel

prima rei, quam impugnas, elementa cognita habere. Idem dici debet de negotio *pistricium tabernariarum*, *quae*, *in foris et compitis sedentes*, *popana coquunt in sartaginibus* etc. Talia ignorantiae atque impudentiae prodigia in libris hominum tui generis invenienti difficile est, satyram non scribere. Sed ejus blanditiis atque illecebris meam equidem impediri nolo disputandi severitatem. Itaque verbo tantum dicam, *experientiam*, si quidem a *categoriis* ea prorsus pendet, ut sine eis ne vel cogitari ullâ ratione queat; perverse stulteque a te comparari cum *pistrice*, quae *cyatho spatii ac temporis*, ex cratere rerum sensibilium, corporeas notitias *hauriat*, in singula duodecim *categoriarum* receptacula *infundat*, *coquat*, *animoque apponat*. — Dein, et hoc male reprehendis, istas *Kantii categorias* non justum habere ortum, numerumque duodenarium iis temere, ut *necessarium*, affingi. In quâ accusatione probanda, tibi consentaneus manssisti, omnia nimirum denuo miscens ac perturbans. Ita *categorias*, exempli causâ, (neque enim omnia, quae huc pertinent, recensere lubet) confundis cum aliis animi notionibus principibus, velut *conscientiâ sui*, principio *repugnantiae*, *vero falsoque*, *bono et malo*, *pulcro ac turpi*, aliisque, quibuscum *categoriae* nihil habent commune; et tandem, ad

tem

tempus atque *spatium* transgressus, ac si ea haec *formae* ad *categorias* pertinere aliquâ ratione praesent, tanquam de *Kantio* triumphans, fulce exclamas: *Jam ipsa categoria spatii quam misere conformata est!* indicio, te prorsus nescire, et quid *Kantius* per *categorias* intelligat, et quo fundamento earum distributio quadripartita nitatur, et quid differant a *formis intuitionum sensibilium*. Uno verbo, totum hoc de *categoriis* caput, et quod de *principiis naturae* addidisti, ita a te tractatum est, ut non possem, a quoquam, rerum perito, legi posse, quin sibi decantatum illud *Horatii* in mentem vocet:

Humano capiti cervicem pictor equinam
jungere si velit, etc.
Spectatum admissi risum teneatis, Amici?

Caeterum, aegre ferre videris, *Rationem puram*, secundum *Kantium*, ultra fines experientiae, ad ea, quae sensibus corporis attingi nequeant, progredi haudquaquam posse; et proinde gravissimorum dogmatum, Divinae Naturae ac Providentiae, libertatis atque immortalitatis animorum nostrorum, probationem, *non purae Rationis*, *sive Metaphysicae*, sed *practicae Rationis esse argumentum*. Ita certe statuit *Kantius*. Et recte quidem: ut norunt omnes, quotquot illius

vim doctrinae, illustremque, qui est de *antinomiis*, locum satis perceperam. Tu igitur, si quid hac in re efficere voluisses, universum illum locum, omnesque ejus partes, confutare singillatim debuisses, et dein dilucide ostendere, patere revera Rationi humanae aditum ad illas Dei, immortalitatis, ac libertatis notiones earumque demonstrationes, atque omnino nihili esse ea omnia, quibus a *Kanio* effectum est, demonstrationes a Philosophis adhuc, et inventas, et effictas, nihil prorsus probare, et in utramque partem valere, nec magis evinci iis posse, illa dogmata vera quam falsa esse. Hoc sane si fecisses, virum te praestitisses: veroque id Philosopho fuisset dignius, quam, quod nunc facis, quae centies dicta et centies refutata sunt, repetere; *Kanii* doctrinam cum *Epicuri*, Deos verbis relinquentis, re tollentis, impietate componere; atque odiosis quibusdam imperiosisque edictis reprehensioni tuae quid idiotas auctoritatem conciliare. Ut enim tua hic tibi verba reddam (*): *Pueris et plebi istae species ostententur; sapientiae studiosi argumentis et rationibus doceantur.*

Sa-

(*) P. 59.

Satis me dixisse opinor, ut appareat, quanto jure, cum propter ignorantiam tuam, tum propter rarum quoque animi impudentiam, non a laudato tantum Censore illo Belgico, verum ab aliis etiam viris, Philosophiae criticae peritis, rerumque aequis judicibus, tam scriptis quam sermonibus, vehementer vapulaveris, et vapulare adhuc pergas. Dictis equidem multo plura addere possem: sed ad hominem, tam ignarum, tam sui plenum, tamque impudentem, pluribus hac de re scribere nolo. Facile insuper esset ostendere, in enarrandis *Kantianorum* praeceptorum satis, quam longe, sive ignorantiâ hoc iterum factum sit, sive consilio, de viâ veri deflexeris: velut, cum (ut hoc unum exemplum proferam) Lectori narras, eam, quam, *invitâ criticae* doctrinae universâ indole atque naturâ, *novam* appellas, *Metaphysicam*, apud *Germanos*, jam *duodeviginti annos* fuisse natam, et vetulam effoetamque habitam, quum illam ego apud Nostrates producerem, et *Belgice*, ut dicis, *crepare* cogerem; dein, filias eam habuisse grandiusculas, et matris et invicem non modo aemulas, sed et expultrices; dominasque jam et intactam in *Germaniâ* jacere decrepitam matrem, licet a quibusdam Nostratum furiose amatam. Quae omnia quam sint falsa, fugere neminem potest, nisi qui in recentioris historiae Philoso-

phiae hospes plane ac peregrinus sit. Ipse enim, ut hoc tantum dicam, superiore jam saeculo, anni sexti et nonagesimi initio, primam meorum *Philosophiae Kantianae elementorum* partem Belgice in lucem exire jussi; postquam, duobus annis ante, ut eram discendi cupidus, mihique diffidens, dubia quaedam, contra hanc Philosophiam, modeste atque ἀνωνύμως, in publicum emiseram, illud mecum Poëtae reputans:

εἰς τὸ κοινὸν δοὺς, ἄμεινον ὢν μάθοις.

Quod si verum est, ut est verissimum, dic mihi, sodes, quâ tandem ratione tuos *duodeviginti* efficias annos. Magnifice stulteque jactas (*), *te tuam, et in literis, et in Philosophiâ, tibi dudum Criticam et habere, et servare.* Addere potuisses, (id quod verius fuisset) „ te tuam tibi quoque habere *Arithmeticam:*" neque enim ea vulgaris est, aut unquam vulgarem fore suspicor. — Praeterea, haud ignoras, anno quamvis primo et octogesimo *Critica* jam prodierit *Kantii*, non intellectam tamen eam, prorsusque adeo neglectam, aliquot jacuisse annos: donec tandem, post labores Virorum quorum-

(*) P. 57.

rumdam acutissimorum, quos inter SCHULZII *Illustrationes* itemque REINHOLDII *Epistolas* nominasse sufficiat, anno demum quinto et octogesimo, produci ac celebrari coeperit. Sed difficile non esse puto perspicere, quo et hoc tuum, de *duodeviginti* annis, mendacium spectet. Homini enim tam *sui pleno* nec *verum* cordi est, nec *bonum*, quod *honestum* dicimus. – Dein, quis, quaeso, iste est, qui tibi persuaserit, *novam*, quam tu vocas, *Metaphysicam* apud *Germanos* nunc obsolescere, et rem esse non modo veterem, sed antiquatam? Talia apud te legens, totamque tuam adversus *Kantium* disputationem ante oculos mihi ponens, in quamdam fere ἀπορίαν conjici me sentio, et tandem cum Comico facere vix possum quin exclamem: *o Jupiter! tantamne esse in homine garrula insciitiam!* Germanorum, si melius doceri velis, evolve Ephemerides, et tuis ipse oculis vide, nos, ut denuo *Tullii* adhibeam verba (*), *non desertarum ralsatarumque rerum patrocinium suscipere, neque hominum imperitis sententias quoque occidere.* — Quod tandem ad *filios* attinet *grandiusculos*; matris ea et invicem *aemulas* quandoque fuisse, fateor: matris vero *expul-*

tri-

(*) De Nat. Deor. I. 5.

trices, omnino inficior. Sed nolo hac de re, quam aliis in ſcriptis, *Belgice* editis, tractavi, tecum hic contendere; praefertim, cum ad *Kantianorum* praeceptorum aut veritatem, aut vero etiam falſitatem, nihil quidquam facere videatur.

Quapropter, *Wyttenbachi!* ſi cupidus es gloriae, (et quis de hac tuâ cupiditate dubitet, qui vel ſcripta legerit, vel mores tuos cognoverit?) alia tibi quaeras ornamenta, famaeque tuae et celebritati praeſidia. Ut enim, quae in me adhibuisti verba (*), mutato nomine, in te convertam: KANTIUM *petiisti*, *non vero feriisti*, *neque attigisti*. *Nil mirum: quippe ab invalido jaculatore misſa tela usque ad eum*, ejusve veram doctrinam, *pervenire non potuerunt:*"

κωφὸν γὰρ βέλος ἀνδρὸς ἀνάλκιδος οὐτιδανοῖο:

uti namque in literis regnas, atque ἐν προμάχοις jure ſummo cenſeris, ita in recentiore Philoſophiâ plane ἀνάλκις es καὶ οὐτιδανὸς. Literas tractantem omnes te ſuspiciunt, qui aliquem pulcri habent venustique ſenſum; doctrinamque hi tuam

(*) P. 59.

tuam et egregiam admirantur orationis facultatem: at philosophari volentem, et de *criticae* rationibus Philosophiae disceptantem, vide quam te cuncti, harum rerum gnari, rideant ludantque. Ipse tuus *Lyndenus* (si modo Vir ille, in quodam tecum colloquio, ea, vel similia, vere dixerit, quae ipsi tribuis) nonne te aperte lusit, dicam an reprehendit? *In Metaphysicâ constituendâ*, inquit (*), (et recte quidem,) *ut in aliis disciplinis, non id spectandum est, ut secunda sit, sed ut vera: et, si nulla omnino sit, nec esse possit, ut hoc ipsum, nullam esse, nec esse posse, nobis perspectum exploratumque fiat.* Haec autem res cuicuimodi sit, tu, si sapis, *Wyttenbachi!* in tuo Literarum Regno maneas; Graeca ac Latina tractes; quae editurum promisisti scripta perficias, eisque stili limaeque curam nec deneges; suaviter, ut facis, de re quâlibet, etiam maxime vulgari et quotidianâ, nugeris: sed a nostrâ Philosophiâ illotis manibus abstineas; neque amicos audias adulatores, qui te forsan appellitantes *Philosophum*, vel reportatam, si Diis placet! de *Kantio* victoriam tibi gratulantes, in Philosophiae nostrae campos exspatiari te aliquando jubeant. Ipsae illae, quas profiteris, literae, tuus-

(*) P. 55.

Digitized by Google

tumsque cum earum professione conjunctus Honos, hanc a te animi moderationem exigere quasi atque efflagitare videntur. Quid enim? Cupis certe non Latine modo, verum etiam *bene* scribere: et profecto utrumque hoc nos homuncüli a tali tantoque Viro exspectamus. Atqui *hanc* ipse *bene scribendi* doces vim esse (*): „*ut argumentum, de quo scribimus, accurate cognitum perspectumque nobis sit.*" Quo etiam sensu verum est, quod dixit (†) *Cicero*, *neminem in eo disertum esse posse, quod nesciat*, et, alio in loco (§), *eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum esse sapientiam.* Abstineas igitur a scribendo de rebus ejusmodi, quas haudquaquam intelligis, nedum perspectas habes: ne et elegantiorum Literarum amantes, et Philosophi tibi succenseant, iterumque te plorare jubeant!

Et est sane tuum illud regnum tam vastum, tamque amplum, ac late patens, ut quantumvis docto tibi satis superfit, in quo ingenii vires exerceas, et ad majorem doctrinae perfectionem adscendas. Nam, si singulas Literarum partes per-

(*) In vita *Ruhnkenii*. p. 227.
(†) De Orat. I. 14.
(§) Ad M. *Brutum*. 21. 70.

Digitized by Google

percipere magnum est, quanto majus ὄπιον? Cujus rei tantae tamque difficilis facultatem te consecutum esse ne ipse quidem, ut opinor, profiteri audebis: secutum esse, jure quodam prae te ferre poteris. Sumamus, exempli causâ, poësin et rerum scientiam metricarum. Hanc profecto, ut dicam quod sentio, si *aliquam*, valde vulgarem habes, et maxime mediocrem: id quod in homine tui ordinis, et qui sibi adeo sapere videatur, inque scriptores quoslibet, Poëtas etiam veteres, crisin exercere gestiat, turpissimum duco. Ex hac enim tuae mediocritate scientiae duplex oritur vitiorum genus, quod in scriptis tuis regnare video. Alterum est, ut, invito metro, voculas vel addas, vel demas, vel

quod prius ordine verbum est,
posterius facias, praeponens ultima primis:

alterum, ut quamvis non obesae naris in odorandis vitiis, tamen in emendandis Poëtis miserum saepe in modum halucineris. Quod ne temere aut ex invidiâ dixisse censear, tria afferam exempla, eaque non aliunde, sed ex ipsâ hac postremâ tuae *Bibliothecae* Parte depromta. Primum ex illud *Horatii*, cujus verba:

capsâ porrectus apertâ:

tu

tu perverſe dediſti (*):

capſaque porrectus aperta:

quod, cum propter ſenſum, tum in primis propter metri rationem, ferri non poſſe, continuo apparet. Alterum *Propertii* est, cujus verba:

quaeſitum nomen ab aevo:

tu hoc modo mutilasti (†):

nomen quaeſitum ab aevo:

quod, propter metri violationem, teretes cujusvis aures offendere, non est quod moneam. Tertium est ex Anthologiâ Planudeâ, ubi tu, pro eo, quod legitur:

καὶ πᾶσα πρᾶξις τὸν λόγον ἔργον ἔχει·

legendum proponis (§):

καὶ πᾶσα πρᾶξις, ἢ λόγον ἔργον ἔχει·

nescius adeo, ſyllabam ξις, ſuâ naturâ brevem, vix

(*) Bibl. l. l. p. 23.
(†) P. 50.
(§) P. 9.

Digitized by Google

vix ac ne vix quidem pro longâ adhiberi posse: id quod cum rari et rarissimi res exempli sit, tibi refugium praestare nequit. Et haec quidem ignorantia, in illis quae attuli locis conspicua, excusari in te nullâ ratione potest, nec tegi etiam illo, quem olim callide arripuisti (*), obtentu, videlicet, *licere nobis, quod Antiquis licuit, Poëtarum versus ad scriptionis nostrae consilium immutare:* quibus verbis tunc, loco gratiae, Amico cuidam tuo, qui te comiter docteque monuerat, habendae, haec tam acerba atque magnifica adjiciebas: *dictum Censoribus, quibus nisi versus ad syllabam annumerantur, notam continuo injiciunt, et insciti am arguunt, ipsi insciti antiquitatis!* — Vides igitur, quantos etiam tu, in hac, ut ita dicam, Literarum parte, progressus facere possis. Hoc itaque cum maxime agas, et recentiorem Philosophiam, quam non intelligis, et cujus inquisitionem *ingratum* ipse *laborem* vocasti (†), missam facias: ne in te aliquando dicatur, quod, mutatis quibusdam verbis, in me scribere non es veritus (§): *Et*

(*) In vitâ *Ruhnkenii*, et quidem in Scholiis, p. 284.

(†) Bibl. p. 25.

(§) P. 68.

Digitized by Google

Et vult WYTTENBACHIUS *se Philosophum facere et Poëtarum censorem, confutandis* KANTII *praeceptis ac rationibus, emendandisque veterum Poëtarum dictis ac versibus, et vult se facetum facere, conformando dialogo! Quae ornamenta in homine aliena, vel graculum varium, vel saltantem auritulum, ex fabulâ nobis referunt.* — *Satin'* et haec *tibi* fortiter, *Wyttenbachi?* Sin minus; fortiora dabo, et quae magis te pungant:

Δάμνει σε — μῦθος, ἀλλ' ἔχ' ἡσυχος,
Τοὐνθένδ' ἀκούσας, ὡς ἂν οἰμώξῃς πλέον (*)

Age igitur, (neque enim properare me atque avere diffiteor) ad illum libri locum veniamus, propter quem unum, si vera loqui velles, reliquam omnem epistolae scriptionem, tuamque in primis *Kantianorum* praeceptorum reprehensionem, susceptam a te adornatamque fuisse fatendum esset, et qui me quoque ad hanc qualemcunque scribendam epistolam cum maxime impulit,

ἐμόν γε μᾶλλ' ἐσεμάσσατο θυμόν.

(*) Verba sunt *Euripidis*, in *Hippolyto*. V. 1313.

Digitized by Google

Illam tui partem libelli intelligo, quâ de me, meoque vitae genere ac cursu, nonnulla in chartas conjecisti, quae, uti suprà jam indicavi (*), maximam partem cum plane sunt falsa, tum vero etiam valde odiosa.

Quae de me narrasti vera, sunt eu fane perpauca, neque vel haec omnino aut tam vera, quin aliquid eis falsi admixtum sit. Ex vero nimirum scripsisti, me adolescentulum scholas tuas *metaphysicas*, quas in hac Urbe privatim domi tuae habebas, audiisse. Quod vero continuo addis, anno hoc factum esse *primo*, postquam cathedram apud *Remonstrantes* conscenderas, mendacium illud est, sive, ut mitiore et quasi *leniore* utar vocabulo; (viden', ut tuam, quâ gloriaris (†); *lenitatem* imitari annitar!) error: erat enim annus, non *primus*, sed *tertius*. Verum porro est, me *Leidae* (verius tamen *Ultrajecti*) Theologiam didicisse: deinde ruri sacerdotium concionale factitasse: adversus *Gisbertum Bonnetium* (ipso hoc a me postulante) scripsisse: abdicato sacerdotio, *Amstelodamum* venisse: apud *Remonstrantes* cathedram obtinuisse: duas

(*) P. 3.
(†) Bibl. p. 13.

Digitized by Google

duas habuisse atque edidisse orationes: aliquot annis post, abdicatâ cathedrâ, in *Westphaliam* habitatum abiisse: inde reducem, *Kantii* praecepta, (non, ut tu narras, *quasi post festum venditare ac divulgare coepisse*, sed) quae jam ANTE meum in *Westphaliam* decessum, ibique ruri degens, ore scriptisque illustrare et commendare fueram conatus, magis ulteriusque divulgasse. Sunt haec igitur FERE, ut ais. Et talia scilicet Lectores tuos curare putas! Curant, inquies, amici. Credo equidem, et beatum te praedico, amicos posidentem, quos tuus iste garritus ita delectat, ut saturari eo vix posse videantur, nec cessent te urgere, atque clamare: „ *age, age, nisi dignum nostrâ cognitione, modo aliquid, vel indignum, narres* (*). Non multo aliter infantes nostri ac pueruli cum nutricibus suis ancillisve balbutire solent, easque vexare, et, ut ita dicam, cogere, ut lallent, historiasque enarrent, *nisi veras, modo aliquas, vel et falsas.* Nec fere dubito, quin hi pueri, amici nempe familiaresque tui, ad te puerum quoque (†), puerorumque magistrum, eadem adhibue-

(*) P. 64.

(†) Ne miretur Lector, me *Virum* clarissimum, *Wytenbachium*, nec non ejus familiares, *Agrotae* atque *As-*

buerint verba. Quae si forte vera sit suspicio, eccur ista amicorum verba non plene dedisti? Puduitne te eorum? Puduisset potius, falsa scribere, ut facere te video.

Quae de me scripsisti, falsa duplicis sunt generis. Alia nimirum sunt ejusmodi, ut non adeo famae nocere videantur, sed ad ea potius referenda sint, quae *Graecis* ἀδιάφορα dicuntur: alia vero turpitudinis infamiaeque notam mihi inurunt, bonâque adeo existimatione, quâ nihil homini carius esse debet, omnino me spoliant.

Ad prius genus sequentia refero: *me contra* BONNETIUM, *pro libertate cogitandi, sic scripsisse, quasi pro aris ac focis decertarem: me*, praeter alios, etiam WYNPERSSIUM, senem, Coelitibus jam adscriptum, nec non MUNTINGHIUM, *ac si hi de lumine Kantiano non satis honorifice ac reverenter fuissent locuti, pro-*

Asclepiadis filios, *puerorum* nomine salutare, sciat velim, doctrinam *Kantianam*, judice *Wyttenbachio*, Bibl. p. 55, *duas* nobis (nec plures igitur, nec pauciores?) attulisse *utilitates*, quarum alteram W. hanc esse autumat, ut nobis sententiam confirmaverit, *homines semper esse pueros!*

Digitized by Google

produxisse et reprehendisse: porro, *Horreum* meum *criticum exstabuisse*, *legentiumque numerum identidem fuisse minutum:* tandem, ne plura conquiram, *me tuas quoque scholas Graecas*, quas (quippe tam liberalis es animo!) *gratis* habebas, *adolescentulum audivisse*.

Haec et similia, si vera essent, meam, opinor, famam non admodum lacerarent, a te quamvis laedendi famamque lacerandi consilio excogitata, et homine calumniatore perdigna. At vide, quam haec omnia sint falsa! Contra *Bonnetium*, non meâ sponte, sed ipso hoc a me exigente, scripsi; non, ut tu ais, *pro libertate cogitandi*, verum *pro auctoritate Rationis*, *in causâ Religionis*. Multis demum annis post, *pro cogitandi libertate*, sive potius, *pro jure officioque liberae rerum divinarum inquisitionis*, ad *Teylerianae* Societatis Praefectos diserui, causamque adeo cum divinae religionis, tum verae libertatis egi. — *Wynpersium*, Patrem, (de Filio enim hic nihil attinet dicere) *Wynpersium* igitur Patrem, *Nestora* illum, sapientiae plenum, *cujus e linguâ melle dulcior fluebat oratio*, aeque minus ac *Muntinghium*, in scenam ego produxi, ac si lumen hi Viri *Kantianum* non satis suspicerent. Et hunc, contra,

et

Digitized by Google

et illum, in honore semper summo habui, ac meam erga utrumque virum sinceram animi veneration*em* verbis plus semel palam feci. Fuit, fateor, estque adhuc, cum *Hermanno Muntinghio*, praeclaro Theologo optimoque Viro, quaedam mihi, sed amica, dissensio. Verum haec, cum non ad *Philosophiam*, sed *Mythologiam*, quam vocant *biblicam*, spectet, equidem non video, quid cum praeceptis *Kantianis* commune habere queat. — *Tpejum*, Virum clarissimum, a te inter alios huc advocatum, quum leviter fuisset halucinatus, humaniter, tribusque, quod ajunt, verbis monui, laudavique magis quam vituperavi; ut locum inspicienti apparet. — Quod porro ad ea attinet, quae de *Horreo critico* libentius quam verius evomuisti; percontare, si tanti sit, Bibliopolam meum, an, ut tu ais, *liber extabuerit*: et *in ruborem*, veluti Comicus loquitur, *te totum dabit* (*). Caeterum, scholas tuas *Graecas*, quas ecce! *gratis* habuisti, equidem audivi nunquam. Arrigis aures, *Wyttenbachi*? Mira me narrare clamas? Vera tamen. Inspice, si quos forte servasti, tuarum istius temporis scholarum indices, quibus nomina sua inscribere solent, qui se auditores discipulosque pro-

(*) *Capteiv.* V. 11.

profitentur; et quovis pignore contendere ausim, te meum in illis nomen nunquam inventurum. Cur has tuas scholas neglexerim, si scire aveas, audi. Neminem quippe adolescentulus habebam, qui meorum cursum studiorum prudenter regeret; maleque adeo, ut solent pueri, idoneo duce carentes, stultus ego a Philosophiâ literisque orientalibus ducebam initium: donec, biennio post, *Leidam* delatus, in Virum incidi, omnium, quotquot sunt eruditorum, etiam tuo, nedum meo, praeconio longe majorem, *Ludovicum Casparum Valckenarium*, qui me, quâ erat humanitate, comiter monuit, inque rectam viam duxit, et cujus scholas *Graecas*, per quatuor annos, summâ cum utilitate verâque animi voluptate et jucunditate audivi. Scholarum igitur *Graecarum* ratione, tuus neque *auditor* unquam fui, nec *discipulus*: summi vero *Valckenarii*, te, quamvis homine doctissimo, cum variâ doctrinae eruditionisque copiâ, tum animi in primis indole, majoris multo praestantiorisque, et *auditor*, et, si mihi fas sit eloqui, quod Vir incomparabilis suâ ipse manu testatus est, *discipulus* non omnino improbabilis: ut adeo, ab hoc Viro haud prorsus repudiatus, improbari me a te aliisque tui similibus facile patiar.

πάρ' ἐμοιγε καὶ ἄλλοι,
οἵ κέ με τιμήσουσι.

Age

Age, jam ad illud genus mendaciorum pergamus, quo me ut hominem *omnium ineptissimum* traducere, et dein ut *despicatissimum* in odium cunctorum bonorum adducere nisus es.

Dignus utique forem, quem riderent omnes, si vel dimidia eorum pars esset vera, quae mihi scriptisque meis hic a te tribui video. *Fanaticum*, exempli causâ, *ingenium* prodidisse me asseris, quoniam *me, a Kantio ignoratum, nedum rogatum, illi tamen, meâ sponte, defensorem obtrusi: e Westphaliâ reducem, Kantiano afflatu instinctum, doctrinam, in Germaniâ tunc jam labentem, sed mihi Nostratibusque novam, quasi post festum venditare coepisse: fanatici instar vatis, vociferantem:* „ magnus „ extitit *Kantius* Propheta, et ego hujus inter „ Batavos exorior hypopheta etc.:" *peritis risum, imperitis admirationem excitasse*: in utrâque, quam habui Latinâ oratione, *inconditum quid et subagreste clamasse, quasi ad surdos rusticos dicerem*: utriusque etiam orationis *Latinitatem a scriptore cujusdam ephemeridis Belgicae fuisse reprehensam, meque*, per hunc hominem (ah me miserum! prope enim abfuit, quin crura dorsumque in isthoc casu fregerim!) *ab hoc gradu dejectum, postea ad Belgice scribendum me recepisse*: porro, *dialogum meum*

Digitized by Google

(eum videlicet ipsum, qui, novem abhinc annis a me conscriptus, meoque *Horreo* insertus, tibi, per totum illud tempus, in hunc usque diem, bilem adeo movit!) *inscitum esse et puerile commentariolum, ut arrogantiae atque ignorantiae, ita ruris et inficetiarum plenum: Quae ibi Graeca Latinaque citavi loca, e Polyantheâ* LANGII, ERASMI *Adagiis, Lexico poëtico, similibusque libris, petita esse posse:* (POSSE, inquam: hic enim verba tua prudenter cauteque circumscribis (*), quoniam *Lyndenum*, Virum, ut audio, te multo humaniorem, non vero *Critobulum* istum, aut *Philalethem* (ficta nomina) loquentem hic inducis.) *in Philosophiâ denique non nisi Kantiana me tenere, eaque quasi catechumenum oracula resonare: alios, priores et veteres, adeo non legisse, ut historiam quoque Philosophiae ignorare videar.* Quae omnia ejusmodi sunt, ut nullâ re magis, quam contemtu ac silentio

(*) *Doli non doli sunt, nisi astu colas,*
Sed malum maxumum, si id palam provenit."
Ita *Plautus.* Idemque sentit *Wyttenbachius.* Dolos astu colens, ne scilicet *Lyndenum* in augustias adducat, prudenter et callide in fine adjicit: *neque tamen ex hoc genere Scriptorem Horrei critici esse dico.* Hoc demum est, si quid aliud, *palam atque aperte loqui!*

Digitized by Google

dio refutari posse putem: hominem quippe notant irâ et vindictae cupidine flagrantem, animique tam humilis atque abjecti, ut nihil non comminisci vereatur, quo me exagitare injuriisque provocare possit atrocissimis.

ὑψαγόρη, μέγος ἄρχετε, ποῖον ἔειπες,
ἡμέας ἀισχύναν;

In illis autem, quae effundere tibi libuit, mendaciis, sunt quaedam alia, quae me ut hominem depingunt, e vilissimorum et pessimorum genere. Haec igitur, cum meam animi voluntatem propius spectent, equidem sicco pede transire nec volo, nec debeo. De horum itaque momentis praecipuis facere non possum quin hic singillatim dicam.

Primum, quod me valde urit, justâque animum indignatione complet, hoc est, quod perhibere ausis, *me Senem nostrum*, MEERSCHIUM, *dulci defunctum obsequio*, *hujusque* adeo *commendatione cathedram apud Remonstrantes obtinuisse.*

Itane vero, *Wyttenbachi!* Et haec mea tam vilis humilisque adulatio tibi innotuit? Sed scire ex te pervelim, quomodo ad tuam notitiam res per-

pervenerit? Auribusne fortasse ipse tuis audisti? Atqui *semel* tantum, antea quam, a te relicta, cathedra mihi fuit delata, *Meerschium* salutatum adii; neque tamen tu aderas: et postea, cum me Senex ille domi meae resalutatum convenit, praesentem nec te, nec alium quemdam tui similem vidi. Fando igitur rem accepisti? Fieri potest. Sed ecquis iste est, qui narraverit? Cedo hominis nomen: nam, quem inducis, *Philalethes*, quis sit, ignorat populus, coram quo me accusare non erubuisti.

Unde petitum
hoc in me jacis? Est auctor quis denique eorum,
vixi cum quibus? —

Profer, sodes, vel unum, eumque idoneum certumque testem, qui me adulationis coarguat atque convincat. Nondum enim eo processisse te arrogantiae ac temeritatis spero, ut tuâ te doctrinâ licentiam acquisivisse putes, animo quidquid tuo sit collibitum, impune effutiendi, omniaque, quae in buccam veniant, sive vera illa sint, sive falsa maximeque injuriosa, modo comptâ hoc sit politâque Latinitate, impudenter petulanterque evomendi. Hoc sane si laboris aut esset, aut esse posset, literati praemium, mallem equidem, mallentque mecum omnes boni, universam homi-

minum multitudinem idiotas esse, rerumque cunctarum plane rudes, et in dicendo non tantum (qualem me depingis) *subagrestes*, sed etiam, cum in dicendo, tam in scribendo, *agrestes*, meque ipso agrestiores, tamque hispidos, ut quidquid pinguium est literarum, in culinâ potius quam in scholis, didicisse viderentur. Tu igitur (ut ad id, quod instituì, revertar), nisi forte isti hominum generi adnumerandus sis, quod jura sibi nata aperte neget, profer hominem, qui me accuset, suamque probando accusationem, virum se praestet. Nihil enim adulationis vitio a meâ naturâ alienum magis disjunctumque esse profiteor. Sciunt hoc omnes, quibuscum vivo; sciunt cives ac populares; sciunt amici, quos habeo *non paucos*; sciunt hostes tandem atque *inimici*, quos habeo plures, et quos longe equidem pauciores haberem, si veritatis ingenuitatisque minus amans, erga potentes magis obsequiosus, artisque adulatoriae peritior essem. Quapropter, ut hominem tuum, qui me convincat, in medium proferas, etiam atque etiam rogo, meoque jure a te postulo. Et haec quin aequissima sit petitio, nemo unus est, qui dubitet. Ne tu quidem ipse *Wyttenbachi!* dubitare potes: tua namque, aeque ac mea, res agitur: neque enim velle potes, mihi aliisque esse integrum, in quemlibet quodlibet effundere, et te, exempli

cau-

Digitized by Google

cauſâ, ut homicidam, vel qui patriam auro vendiderit, aut virgines ſtupraverit, aut fana depeculatus fuerit, aut aliud quodpiam facinus horrendum patraverit, ore ſcriptisque divulgare. Verum, ut dixi, velle hoc nequis; cum propter propriae exiſtimationis amorem, tum quoque propterea quod, uti gloriaris,

inſuevit Pater optimus hoc te,
exemplis fugeres vitiorum quaeque notando!

Quare, *Wyttenbachi!* niſi probabilem adulationis meae testem producas,

σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι:

habeo te, et habebo, donec fecoris, *hominem calumniatorem*, rabido cane angueque venenato pejorem: quo homine nescio quid eſſe poſſit in hac humanae ſocietate vitae turpius, quid odioſius, quid detestabilius. Quamquam enim nullum est vitium, nullumque omnino crimen, quin bonis viris et eſſe debeat, et ſit etiam, odioſum atque inviſum: *falſitas* tamen, quae *mendacium* habet *calumniamque* comitem, praecipue alienat ab iis, in quibus habitat, aliorum animos, omniumque ſibi bonorum odia merito conflat. Quis enim eum, quem ſuspicetur, nedum certo noverit, eſſe

Digitized by Google

esse *calumniatorem*, aditu, congressione, sermoneve dignum judicet? quin eum, quasi maleficum aliquod et noxium animal, refugiat, averfetur, odio habeat, concursumque ejus sibi dirum, tetrum, ominosumque putet! Hoc autem ego tam gravi tamque detestabili crimine te, *Wyttenbachi!* hic palam accuso, nisi me adulatorii erga *Meerschium* obsequii coargueris atque conviceris. Caeterum, faxit Deus, ut tuus ab hoc vitio animus tam immunis purusque sit, quam meum esse prae me fero, et ut ea adeo, quae in utriusque *Wynpersii*, itemque *Hennertii*, *Rossynii*, *Swindeni*, *Nieuhoffii*, aliorumque clarorum Virorum laudem scripsisti (*), non ad captandam quorumdam benevolentiam, sed ex sinceri animi sententiâ profluxerint. Quâ de re tamen dubitare intelligo haud paucos, quibus indolem moresque tuos a longo inde tempore inspicere datum est. Ajunt enim hi, phaleratis te verbis, si nimirum utilitatem tibi aliquam afferre videatur, homines ducere solere: tantamque in te esse animi perversitatem, ut eosdem viros modo laudes, modo vituperes rideasque. Quam asfertionem rationibus spectatu non indignis confirmant. Sed haec *in praesentiâ* hactenus.

Est

(*) Bibl. p. 63.

Digitized by Google

Est vero et aliud, quod praeterire me non posse arbitror, illud puta, quod his verbis significasti: *porro inique ferens suam virtutem non satis agnosci, neque se novae luci spargendae in Batavas Academias acciri, eas* NYCTOPOLIN *et* SCOTOPOLIN *appellitare; indignari eas non ita beatas esse, ut a se tam pulcro et lucido sole illustrentur.*

Duo itaque in te suscepisti probanda. Alterum est, me Batavas Academias istis insigniisse nominibus: alterum, me inique ferre indignarique, aut saltem tulisse quondam indignatumque fuisse, novae luci, *Kantianae* nempe doctrinae, spargendae, in eas me Academias non fuisse accitum.

Batavas certe Academias, atque in eis *Leidensem* praecipue, in quâ clarissima fulgent lumina, stellaeque splendent primae magnitudinis, et quam tu ipse, qui te in Philosophiâ *veteranum* dicis, veteris *tuae* Philosophiae Sole, quo nullus alius esse potest aut *pulcrior*, aut *lucidior*, quoad ejus fieri potest, collustras — hanc igitur Academiam, in quâ *Veterani Novitiis*, *Kantiana* castra sequentibus, aliisque *Neologis*, successu, ut novimus, haud dubio! bellum inferunt, verborum his jactationem excutiunt, novorum praecep-

Digitized by Google

ceptorum inanitatem commonſtrant, veterem doctrinam acriter defendunt, novam, ceu *rem ineptam*, rident atque exagitant — hanc ejusmodi Academiam *Nuctopolin*, vel et *Scotopolin*, appellare velle, cum *Phaopolis* potius dicenda foret, ecquis est, mi *Wyttenbachi!* quin tecum ſcelus habeat atque flagitium, nullo expiandum piaculo? Sed age, proba, ſi placet, me eum eſſe, qui tale facinus committere fuerit auſus. *Asclepiadis Agrotaeque* Filii, ſtudiorum communione et amicitiae vetuſtate tecum conjuncti, operam tibi ſuam, ſi forte deſideres, pro virili praeſtabunt. Verum, mihi crede, neque tibi, neque adjutoribus istis, res ex voto cedet.

Fac vero, probari hoc a te tuisque poſſe (id quod fieri nunquam poterit), eo tamen nondum effeceris, aegre me ferre indignarique, quod nulla me unquam Academia acciverit. Hoc enim alterum est, quod pervelim probes: ſiquidem et hanc criminationem, priore illâ multo graviorem, mihi objicere non vereris. Ita ſane me Deus amet! ne vel in ſomno, de re, quam narras, in totâ vitâ cogitavi unquam. Cathedram ipſe meam, quae nil ejusmodi prenſanti delata fuerat, ſponte meâ, quamquàm non ſine gravibus cauſis, abdicavi. Illius amor ſi me tenuiſſet, eam utique ſponte non abdicaſſem. Vel an

Digitized by Google

hanc putas meae rondum vanitati ſuffeciſſe, aliamque me idcirco, eamque ſplendidiorem, in Batavis Academiis circumſpexiſſe? Quid tu, *Wyttenbachi!* de me credas vel ſtatuas, mea certe parvi interest: hoc vero novi, noruntque omnes, quorum conſuetudine utor, ab indole meâ atque naturâ nihil magis eſſe alienum. Rerum quippe omnium vanitatem, earum quoque, quae ad cathedras pertinent Academicas, jam dudum perſpectam exploratamque habeo; ut, hac etiam in re, fere, cum *Agamemnone* Rege, apud *Euripidem* (*), dicam:

τὸ φιλότιμον
γλυκὺ μὲν, λυπεῖ δὲ προσιζάμενον.

Et quis praeterea non videt, ſi in Batavas Academias acciri cupiviſſem, aliam mihi viam, ab eâ, quam elegi, quamque lubens adhuc ſequor, longe diverſiſſimam, ineundam fuiſſe? Quid enim Vir ille, quem tu ipſe laudas, *Bonnetius*, ſi ego intra veteres manſiſſem Theologiae formulas, et extra cancellos illarum egreſſus nunquam fuiſſem — quid igitur Vir ille tum praeſtitiſſet, aut praestare potuiſſet, ſcire equidem haud poſſum: at quid mihi ſaepe ſignificaverit, omnique aſſeve-

(*) Iphig. in Aul. Vers. 21. 22.

Digitized by Google

veratione affirmaverit, probe ſcio, ſciuntque mecum multi, quibus idem Vir ille clarus ostenderat. Sed nolo de re pluribus ſcribere, quam ex aliis te intelligere malim, et quam niſi me acerbisſime exagitasſes, profecto nunquam memorasſem. Caeterum, interroga, ſi tibi tanti ſit, omnes, quibus familiariter utor, aut uſus olim ſum, putentne, aliquâ ratione in me cadere posſe, quod tu mihi, ſine ullâ ratione, tribuere non erubescis. Testor, ut alios praetermittam, *Boſſchium*, Academiae *Leidenſis* Curatorem, familiarem tuum, itemque meum, quocum, ut de multis aliis, ita etiam de cathedrâ tuae Civitatis, caeterarumque in Patriâ noſtrâ Academiarum, plus ſemel, ut ſolent amici, libenter ſuaviterque confabulatus fui. Noſti Virum, qualis ſit, ſpectataeque eum et fidei et probitatis eſſe, inter omnes conſtat. Dicat ergo hic, quoties apertis ipſi verbis ſignificaverim, in gregariis militibus manere, quam ordines me ducere malle: tantum me mihi non ſumere, tantum quoque eruditionis, doctrinae, ingenii que acuminis haudquaquam posſidere, quantum in Viro requiri videatur, qui non dicam Iuventutem doceat atque erudiat Academicam, verum etiam, quod longe majus praestantiusque est, locum ſuum coram τοῖς ἔξω dignisſime tueatur: miſereri me tandem istorum homunculorum, quales novi plures, quos ſola ca-

thedra, non qui cathedram ornant, curtam possidentes supellectilem, Philosophiam cum Theologiâ aliisque disciplinis miscentes, et *concionale*, ut tuâ utar dictione, *sacerdotium factitando*, quam Academiae, in quâ stipendia merent, gloriae aliquo modo tuendae aptiores. Haec et similia tibi *Bosschius* noster se ex ore meo saepe audisse dicat. Tantum profecto abest, ut in Academias me non acciri aegre tulerim, ut, contra, si ejusmodi quid oblatum unquam fuisset, nullâ id ratione accepisserm. Verum, ne longus sim, ad alia transeo.

Inique fers, *me publice te reprehendisse.* Disciplinae, inquis, necessitudo satis valere debebat, ut ne publice id facerem. Hujus equidem rationis vim non capio: eo minus, quoniam me *auditorem* tuum, non vero *discipulum* dicere *audes.* Quae enim illa esse potest *necessitudo disciplinae*, si nihil quidquam a te didicerim, atque adeo *auditor* tuus, non eo, quo veteres (*) hac voce utebantur, sed *tuo* planeque *singulari* sensu, fuerim? Sed, etiamsi me non *au-*

(*) Exempli causa, CICERO, *de finibus.* V. 19. „ Qui, cum in hac ipsâ Philosophiâ — excelleret, *Theophrastique* esset auditor," etc.

Digitized by Google

auditorem tantum, verum etiam *discipulum* tuum dicere *auderes*, et reverâ aliquid a te didicissem, cur mihi reprehensione dignum reprehendere te non licuisset. modo verecunde illud facerem? Vel an alios reprehendere, praeter te ipsum, nemini licere putas, tuâve doctrinae magnitudine atque oratoris Latinae elegantia supra omnem cujusque censoris reprehensionem positum te evectumque esse censes?

Πάντων μὲν κρατεῖν ἤθελες, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν, πᾶσι δὲ σημαίνειν. ἄτιν' οὐ πίσεσθαι οἴω.

Palam et perverse, ut tibi ostensum est, de *Kantii* doctrinâ, quam neque intellexeras, neque adhuc intelligis, judicaveras, dignumque ita te reddideras, qui palam quoque reprehendereris. Hoc ego feci, nec fecisse me poenitet, si quidem reverenter id humaniterque me fecisse, inter omnes constat. Nam quod *subindicas* (*), (aperte enim loqui non audes) me maledictis te petiisse, tuaeque insultasse patientiae, plane id falsum est, itemque illud, quamvis lepidum (†): *me*, *ut Kantianum*, *gratuitam benevolentiam projecisse*, *in-*

(*) P. 71.
(†) P. 60.

Digitized by Google

ingratam erga te malevolentiam exercuisse. Quod posterius, utut tuam unice, tuive *Critobuli*, malevolentiam probet, mihi tamen illud *Tullii*, de *Siculis*, quodammodo in mentem vocat (*): *nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant.*

Lectores autem eos, qui tibi fidem habent, quoniam eis meum denuo evolvendi libellum copia deëst, graviter fefellisti, atque id quidem *dupliciter.* Primo namque de me narrasti, quae *vera non esse* unusquisque, modo ne oculorum laboret caligine, videre potest: dein, hoc facere ausus es, posteaquam, solemni quasi oratione, religiose promiseras, in omnibus *Bibliothecae* tuae partibus, inque omnibus judiciis sententiisque, te unam esse culturum veritatem, eamque sanctam atque inviolatam servaturum.

Age, *Wyttenbachi!* audias velim tua ipsius verba. Operae enim pretium duco, ea hic describere, quo magis tibi aliisque appareat et in oculos quasi incurrat, quam tibi sis consentaneus, quamque justus et aequus! In censurâ nimirum *Velleji Paterculi Ruhnkeniani*, postquam dixeras,

(*) In *Verrem.* L. IV. § 43.

Digitized by Google

ras, minimam ſive in laudando, ſive in reprehendendo, negligentiam, quamvis in aliis forte hominibus ignoscendam, minime tamen ferendam in iis eſſe, qui ſe de libris ad eruditam civitatem relaturos profeſſi ſunt, ita pergis (*): „Nos hunc ſcrupulum ipſi nobis antea exemimus, quam ad cenſuras ſcribendas accederemus, ſtatuentes nobis hanc legem, ut in omnibus judiciis ſententiisque nostris unam veritatem coleremus, eamque ſanctam inviolatamque ſervaremus, et in neutram partem ab eâ discederemus. Cui quidem legi et hucusque paruimus, et in posterum parebimus, et nunc quoque eam, quocumque nos ducat, ſequemur."

De hujus quidem legis bonitate aequitateque nemo unus dubitat. Sed converte jam iterum, ô Cenſor! cenſuram in te ipſum, et vide, an in omnibus tuis judiciis ac ſententiis, de me, de *Horreo* meo univerſe, de illo in primis dialogo, in quo te reprehendi, legi, quae a te ipſo ſtatuta eſt, ſetis feceris. Ais? Proba igitur, vel *minimam* eorum, quae de me narrasti, partem veritati eſſe conſentaneam, et, ne nunc alia requiram, profer exempla, quibus pateat, me maledictis te, in

(*) Biblioth. Vol. I. P. IV. p. 45.

Digitized by Google

in *Horreo* meo, lacerasse, patientiae tuae insultavisse, dicteria in te evomuisse, ingratam erga te malevolentiam exercuisse. Reprehendi te, fateor: et reprehendere pergam, si quae falsa sunt, quae odiosa, quae reprehensione digna, in chartas conjicere pergas,

εἰ κ' ἔτι σ' ἀφεάινοντα κιχήσομαι, ὥς νύ περ ὧδε:

sed tamen ita te reprehendi, ut me simul magnum in suo genere Virum, variâque doctrinâ praecellentem, venerari ostenderem, meaque adeo reprehensio maximam, quin et quorumdam judicio *nimiam*, laudationem secum haberet conjunctam: atque etiam in posterum, si opus esse videbitur, te reprehendam, ut *tuae* tandem ipse parere legi discas, neque ab officii religione tam longe declinare pergas: id, quod in homine censore, qui de libris ad eruditam civitatem refert, minime ferendum esse, equidem tecum arbitror.

Fallaciae igitur, et *duplicis* quidem, ut vides, ego te hic palam reum ago: cum quod de me meâque scriptione narrasti, quae plane falsa sunt; tum quoque, quod fidem expresse datam violasti. Neque enim tantam menti tuae offusam esse caliginem, tantamve animo inesse pervicaciam existimo, ut in mei censurâ libelli *tuae* te legi obediis-

Digitized by Google

diisse, justique censoris munus implevisse, gloriari audeas.

Interim, pro more tuo, lepide egisti, cum me eo damnasti crimine, quo ipse reus es, ne scilicet aliis in crimine esse viderere. Tu enim, cujus ad *Lyndenum* epistolam obtrectationis, et odii, et malevolentiae plenam ac plenissimam esse, omnes uno quasi ore clamant, haec eadem cuncta mihi vitia exprobrasti! Bella profecto esset ironia, si jocaremur: cum vero asseveramus, vide quam vilis sit, quamque odiosa! Quapropter etiam,

λιγύς πες ἐὼν ἀγορητὴς,

unanimi omnium bonorum suffragio damnaris. Et si vel ea vitia commisisse (quae falso mihi a te tribui unicuique apparet), longe tamen aliâ ratione me reprehendere, bonoque mihi exemplo praeire debuisses. Quâ in re auctoritate nitor *Ciceronis*, cujus haec sunt verba (*): „ qui sibi hoc sumsit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si quâ in re ab religione officii declinârit? Postulatur ab omnibus, ut ab iis se abstineant maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderint. Omnia, quae vin-

(*) In *Verrem.* L. III. § 2.

Digitized by Google

vindicaris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. Etenim non modo accuſator, ſed ne objurgator quidem ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſe deprehenditur." Estque praeterea, ut idem ille dixit (*), proprium ſtultitiae, aliorum vitia cernere, oblivisci ſuorum.

Caeterum, ſi res ita ſe habet, ut vere doctus et literatus, niſi vir bonus, nemo eſſe poſſit: quod tu ipſe quondam eleganter diſſeruisti (†): tam certum mihi est, quam quod certisſimum, tuae etiam doctrinae, magna quamvis illa ſit longeque excellens, multum tamen adhuc plurimumque deëſſe; teque adeo, cum verum, honestum, elegans, ac venustum communi contineatur vinculo, ad illum magnitudinis venustatisque ſenſum huc usque nondum adscendiſſe, quo literati, niſi qui ſimul boni ſint animoque puri, incenſos ſe inflammatosque ſentire plane non poſſunt. Etenim, mihi crede, *Wyttenbachi!* quamquam tibi ipſe bonus eſſe videris (§), te tamen minime tam

(*) Tusc. disp. III. 30.

(†) In vitâ *Ruhnkenii*. p. 241. ſeq.

(§) Tribuit ſibi *Wyttenbachius*, Bibl. p. 6, τὸ εὖ ποιεῖν, aeque ac τὸ εὖ πάσχειν, gloriaturque *ſe recte factis laetari, ſecus factis dolere.* Et in Epistolâ ad *Boſchium*,

Vol.

Digitized by Google

tam bonum esse, quam omnes te boni mallent, et antea factis tuis moribusque, et nunc denuo, tuâ ad *Lyndenum* epistolâ, omnibus intelligentibus palam fecisti. Verum quid referam hic, quae ante a te facta sunt? vereor enim, ne Lectoris patientiâ abuti viderer. Non loquar igitur de injuriâ, quam fecisti *Luzacio*, Collegae olim tuo, Viro ad omnem, cum doctrinae, tum in primis etiam humanitatis vim mirifice exculto, quem horribilis illa *Leidae* clades proh dolor! e vivis eripuit: non loquar de isthoc detestabili odio, quo Virum persecutus es, quem propter singularem animi candorem, nec non multiplicem rerum maxime Graecarum cognitionem, optimi quique doctissimique venerabantur: non loquar de tuo, quo laboras, partium studio, neque de istâ, quam erga praeclaros quosdam hujus Viri auditores, aliosque eximios doctrinâque excellentes Viros subinde manifestas, malevolentiâ: quae tamen om-

---

Vol. III P. III. p. 19, haec legimus: „ Huc accedebat, quod tu bonus homo eras, et me item esse haud dubitares: dicerem, *et ego item bonus eram*, nisi de se ipso haec professio speciem levitatis habere putaretur: magnum enim quoddam hoc est, *bonum hominem esse*, et vere dicitur, χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι: ab aliis tributam sibi hanc laudem accipere licet. — Certe amicitia, nisi inter bonos, esse nequit.

Digitized by Google

omnia digna esse videntur, quae, aliis in exemplum, quo hi a tuis istiusmodi vitiis cavere discant, ad communem omnium perducantur notitiam, et datâ opportunitate publicae exponantur luci. Sed non est profecto, cur e *praeterito* tempore argumenta conquiram: cum *praesens* eorum abunde offert, illataque mihi a te injuria satis superque docet, quam longe multumque ab illâ absis animi bonitate, quâ nihil his in terris, nihil in ipsis coelis, potest esse praestantius, nihil pulcrius, nihil amabilius, et sine quâ neque perfectus venustatis sensus in aliquo existere, neque vere doctus literatusque esse quisquam potest. Si enim verum est, (ut est verissimum) quod canit *Juvenalis* (*):

minuti
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas

ultio; sique a *Senecâ* (†) recte dictum est, *muliebris esse ac puerilis animi, ut exulcerata et aegra corpora, ad tactus gemere levissimos:* quam *minuto*, et *infirmo*, et *exiguo*, et *muliebri*, et *puerili* tu igitur sis animo oportet, qui, propter aliquam, eamque humanitatis plenam, re-

pre-

(*) L. v. Sat. 13.
(†) De irâ. L. I. c. 16.

Digitized by Google

prehenſionem, perinde ac ſi haec injuria eſſet ex atrocisſimarum genere, vehementer ſtomachatus, et, χαλεπῶς ὀργὰς μεταβάλλων, novem fere annos ultionem meditatus vilisſimam, acerrimo tandem vindictae ſtudio, quo totus flagras, turpisſimum in modum, id est, mendaciis, obtrectationibus, calumniisque undique conquiſitis, obtemperare, et quantum fieri potest, ſatisfacere gestis!

Hanccine igitur literarum, quas *humaniores* vocant, vim, hunccine fructum eſſe dicemus, ut, in iis etiam aetatibus, quae jam ſunt confirmatae, quin in ipſâ ſenectute, hominem eis literis imbutum, reddant ſui plenum, malevolum, ſuperbum, imperioſum, inſolentem, maledicum, *iracundum*, *injurioſum*, maleficum, *infatiabili* tandem *vindictae cupiditate* aestuantem? Vel an exiguo potius te illorum numero eximemus, qui literarum vim prope divinam, earumque majestatem fere incredibilem, recte perceperint? Non enim omnibus hoc lumen literatis apparet. Quid ergo? nam alterutrum eligamus neceſſe est. Te certe quam literas accuſare praestat: ne ipſam veluti Rationem accuſare videamur, eaque, ut veri est justique amans, tamquam *Achilli Homerica Pallas*, nobis manum injiciat. Tu itaque, *Wyttenbachi!* vir quamvis magnâ ſis doctrinâ atque acri praeditus venustatis ſenſu, vim tamen li-

literarum omnem, earumque propriam ac nativam praestantiam, et ad hominum animos vitiorum faece sordibusque expurgandos efficaciam, recte nondum percepisti: et, cum, in universâ rerum naturâ, illâ, quâ tu cares, bonitate, verae virtutis fonte, nihil sit pulcrius, nihil elegantius, aut venustius, omnem adeo pulcritudinis ambitum, universamque venustatis naturam animo nondum tuo comprehendisti. Uno verbo, nondum *vere* doctus ac literatus es; et, quamvis elegantis vir ingenii, pulcrique bonus existimator, elegantiarum tamen ac pulcritudinis sensu haud tam acri tamque perfecto polles, quin cum universe, tum in eis etiam, quas profitere, elegantioribus literis multum plurimumque proficere possis. Imo vero praecipuam pulcritudinis partem nondum attigisti. Quomodo enim is, qui humili abjectâque mente, sui plenus, injuriosus, et calumniator est, ipsam illam, quae bono honesto inest, venustatem ac pulcritudinem animo ceperit, nedum perceperit? Ad illum igitur nondum perrexisti altitudinis divinitatisque sensum, quo doctus nemo literatusque, nisi qui simul vere bonus sit, afflari et calere queat. Quapropter, *Wyttenbachi!* antea quam ad plures abeas, hoc age, ut nunc denuo *a me reprehensus ac quasi coërcitus*, *melior reddaris*, et ut adhibitâ medicinâ, gravissimi, quibus tuus laborat animus, morbi curentur. Hic enim, ut jam in-

inter Veteres a quibusdam perſpectum monitumque fuit, Philoſophiae Literarumque finis eſt praecipuus. Ad virtutem nimirum ſolam humanitatemque, et ad eas actiones, quae virtuti ſunt conſentaneae, omnis, judice *Tullio*, honos, omne ſtudium, omnis admiratio debet referri: ut qui, propter animi voluptatem, colenda maxime eſſe ſtudia dicant, hi profecto ipſi non intelligant, quid hac in re maximum ſummumque ſit. Non adeo igitur quid *expediat*, ſed quid *rectum ſit*, delibera. Illud enim, ut idem ille *Tullius* dixit (*), ſaepe incertum eſt; hoc ſemper appareret: ita tamen, ut, ſi nos ii ſumus, qui eſſe debemus, id eſt, ſtudio digni et literis noſtris, dubitare non poſſimus, quin ea maxime conducant, quae ſunt rectiſſima.

At vero manum de tabulâ tollendi tempus eſſe videtur. Paratus hoc facere, inque tuam denuo epiſtolam conjiciens oculos, video, perſuadere te Lectoribus velle (†), de Horreario refellendo nunquam te cogitaſſe, neque, ab amicis quamquam admonitum, operae illud pretium duxiſſe. Audi, *Wyttenbachi! Critobulo*, itemque *Philalethi*, ſimi-

(*) Epiſt. 19. Ed. *Graevii*. T. I. p. 281.
(†) Bibl. p. 72.

Digitized by Google

ſimilibusque tui generis hominibus, hoc
dere facile potes: mihi autem aliisque no
Ἀτεχνῶς καὶ ἀδόλως dicam, quid erudito
te vulgus ſtatuat atque perhibeat. Statuun
ajuntque, te, omnibus dominari huc usq
tum, leviſſimaeque idcirco impatientem re
ſionis, (ut ſunt homines, ſui adeo pleni
atque eam, in quâ te reprehendi, *Hor*
tem, a *Critobulo* tibi indicatam, perlegiſſe
tinuo vehementer ſtomachatum, de *Hor*
ſi quâ poſſes ratione, *refellendo*, atque in
puniendo, totos fere *novem* annos, ſuis
licitum, ab eoque inde tempore turpiſſima
ultionem meditatum molitumque fuiſſe, pe
ris ad inſtar Regis,

ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ·
εἶπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῷμας καταπ
ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τ
ἐν ϛήθεσσιν ἑοῖσι:

credunt porro ajuntque, te re verâ potius
ſum, quam *Horrearium*, et refelliſſe,
etiam punivisſe; neque refellere te *Horr*
unquam poſſe: tandem, de *Horreario* ſi
rius castigando, ſive iterum refellendo,
posterum ne vel unquam cogitaturum; nor
terea, quod vacui nihil tibi temporis ſuper
quod, uti ſuperbe ſtolideque jactas, *febri*

Digitized by Google

miſerando potius quam refellendo, respondendum non eſſe existimes: ſed quod istud hominum genus, ad quod ipſum te aggregandum eſſe probasti, cum viris audacibus, qui bonam tueantur veri honestique cauſam, certamen inire plerumque non audeat. Quibus equidem omnibus nihil habeo quod addam, praeter hoc unum: gratum mihi tamen fore ac perquam jucundum, ſi rescivero, de me rurſus *refellendo*, et, ſi Diis placet! *puniendo* te cogitare, eumque in finem, quantum opus ſit ſubceſivi temporis, quotidianis ſtudiis ſubtrahere. Hoc enim ſcias, *Wyttenbachi!* me nec te, *tuâ* licet involutum Latinitate, neque eriam *Critobulum* tuum, nec *Philalethem*, neque alium quempiam fugere.

Dabam
in Suburbano meo,
d. 4 *Junii*,
MDCCCIX.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

P. 18. ſtatim jam in initio: lege: *ſtat* ab initio.

P. 36. in *Leionitzii* Harmoniâ: lege: i*nitzii* Harmoniâ.

P. 54. aeque minus ac *Muntinghium*: non magis quam *Muntinghium.*

P. 61. tam in ſcribendo: lege: tum bendo.

Digitized by Google



ugari
es ad
enus
aris-
ndat
cam
rra-
ciis
Et
non
ae,
gae
al-
am
atis
ar-
ip-
ed
ni-
im
is,
de
li-
s,
n-

Digitized by Google

Digitized by Google

PAULI VAN HEMERT

EPISTOLA

AD

DANIËLEM WYTTENBACH,

Virum Clarissimum.

Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Hesiodus.

EDITIO ALTERA.

AMSTELODAMI,

Apud J. S. van Esveldt-Holtrop,

Bibliopolam regium.

MDCCCIX.

Digitized by Google

Ut infantes, quibus nulli obtigere coll
contumacisſimi eſſe ſolent, ſic umbratici ho
ab omni convictu conſuetudineque civili remot
nunquam vel monendo, vel castigando, ad hu
tem ſint comitatemque revocati, duros, diffici
prope intolerabiles ſe aliis praebent. Cumque
vitâ ſolitariâ, qui plus ipſis ſapiat, videant ne
opinionis et aſſentationis errore ſe ſolos inter n
ſapere, ſe ſolos pulchros beatosque eſſe *put*
Talis denique eorum animis ſtupor ab obſc
vendi ratione offunditur, ut, quid in quâque
rum, pulchrum, et decorum ſit, ſentire null
queant. — Hoc *pedantismi* vitium tam late
nullus ut eruditorum ordo ſit, quem non ejus
gio levius gravius infecerit. Sed, ut verum
vitus fatear, maxime hoc malo laborant ii, a
omnem decoris pulchritudinisque ſenſum, ip
nique amabilem humanitatem exſpectaretis, p
quod literas, quae ab humanitate nomen habe
fitentur.

DAVID RUHNKENIUS, in C
de Doctore umbratico.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO S.

In illam, quae ante hos fere tres menses foras exiit, hujus ad *Wyttenbachium* Epistolae editionem, praeter mendas aliquot, quas, ut fieri asſolet, typothetarum ei affudit incuria (*), irrepſerunt et

(*) Mendarum, quas deprehendere postea potui, omnium gravisſima ibi occurrit, p. 60, ubi pro *fiat* poſitum est *fit*.

Digitized by Google

et alia quaedam σφάλματα, non typoth
tarum, ſed meae potius negligenti
meaeque feſtinationis indicia, numer
quidem illa ac pondere non valde not
bilia, curis tamen ſecundis, ſi quae fo
te unquam deſiderarentur, tollenda atqu
immutanda. Scripſi, exempli cauſâ (*)
„ Cave tamen putes, me eum eſſe, qu
aut Te, aut *Philalethem*, aut *Critobulu*
tuum, a veteri veſtrâ Metaphyſicâ ave
lere *cuperet:*" eandemque conſtruction
rationem, alio etiam Epiſtolae loco (†)
adhibui. Postea tamen amicorum moni
cognovi, et lubens hic ipſe fateor, co
ſtructionem hanc, auctoritate quamv

i

(*) P. 35.

(†) P. 65.

Digitized by Google

ipsius *Ernestii* (*), aliorumque inter recentiores praeclarorum Virorum, defendi *quodammodo* possit, ad formam tamen puriorem consuetudinemque Latini sermonis parum esse accommodatam, et pro *tertiâ*, quam Grammatici vocant, personâ *primam* (pro *cuperet* adeoque *cuperem*) rectius ac magis Latine poni. Festinanter quoque et inconsideratius scripsi (†): „ut nihil non comminisci *vereatur*:" pro: „ut nihil non comminisci *audeat*; sive potius, ut nihil non *comminiscatur*." Haec, atque alia, pauca tamen, neque his indicatis multo graviora, in alterâ hac Epistolae editione, mutanda curavi, omnemque de-

(*) Scribit Vir ille clarissimus, in Praefatione ad *Suetonium*, p. 7: „Neque tamen is ego sum, qui *existimet*:" pro: *existimem*.

(†) P. 59.

Digitized by Google

denuo Epistolam relegi, et sub limam revocavi. Idque eo feci diligentius, quo minus esset, quod teretes *Wyttenbachii* aures, castae Latinitati dudum adsuetas, admodum laederet, eâque adeo ratione huic Viro obtentum praeberet aliquem, quamvis ridiculum ac futilem, quo silentium, quod tenere velle videatur, quodammodo tegere, atque, in angustias a me jam adductus, subterfugere, hac quasi specie, laborem posset, malae pessimaeque causae patrono difficiliorem, ea nimirum, quae turpissime de me commentus est, probandi, palamque et distincte ad omnia illa respondendi, quibus ego cum famam meam bonamque existimationem, tum Philosophiam quoque *criticam*, quam utramque hostiliter fuerat injusteque aggressus, quam-

Digitized by Google

quamque acerbisſimum in modum exagitârat, in hac Epiſtolâ et tueri conatus ſum, et re verâ tuitum me eſſe confido. Ajunt enim, *Wyttenbachium*, niſi forte ipſi contingat, ut, quem ab eo quondam cum *Mahnio* ſuo, Gymnaſii *Amiſſurtani*, nunc vero *Ziriczaeënſis*, Rectore, ludi vidimus, repetere luſum poſſit, hoc est, ut unum rurſus alterumve e discipulis ſuis aut adulatoribus inveniat, cui *respondendi* obtrudat provinciam: id quod frustra jam ab ipſo tentatum audio — *Wyttenbachium* igitur, hominis instar ignavi, pugnamque, quam antea cupidisſime voluit, nunc turpiter detrectantis, conſilium cepiſſe ſilendi, ſilentiique, coram amicis, eum hac de re percontatis, hanc ridiculam attuliſſe rationem: „ eſſe ſcilicet meam ſcriptionem istiusmodi,

ut rescribendi cura longe longe
fra dignitatem tanti sit Viri posita
tus ipse sit." Quae verba, jac
denuo ac vanitatis plena, ut esse
Wyttenbachiana tantum non omnia,
ertem hominis animum manifesto ar
tum praeterea quoque tam sunt
tamque socordia, ut in ipsis *Wyt*
amicis vix unum esse existimem
Viri, caetera acuti, hac in parte
cum miretur amentiam. Fac eni
fra dignitatem esse positum tant
quantus sibi videatur ipse, aliis
deri cupiat, ad ea respondere,
contra illum scribere e re meâ es
tavi: quanto igitur magis infra
Viri jacere dignitatem censendu
si de rebus, in quibus plane hos
peregrinus sit, aniliter, et quasi

Digitized by Google

cium tabernariarum more, nec tamen ſine altisſimis ſuperciliis, philoſophetur; praeſertim, ſi homunculum, quantillus ego ſum, malevolentisſimis adoriatur obtrectationibus atque calumniis, meamque adeo famam, mendaciis mendacia cumulando, impudenter laceret, aut certe in ſuspicionem vulgi adducere conetur? Utrumque enim hoc a *Wyttenbachio* factum eſſe (eum nempe et de Philoſophiâ *criticâ* aniliter garriiſſe, et meam ſimul lacerasſe famam), utriusque Epistolae, cum *Wyttenbachianae* ad *Lyndenum*, tum meae ad *Wyttenbachium*, Lectori dubium eſſe haudquaquam potest. Ex umbrâ igitur ſuâ jam in lucem prodeat foedus Conviciator, et, ſi quâ ratione poſſit, ὀξέα ὀνείδεα probet, ſemet ipſum ſuasque praeceptorum *Kantianorum* repre-

hen-

Digitized by Google

henſiones, contra *hanc meam E*
tueatur, amisſumque ſibi hon
ratione recuperare ſtudeat! Ist
quae inter amicos ſuos discip
musſitasſe fertur, hominis t
nem atque infamiam adauge
tius, quam minuunt. At ſic f
ignavum genus!

κακὸι μὲν ἀποίχονται
ὃς δέ κ' ἀρισεύησι μάχῃ ἔνι, τόνδε μάλ
ἐσάμεναι κρατερῶς, ἢτ' ἔβλητ', ἢτ' ἔβ

Caeterum, plura addere huic
tioni nolo, praeter hoc unum:
ferri nempe, et ad meas quoqu
tum esſe aures, tria illa exemp
bus ego, in meâ *Epistolâ* (*),

(*) P. 48.

Digitized by Google

chium rerum metricarum, ultra quam irum decet elegantiores literas profi- entem, ignarum esse ostendi, mihi a octissimo *Bosschio*, Latinorum Poëta- um inter Nostrates facile principe, in- icata fuisse. Quod quidem a veritate am longe disjunctum est, ut contra sseverare ausim, me nec cum *Bos- chio* nostro, nec cum alio amicorum quocunque, aut hac de re, aut de ullâ Epistolae edendae parte, sermones un- quam conseruisse, vel consilia iniisse. Quod ideo hic monitum velim, ne *Bos- chii*, Viri integerrimi, *Wyttenbachio* item- que mihi amicissimi, in suspicionem veniat ides, quae, ut recte (alio quamvis sensu) *Horatius*, *culpari metuit.* Et sunt praeterea, uae notavi, ista *Wyttenbachii* παραδράματα am crassa tamque manifesta, ut plane ig-

na-

Digitized by Google

narus ſit oporteat, cui ea non continuo et quaſi ſponte in oculos incurrant.

dabam
in Suburbano *Amſtelodamenſi.*
d. 2 *Septembris,*
MDCCCIX.

PAU-

Digitized by Google

PAULUS HEMERTIUS

S. P. D.

DANIËLI WYTTENBACHIO.

Vixdum quatuordecim praeterlapsi erant dies a morte Filii mei dilectissimi, natu maximi, cum libellum tuum, qui partem constituit *Bibliothecae criticae* ultimam, a Bibliopolâ missum accepi.

Erat illo tempore animus recentissimo acerbissimoque dolore, ex tantâ tam cari Capitis amissione orto, laceratus adeo atque confectus, ut eum ad scriptionem tuam legendam intelligendamque neque erigere, neque erectum attendere, satis possem. Libri tamen proöemium, quod epistolam continet, ad *Lyndenum*, Virum nobilissimum, a te scriptam, hic illic evolvebam,

 oeu-

oculisque lustrabam. E quo cum fere intelligerem, quid molireris, quamque contumelioſe mecum ageres, librum continuo de manibus poſui, efficere nolens, ut ad praeſentis et neceſſarii doloris vehementiam novus velut ultro quaeſiti doloris cumulus accederet.

Postea, interjectis aliquot menſibus, in meo ſeceſſu aestivo, librum tuum, quem inspiciendum rurſus legendumque ad tempus ſepoſueram, denuo in manus ſumſi, firmataque tunc mihi legenti de te est opinio, quam dudum ante jam ſuscepiſſe me profiteor, te nempe eſſe talem,

Qui captes riſus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non viſa queas:

qualem, ut nosti, HORATIUS *nigrum* eſſe *cavendumque* dixit.

In istâ enim tuâ ad *Lyndenum* epistolâ, duo in primis agere te video. Alterum est, ut *Kantium*, clariſſimi nominis Virum, in quem, duri et moroſi ludi-magistri more, graviter acerbeque inveheris, ceu in hominem, *acutum* quidem illum et *ingenioſum*, ſed *novitatis* tamen *et admirabilitatis captatorem; qui res referat notas, ipſum ſe praedicet, magnifica promiſſa expromat,*

Digitized by Google

mat, sibi ipse non constet nec consentaneus sit; quem novae sectae condendae gloria deceperit; qui priores et antiquos Philosophos haud cognitos, nedum pertractatos habuerit; cui omnino, ultra quam Philosophum decet, literae defuerint, ut in ipsâ Philosophiae historiâ vix supra SPINOZAE *et* CARTESII *aetatem progressus videatur; cujus opus,* CRITICA PURAE RATIONIS *inscriptum, septentrionali frigori sit congruum, et tanquam Cimmeriis tenebris et boreali glacie concretum, in quo pleraque temere ac sine demonstratione ponantur* — ut igitur *Kantium*, illiusque Philosophiae decreta et rationem tuo modo refellas, hoc est, asperioribus facetiis, Philosopho plane indignis, omnique ab humanitate alienis, acerrime perstringas, et quasi ludibrio habeas. Alterum, ut me quoque, quod, novem abhinc annis, in quâdam *Horrei critici*, quod tunc edebam, parte, arrogantiae tuae ac dicacitati quodammodo obviam ire ausus essem, atro dente mordeas, et de me, rebusque meis, et vitâ, festive, ut soles, jocosque multa garrias, quae cum plane falsa, tum maxime etiam odiosa sunt, et quae, si veritati essent consentanea, neque *nigrae* tincta *loliginis succo*, bonis viris risum moverent, nunc vero illis omnibus bilem atque stomachum. Quod cum feceris, meamque adeo famam ac

bonam existimationem in ſuspicionem apud credulos adduxeris, faciendum equidem putavi, ut calumniam garrulitatemque tuam aliquâ ratione compescerem, et ad ea, quae tibi, ſive nomine expreſso, ſive perſonam nomenque *Philalethis* cujusdam ac *Critobuli* mentito, de me narrare libuit, breviter animadverterem: ne ſcilicet tu, *quaſi prospero ſucceſſu elatus et exſultans, nocere* (et quidquid in buccam venerit ſcribere) *pergas, ſed reprehenſus et coërcitus melior reddaris* (*). Interim,

Liberius ſi
dixero quid, ſi forte jocoſius, hoc mihi JURIS
cum veniâ dabis:

nam, cum *Cicerone* (†), ita ſtatuo, *qui admonent amice, docendos eſſe; qui inimice inſectantur, repellendos.*

Quod

(*) Sciat velim Lector, haec fere ſuperba eſſe *Wytenbachii* verba, p. 71, quae ipſi perhuminater hic reddo: additâ ſimul grati animi ſignificatione, quod, *ad imitationem*, ut ait, *divinae lentoque gradu procedentis vindictae*, non continuo post peccatum, ſed tarde, post novem ferme annos, me puniit. Pro quo tam ſancto tamque honesto beneficio, nescio equidem quam et qualem gratiam pio divinoque Viro et habere et referre debeam.

(†) De Nat. Deor. L. 3.

Digitized by Google

Quod autem non Belgice, ſed Latine, ad te ſcribere *auſus ſui* (magnum enim et maximum hoc *auſum* videri poſſit, in *homunculo*, qualis ego ſum, quem Tu, tantae auctoritatis Vir! *ab hoc gradu dejectum eſſe, ſeque adeo ad Belgice ſcribendum recepiſſe* dicis (*), et cujus duas orationes, alteram auſpicando muneri, alteram funebrem in obitum clariſſimi *Meerſchii*, plurimis abhinc annis (†) editas, Tu nunc, ut ais, *ad earum aggregasti numerum, quibus a te cenſura destinatur* (§)) — quod igitur Latine ad te ſcripſi, minime hoc eo a me conſilio factum, ac ſi viribus ego meis, quae ſentio quam ſint exiguae, per aemulationem quaſi et rivalitatem, tecum hac in re contendere vellem, aut certare in hac arenâ, aliquâ ratione, me poſſe confiderem. Sciunt namque et fatentur omnes, quotquot literarum ſunt periti, ac venuſtatis aliquem ſenſum habent, primas tibi partes hic deferri debere, neminemque eſſe, in univerſâ *Hollandiâ*, neque in alio forſan terrarum loco, qui eâdem, quâ Tu, ſuaviter eleganterque ſcribendi facultate polleat, aut de rebus quibuslibet tam varie copioſeque dis-

(*) Bibl. p. 62.
(†) Annis nempe 1790 et 1792.
(§) Bibl. p. 65.

Digitized by Google

disserere possit. Sed tamen Latine quan
ad te scribere malui; tum quod ita
exemplo praeivisti, tum etiam quod L
de Graecis olim affirmavit *Cicero* (*),
in omnibus fere gentibus, Belgica sui
exiguis sane, continentur. Nec dubito
bachi! qui mearum orationum censend
pisti consilium, quin labem etiam et co
seculi, et Philosophiae studii, quo m
lector, orationis meae verborumque
fortasis adhaerentem, quâ es singulari
incredibili humanitate, eâdem illâ, aliâv
ne, sis indicaturus, et a sordibus, si
fore suspicor, me invito superfint, ha
lam purgaturus.

Sed age! ad rem progrediamur. Qu
bliothecae tuae proöemio, illo quem
loco, tibi proposuisse videris, primum
ut Lectoribus tuis expositionem dare
atque decretorum Philosophiae, quae
nomen accepit, et expositioni simul re
nem aut confutationem adjungeres.

Ante vero quam ad hunc locum tibi

(*) Pro *Archiâ* Poëtâ. § 10.

Digitized by Google

lem accedas, more tuo ſuaviter arguteque nugari incipis, ut, leviore quaſi hoc cibo, lectores ad ſolidius aliquod et ſucci plenius alimenti genus praeparare velle videaris. Audisne? Vir clariſſime! *nugari* te ajo. Ne tamen hoc te offendat verbum! Ipſe enim, ô praeclaram animi, dicam an *verborum?* modestiam! hujus generis narratiunculas, quas tu in primis amas et in deliciis habes, *nugarum* nomine inſignivisti (*). Et recte quidem: ſunt enim, communi omnium, non dico puerorum, ſed virorum judicio, vere *nugae*, et praeterea nihil. At tamen ejusmodi hae nugae ſunt, quae Lectores, ſi elegantis ſint ingenii, alliciant, capiant, illorumque animos gratâ quâdam voluptate perfundant, quoniam ſenſum venustatis acrem limatumque hae nugae ſecum ferunt. Narras igitur hic copioſe multa: primum de te ipſo, deque Patre tuo, cui non modò τὸ ζῆν, ſed et τὸ εὖ ζῆν, debere te ſignificas; dein de amicis, quos aut mors tibi eripuerit, aut temporum varietas ſubtraxerit; tum de tuis literarum ſtudiis, variisque hac in palaestrâ laboribus; porro de nostrâ Patriâ, de turbis ac contentionibus civilibus,

(†) P. 2.... *qui meis nugis tantum tribuas*..... et p. 71. *quis velit ſermones de his nugis habitos conſcribere?*

bus, de bello ejusdemque calamitatibus, de pace *Ambianensi*, quam, ut lepide vereque dicis, somniavimus magis quam percepimus; de aliis tandem rebus, quarum, etsi omnes aut sint in vulgus notae atque obsoletae, aut ejusmodi, ut illas scire nostra parvi interfit, tuo tamen *Lyndeno* haud ingrata fuerit narratio, mihi certe aliisque inter Lectores jucundissima. Adeo quippe in omni scriptionis genere excellis, ut vel ipsas nugas ingeniique lusus, quibus in chartas subinde conjiciendis delectaris, non tantum legere non dedignemur, verum etiam sedulo quaeramus, et cum voluptate lectitemus.

De laudibus igitur tuis vides me nil quidquam detrahere velle; neque detrahere unquam voluisse me profiteor. Est tamen, ut in universâ hac ad *Lyndenum* epistolâ, sic in ipsis quoque his nugis, quod reprehendendum censeam, censeantque multi, iique etiam inter amicos tuos praeclari viri. Si quid sit, quaeras; dicam ingenue. Non decet, opinor, virum, qui veterum Philosophorum de bono honesto, morumque et animi puritate, praecepta legerit, quique Philosophus ipse haberi cupiat, in re seriâ jocari, et puerorum more ludere. Non decet eum, laudis adeo appetentem gloriaeque tam esse cupidum, ut quâvis fere paginâ magnifice se ac superbe jactet, amicosque loquen-

tes

tes quasi inducat, qui ipsum laudibus in coelum tollant, supra alios omnes Viros, acutissimos etiam Philosophos, efferant, ipsiusque ad quaestiones responsa, nec non antiquatae veterisque decreta Philosophiae, tanquam Dei *Apollinis* oracula, quae fallere nesciant, admirentur. *Trahimur quidem omnes* (ut notissimo illo *Ciceronis*, pro *Archiâ*, utar,) *laudis studio, et optimus quisque gloriâ ducitur*; estque omnino ἥδιστον ἄκουσμα ὁ ἔπαινος: nec mirum: φιλεῖ γὰρ ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα. Sed tamen sapientis est ac boni viri, illud studium, ne aliquando fraudi sit exitumque habeat vitiosum, prudenter moderari, finique id graviori submittere. *Habet enim*, ut ipse, in tuis δευτέραις φροντίσι, post *Platonem*, observas, *habet unusquisque in se quasi civitatem: habet ejus varias partes; Regentem, tamquam Principem; regendas, veluti plebem et vulgus; ministras, quasi optimates et magistratus: habet rationem, motus, impetus, affectus, cupiditates. Rationis est, ceteras partes non solum perpetuo imperio continere, sed censurâ etiam tempestivâ lustrare, quâ laborantibus succurrat, deficientes suppleat, exsultantes reprimat, peccantes castiget, falsas expurget.* Tu itaque censuram in te ipsum converte, et vide, qualis sis: an forte et in te *partes ministrae Regentem* loco moverint; animoque quan-

tum tu differas ab immortali illo maximoque viro, cujus olim ipse laudes praedicasti, *Davide Ruhnkenio.* Hic enim, quamvis censeri se in principibus literarum, verâ sui aestimatione, intelligeret, eum tamen se esse, nec prae se ferebat, nec dissimulabat (*). Te vero quod attinet, *Wyttenbachi!* aliquemne putas esse tam coecum animoque hebetem, qui tuas, ut ita dicam, *nugas*, velut has ad *Lyndenum*, aut eas ad *Bosschium*, tuum meumque familiarem, antiqui moris eumque eruditissimum Virum, aliasque hic illic a te sparsas, oculis percurrens, hominem non continuo videat *sui plenissimum*, qui, uti elegantiorum literarum, ita quoque se Philosophiae principatum tenere arbitratus, ceteros homines, interque eos, doctos variâque rerum scientiâ et philosophico ingenii acumine valentes Viros, altissimo supercilio despiciat, et hancce suam tetram indolem, ut veram animi morumque formam, in omni fere scriptione, tanquam in tabulâ, exprimat atque depingat? Et hic, de quo loquor, nimis acer laudis atque honoris amor, Rationis imperio postquam se semel subduxerit, quomodo, noctes diesque animum humanum gloriae sti-

(*) Sunt verba *Wyttenbachii*, in vitâ *Davidis Ruhnkenii*, p. 245.

Digitized by Google

ſtimulis concitans et quaſi pungens, eum tandem, cum ſanitate ſuâ, tum tranquillitate privare, in transverſum agere, odio erga alios acerbiſſimo replere, ac tantum non in furorem conjicere valeat, in hac ipſâ ad *Lyndenum* epistolâ tuo Tu exemplo comprobasti. Quid enim? an quemquam latere poſſe putas, te, nullâ aliâ de cauſâ, doctrinae *Kantianae* adeo vehementer inſultare, eosque qui eam profitentur tam flagranti odio perſequi, niſi quod verearis, ne tuis obſtruatur luminibus, tuaque, quam jactas, Philoſophiae peritia prorſus nulla eſſe deprehendatur? Nonne palam ipſe fecisti, magno te irarum aestu atque inſatiabili vindictae cupiditate incenſum, et fere extra te raptum, animum ad ſcribendam illam epistolam appuliſſe, conturbatumque adeo hisce motibus fuiſſe, ut quid ſcriberes aut ageres, ipſe aliquando nescires, tibique adeo non valde conſentaneum te Lectoribus ostenderes? Cujus rei, ut nunc alia, posthac tangenda, praeteream, exemplo ſit, quod *Kantium*, cui *omnem literarum ſcientiam et Philoſophiae historiam defuiſſe* impudenter autumaveras, mox iterum, in alio ejusdem epistolae loco (*), ut *univerſae ſcientiae Philoſophiae excellentem* proponas, triti illius ſer-

(*) P. 58.

sermone proverbii immemor: *mendacem* ac
lumniatorem, ni causâ suâ continuo cadere, et
aliis derideri velit, *memorem esse oportere.* I
boras itaque, ut video, gravissimo morbo,
vel ipse tuus *Critobulus*, *Asclepiadis* filiu
eum quamvis peritissimum esse medicum per
beant, ut omnino mederi queat, equidem si
vereor. *Definit* enim, ut ait *Seneca*, *reme*
esse locus, *ubi*, *quae vitia erant*, *mores su*
Estque tuus hic morbus e periculosissimor
genere: causam enim habet quamdam *mentis*
liginem, oculorum caligine multo graviorem;
que insuper producit febrim, quartanâ pejore
et ad curandum simul difficiliorem eâ, quâ ol
adolescentulum te laborasse narras, et quam ha
illepide *Wolfianam* appellas: fuit enim illa,
ais, nec *vehemens* nec *diuturna*; haec vero v
quam sit lenta, quamque maligna et pertinax,
jam novem annos visceribus tuis atque medu
intime inhaeserit, omnemque prorsus medicina
ab amicis tuis oblatam, contemserit. Hunc
tem morbum, *Wyttenbachi!* tibi ipse contraxi
nimio gloriae amori indulgendo: —

Τῷ σε Ζεὺς ἵκετο καὶ θεοὶ ἄλλοι. —

Et hoc quidem vitium in alio nemine, quam in
minus esse ferendum arbitror, cum, quia alior
in vitiis quam acutissime cernis, ipsumque a

K

Digitized by Google

Kantium, verae modestiae ac reliquarum virtutum exemplum, propterea quod doctrinae suae *novitatem*, summo maximoque jure, fuerat professus, puerilis insimulas jactantiae, eosque, qui *Kantii* praecepta probant, velut agyrtas medicos (*), in conventiculis, circulis, stabulis, cauponis, thermopoliis, miranti atque imperito vulgo, suum lippitudinis collyrium ostentantes et venditantes, malitiose deridere, sannisque et cachinnis imperitorum tradere haudquaquam erubescis: tum etiam maxime, quia tibi, ut jactas, tam felici esse contigit, ut patrem fueris nactus, qui te puerum τὸ εὖ ζῆν, hoc est *bene vivere*, docuerit. Illud enim *bene vivere*, ut cum *Tullio* dicam (†), *nihil est aliud, nisi honeste et recte vivere.* Quo igitur nisi in primis et illud referatur, ut quo quisquam, doctrinâ itemque ingenii dotibus, praestare aliis videatur, eo quoque se gerat modestius, equidem ignorare me fateor, quid eo tandem pertinere censendum sit. Quapropter, mi *Wyttenbachi!* quod pace tuâ dixerim! vehementer equidem dubito, Patris tui, a quo *bene vi-*

(*) Bene fecisset *Wyttenbachius*, si horum hominum male sanorum nomina produxisset. De his enim, quae narrat, equidem nihil unquam audivi. Sed forte et haec, ut alia multa, *verbi causâ*, finxit.

(†) Parad. c. 3.

Digitized by Google

vivendi artem te accepisse gloriaris, fuerisne tantum *auditor*, an vero etiam *discipulus*: hunc enim esse dicis (*), *qui discat*, adeoque proficiat; illum, qui tantum *audiat*. Tu vero, an quid in hac arte *didiceris*, mihi aliisque multis dubium valde incertumque est. Et haec sane dubitatio altiores in mente meâ radices egit, e quo tempore, tuâ ad *Lyndenum* epistolâ semel iterumque perlectâ, de morboso animi tui statu certior factus sum: neque enim putem, te in talem tamque vehementem et contumacem morbum incidere unquam potuisse, si paterna *bene vivendi* praecepta recte didicisses. — Sed de nugis tricisque tuis jam verborum satis! Haec igitur hactenus, et quasi *inter nos* dicta sunto. Quamvis enim me quidem tuis *discipulis* non adnumeres, te tamen docentem *audivi*; et ipsa haec antiqua *disciplinae* necessitudo aliquâ nos, ut subindicas (†), ratione conjunxit: quapropter etiam te modo *meum* vocavi, scilicet Praeceptorem, quem monere volui, et jam monere pergam: —

ἀγαθὴ δὲ παραίφασις ἐστὶν ἐταίρου.

Ali-

(*) Bibl. crit. l. l. p. 60.

(†) Ibidem.

Digitized by Google

Aliquando fit, ut nugae ducant ad seria. Et tuae te nugae ad seria duxere, ad doctrinam nempe *Kantii*, in quâ, cum exponendâ, tum refellendâ, ita es versatus, ut existimationi tuae, non dico apud blaterones atque imperitos, sed apud doctos et Philosophos, parum consuluisse videaris. Narrat *Porphyrius* (*), *Plotinum*, lecto *Longini* περὶ ἀρχῶν libro, exclamasse: φιλόλογος μὲν ὁ Λογγῖνος, φιλόσοφος δὲ οὐδαμῶς. Idem hoc, mutato nomine, de te pronuntiare nihil vereor; quamquam omnem lapidem movere te video, populo ut persuadeas, te et Philosophum esse, et *Metaphysicam* docuisse, et dictatis eam conscripsisse, et libellum hunc perpulcrum esse, et dignum qui a te in lucem edatur, et *Kantii Criticâ* multo praestantiorem. &c.!!! *Metaphysicam* te docuisse novi: ipse namque has tuas scholas et audivi et descripsi. Sed *Philosophum* ecquis te propterea dicat, qui hoc nomen quid sibi velit, et quid *Philosophia* a *Philosophiae historiâ* differat, probe perspexerit; et quis unquam te posthac *Philosophum* salutet, qui ineptissimum tuum de doctrinâ *Kantii* garritum perlegerit? Dum enim, ab unâ parte, tuam admiror in scribendo elegantiam, delectumque

(*) In vitâ *Longini*. p. 116.

Digitized by Google

que verborum, in significatione etiam rerum, a sensibus maxime abductarum, si non *semper*, at *plerumque*, accuratum et ad Latinitatis consuetudinem formamque mirifice accomodatum; ab alterâ, facere non possum, quin tuam de recentiore illâ Philosophiâ sermocinationem cum incondito imperitoque garritu comparem pistricium tabernariarum, in foris et compitis sedentium, et in sartaginibus popana coquentium: cum quarum mulierum negotio, tibi, faceto esse volenti, *categoriarum*, a *Kantio* explicitarum, sed a te minus intellectarum, negotium, honoris causâ, comparare placuit. Justi equidem libri materiam haberem, tuam ad *Lyndenum* epistolam, paginarum numero, longe longeque superaturi, si cuncta prolixe recensere accurateque notare vellem, quibus te turpiter dedisti, et *Kantium*, novitiaeque formulae sectatores, quos vocas, a te non intellectos esse, probasti. Sed non opus esse duco, ut multis verbis utar, quibus te in maximâ rei, contra quam disputasti, ignoratione versari ostendam. Eoque minus hoc necesse videtur, si quidem plurimorum, quos hac in re commisisti, errorum praecipua pars, nuperrime (initio nempe mensis proxime praeterlapsi), a quodam Censore Belgico, harum literarum peritissimo, sedulo notata docteque reprehensa fuit. Quod nullus dubito, quin ad tuam notitiam pervenerit.

Cri-

Digitized by Google

Critobulus enim, familiaris iste tuus, itemque librorum quasi helluo, quem *novorum* proventu librorum valde delectari, novaque scripta avide captare narras —, ille igitur *Critobulus* quin de eâ Censoris anonymi scriptione te commonefecerit, mihi quidem dubium nequaquam est. Quare, ne, ab unâ parte, actum omnino agere videar, neve, ab alterâ, locum hunc prorsus intactum relinquam, age! quae contra *Kantium* disputasti, brevissime, quoad ejus fieri possit, lustremus, ordinemque sequamur, non illum, quem res, si accurate tractaretur, postularet, sed eum potius, quem tui offerunt libelli paginae.

Dixi jam, duo in primis agere te voluisse: alterum, ut Philosophiae, quae summo maximoque jure, te licet invito, *Critica* appellatur, Lectori summam exhiberes: alterum, ut in eâ quid reprehendendum tibi videretur, paucis referres. Quae duo ita conjungere tibi placuit, ut cujusque singularis partis expositioni reprehensionem, si quam haberes, simul adjiceres.

Tradito igitur, ut *tibi* quidem videtur, praecipuo doctrinae *Kantianae* argumento, *haec*, inquis, *si recte memini, illius est summa* Sed heus, bone Vir! pace tuâ dixerim, haud recte meministi. Nec mirum: doctrinam quippe ipsam

non recte cepisti, nedum percepisti, aut animo totam penitusque eam comprehendisti. Veterum contra, atque recentiorum placita Philosophorum, et *Kantii* adeo δόγματα, turpiter misere que miscuisti. Quo fieri non potuit, quin, cum in proponendâ hujus Viri doctrinâ, multiplici variâque ratione fueris hallucinatus, tum vero etiam, in eâ reprehendendâ, quod vulgo ajunt cum umbris aliquando pugnaveris. Uno verbo, et tu, et fagacissimi isti Viri, *Critobulus* ac *Philalethes*, familiares tui, contra *Kantium* ita disputastis, ut mecum, inter legendum, vobis illud *Nestoris*, apud *Homerum*, saepe objicere cogerer:

Ὦ πέπον, ἦ δὴ παισὶν ἐοικότες ἀγορῆφιν
νηπιάχοις.

Statim jam ab initio tuae contra *Kantium* disputationis, triplicem philosophandum divisionem in recentiorum scholis librisque tradi solitam, si neque historiae fidei congrueret, nec Logicae legibus, alto quamvis dictatoris supercilio, sine ratione tamen ullâ, improbasti. Quae enim affers argumenta, nullius ea sunt pretii. Philosophi nimirum dividuntur in *Dogmaticos*, *Scepticos*, et *Criticos*. Quam divisionem tu, utpote *Kantianam*, *Kantio* saltem quodammodo honorifi-

can

cam, rejiciendam esse judicas. *Dogmaticis*, decreta quaedam statuentibus, verumque adeo cognosci posse affirmantibus, opponendos ais qui hoc negant, ut *Academicos*, ab *Arcesilâ* et *Carneade* profectos, similesque, et in medio quasi inter hos utrosque collocandos esse *Scepticos*. qui nescire se, necdum invenisse fatentur. — Veteribus utique hanc, quam tu sequi mavis, divisionem placuisse, res est notissima. Sed quid, quaeso, illorum nos moveat auctoritas? Non enim, ut cum *Cicerone* loquar (*), auctoritatis, sed rationis momenta quaerimus, neque illud protenus ratum habemus, quod ab aliis (sive veteres hi sint, sive recentiores,) judicatum videmus. Rogatum igitur te velim, quo tandem jure eos, qui, cum secundae tertiaeque Philosophis Academiae, omnino negant verum cognosci posse, *Dogmaticorum* numero eximendos censeas? Hi enim, non minus atque illi, qui, cum *Peripateticis*, *Stoicis*, atque *Epicureis*, et esse et percipi posse verum pronuntiant, *decretum aliquod statuunt*, ab illis eo tantum differentes, quod horum decretum sit *negans*, illorum *ajens*. Unde efficio, et *ajentes*, et *negantes*, diversam quamvis constituant classem et quasi formam, ad idem

(*) De nat. Deor. I. 5.

idem tamen *Dogmaticorum* genus referri e
et vero etiam debere. Nec movere
Sexti Empirici, aut aliorum quorumlib
toritas potest: ipsa enim res per se satis
dens.

Quod autem porro dicis, non *Kantium*
sed et *Socratem*, multosque ante eum
phos, et qui post illum fuerunt tantum
nes, ad *Leibnitzium*, *Lockium*, et n
usque, *sibi proposuisse*, fines facultatum
materiae cognoscendae designare, atque
comparare: id quidem, quatenus ve
tecum non multum contendam. Sed q
illud causam adjuvet, sane haud intelligo
ri enim hic nequaquam potest, quid
mo sibi proposuerint Philosophi, quidq
tare fuerint anniſi: sed quid re ver
terint. Quae duo quantum a se invic
rant, non est quod dicam. Tu etiam
quam adeo crepas, *Metaphysicâ*, opera
ipse significas (*), dedisti, ut, quoad
posset, (id est, *quoad tu quidem posse*
nos facultatum cognoscendi et rerum

(*) Bibl. p. 16.

Digitized by Google

cendarum inter se comparares, eâque comparatione ostenderes, quo usque progredi liceret, et ubi esset subsistendum. Hoc igitur tibi proposuisti, et, ut faceres, operam dedisti. Credo sane, et maxime laudo. Nec tamen fecisti, aut facere potuisti. Neque etiam ante te alii aut fecerunt, aut facere potuerunt: quoniam et tibi, et aliis, idem quotquot facere voluerint, *purae Critica rationis* defuit. Omnia quippe, hac in parte, densissimis ignorantiae tenebris sepulta atque obruta tenebantur: unde fieri nullo modo potuit, quin Philosophi, quorum quaevis fere generatio novam ferebat sectam, tamquam in illuni nocte, sine lumine errantes, saepe offenderent, saepe laberentur, saepe quovis potius, quam quo instituerant, pervenirent: ut eam adeo, de quâ loquimur, finium designationem non ex ipsâ solâque intelligentis animi naturâ, justâque ejusdem facultatum cum distinctione, tum aestimatione, petere, aut certo Rationis, suas ipsius vires cognitas exploratasque habentis, ductu atque auctoritate, hanc veri viam invenire potuerint: sed forte fortunâ, velut experientiâ ducti, et huc illuc agitati, plurimorum conatuum dudum experti vanitatem, qualemcumque, si modo aliquam, finium terminorumve designationem quodammodo didicerint. Nunc vê-

ro, ut cum *Cicerone* loquar (*), *discussa est illa caligo, quam paulo ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia.*

Quae cum ita sint, tuam, hac in re, *Kantii* reprehensionem nullius esse pretii et ridiculam autumo. *Veram* quippe finium designandorum viam primus indicavit *Kantius*. *Veram* quoque illorum designationem idem perfecit, suaeque, qua hanc viam monstravit et munivit, doctrinae, summo jure, *Criticae* cognomen imposuit. — Sed et ipsum hoc nomen reprehendere te video: ut nescire me fatear, ignorantiam ego tuam magis miror, an vero animi malevolentiam. Sic enim scribis: „ *Criticam* dixit primus *Kantius*, solita sibi verborum licentia: quum potius, a re ipsa, *finientem*, *decernentem*, *aestimatoriam*, *circumscribentem* dicere deberet. Sed nimirum *Criticae* cognomen magis ad opinionem vulgi valebat, et tunc in primis vigebat saeculi more, ut nil magis commendaret librum, quam hoc nomen in titulo positum. Veluti antea celebrabantur nomina *philosophicus* et *pragmaticus*, neque liber placere poterat, sine alterutro, aut utroque: —

(*) Philip. XII. 11.

Digitized by Google

que: — sic tunc in istum honorem successerat nomen *Criticus*, quod libro ad vulgi studia jamjam aperiret." Quo garritu ecquid imperitius dici aut odiosius potest? Nam quae tandem illa est, vel esse potest, quam crepas, *verborum licentia?* Latetne illa in nomine *Criticae?* Κρίνειν igitur nonne *Graecis* proprie est *cernere*, *secernere*, *discernere?* Quo sensu et *Homerus* dixit:

κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον; (*)

ubi Scholiastes κρίνε explicat per διάκρινε, διαχώρησον; et *Hesychius* κρίναι, inquit, χωρίσαι, τάξαι, etc. Egone igitur, tantillus homuncu-lus, tantum Virum, eumque Graece perdoctum, quin fere Graecum, Graeca docere debeo! Vel quodnam illud erit nomen, quod ad rem, de quâ agitur, exprimendam aptum magis accomodatumque sit?

Quo in tuam legendo doctrinae *Kantianae* expositionem ulterius progredior, eo quoque ignorantiam tuam, atque audaciam, imo vero impudentiam, magis miror. Omnia recensere infinitum esset. Sed ecce nonnulla, quae legenti cuivis, mo-

(*) Iliad. β. 362.

Digitized by Google

modo ne, recentioris imperitiâ Philoſophi
plane ſit ſimilis, in oculos continuo
ſponte incurrant.

„ Narras nimirum, oſtendiſſe *Kantium*
taphyſicae materiam eſſe notiones mere
biles, antiquiores notionibus ſenſibilibus
perientiâ per ſenſus corporis in animum
ab iisque puras ac genere ipſo diverſas
animo abditas, per experientiam demum
contineri eas duodecim *categoriis*, ac du
tuendi conditionibus, *tempore* et *ſpat*
eſſe notiones antiquiſſimas et principe
ſeminales conceptus intellectûs puri, et
cogitandi, eisque accedere formas *tem*
ſpatii, per quas experientia ſenſibiles not
est, ſenſuum viſa) *intuitiones ſenſibile*
ſuscipiat, et in *categoriarum* formas infe
bus formis viſa quaeque intellectus noste
modet, exinde nova duo notionum i
lium genera effingens, *conceptus refle*
ideas etc."

Haec jam, ſi Diis placet, ſumma erit
nae doctrinae, breviſſime, et paucisſi
punctis notata! Riſum vero quis teneat
tus, talia legens apud hominem, qui, q
paginâ, ac quovis verſu, ſuam oſtenta

Digitized by Google

tiam, *Kantii* quoque libros, jam dudum antea, quam ad Nostratum pervenisſent notitiam, et lectos a ſe, et accurate tractatos glorietur, quique omnes locos, quos improbaret, ſigno ad marginem poſito, notavisſe, paucasque invenisſe ſe paginas in *Kantii* Critica jactet, in quibus hoc improbationis ſignum non aliquoties apponere debuerit (*)?

Extat praeclara, apud *Xenophontem*, in *Oeconomico* (†), ſententia, nihil esſe aut pulcrius, aut ad uſum commodius, quam ordinem: nihil, contra, aut adſpectu foediùs ac deformius, aut quod plura omnibus rebus incommoda afferat, quam confuſionem ac perturbationem. At vero vide quam hic omnia confuſa ſint, et perturbata, et ὕστερα πρῶτα, et permixta erroribus, a *Kantio* non tantum haudquaquam commisſis, ſed penitus etiam ac de industriâ ab ipſo profligatis! Primum enim, ὦ Philoſophe *Veterane*! toto coelo erras, et a Viro, quem proponere voluisti, mihi crede, plane abludis, illius *purae rationis Criticam* conſiderando velut ſystema quoddam metaphyſicum, *novamque* appellando *Metaphyſicam*, in quâ igitur cuncta invenian-

tur,

(*) Bibl. p. 30.
(†) Cap. 8.

Digitized by Google

tur, quae in vulgaribus Metaphyſicorum libris. Estque hic tuus error eiusmodi, ut nullis fere aliis argumentis mihi opus ſit, quibus evincam, te doctrinae *Kantianae*, cujus ſummam Lectoribus tradere voluisti, omnino ignarum esſe, et de mente ac praecipuo Philoſophi, quem inſectaris, conſilio nihil quidquam animo percepisſe. Quid enim? Nonne apertis ipſe verbis aliquoties profeſſus est *Kantius*, Criticam ſuam neque esſe, neque esſe posſe, ſystema metaphyſicum, ſed cenſuram potius *Rationis purae*, notitiarumque ab eâ proficiscentium; et velle ſe igitur inquirere, an in humani ingenii facultatem *Metaphyſica* cadere posſit? Et tu ipſe (quae res ſane valde est mirabilis) *Kantium* induxisti, hoc fere idem, iisdemque verbis, palam aperteque testantem (*): nec tamen hoc impedire potuit, quominus, ab eo licet ſaepe admonitus, gravisſimum hunc foedisſimumque errorem commiſeris. *Ignoscitur*, ut tuis hic verbis utar (†), *ita cum errant, adolescentibus: aetate provectis minus ignoscitur; quo turpius his est imperitis et indoctis esſe, quoque majore cum dedecore delirant.* Omnium minime, ut hoc equidem addam, tam ſtulte ela-

(*) Bibl. p. 20, 21.
(†) P. 13.

Digitized by Google

elato ſuperboque Viro ignoscitur, qui ſe ſupra omnes Philoſophos ſapere putet, et

πεϱὶ πάντων ἴμμεναι ἄλλων

cupiat. Viro, inquam, tam ſui pleno, reique quam tractat tam imperito, ita cum errat, neque ignoscitur, neque ignosci debet. — Deinde, in quo *Kantii* loco legisti, formas intellectûs conſiderandas eſſe ut notiones mere intelligibiles, in animo abditas, quae per notiones ſenſibiles enucleëntur, et per quas experientia ſenſibiles notitias, id est, ſenſuum viſa, ſive *intuitiones ſenſibiles*, ſuscipiat atque in *categoriarum* formas inferat? Itane vero! Hanccine Tu eſſe ais doctrinam *Kantii?* Putabam ego, plane contrarium a ſummo Viro et poſitum et demonſtratum fuiſſe: nimirum, experientiam non *ſuscipere* aliquid, ſed *ſuscipi* ipſam; non *inferre*, ſed *inferri:* et nec *tempus* ac *ſpatium*, neque etiam *categorias*, ſeminales conceptus intellectûs puri, ab intuitionibus ſenſibilibus evolvi atque enucleari; ſed *ſpatium tempusque*, intuitionum ſenſibilium formas, itemque *categorias*, abſolutas eſſe *conditiones* quaſi, atque immutabilia humanae cognitionis *fundamenta.* — Porro, qualem hic Lectoribus farraginem in manus tradidisti? Omnia enim

per-

perturbata ſunt ac praepostera: ut continuo in mentem veniant illa de Chao *Ovidiana:*

Quâque fuit tellus, illic et pontus et aër.

An de industriâ hic omnia miscuisti, ut Lectores falleres? an vero tam ignarus es, ut nescias, conceptus, quos tu vocas, *reflexionis*, cum illis conceptibus, quos *Kantius* vocat *ideas*, nihil quidquam habere commune, et neque illos, neque hos etiam, e *categoriis* effingi, aut ad formas cognitionis humanae referri poſſe? *Satis utique* manifeſtum est, te (ut metaphorâ utar, quam ipſe adhibuisti (*)) dolium *criticae* Philoſophiae, quod cum *Pandorae* dolio componere tibi placuit, interius haudquaquam inſpexiſſe, ſed operculum, vix leviter raptimque, et ne vix quidem, ſublatum, continuo ei rurſus impoſuiſſe: ut adeo, quaenam dolio proprie inſit, quamque praestans materia, tu, *Wyttenbachi!* cum ignariſſimis penitus ignores.

Quod quo magis appareat, age, illa breviter lustremus, quae ad reprehenſionem doctrinae, malo a te propoſitae, proferre auſus ſis.

Ac

(*) P. 26.

Ac primo quidem reprehendis *Kantium*, quod *sibi* in animum induxerit, finium exhibere designationem accuratam, ac veluti circulo centroque circumscriptam, nondum a quoquam Philosophorum confectam. *Kantium* quidem, si sibi constare et consentaneus esse voluisset, ne vel conari eam finium designationem debuisse autumas. Pro quo dictatorio edicto, quas affers, rationes ejusmodi sunt, ut vix oculis ipse meis credam, cum ne ipsam quidem vocabulorum, quae reprehendis, vim a te intellectam esse pateat. Quippe tam verum est, quod a Veteribus velut in proverbio dicitur (*): ἡ ἀμαθία μὲν θρασεῖς, ὀκνηροὺς δὲ τὸ λελογισμένον ἀπεργάζεται. Qui enim cognitionem humanam, nec modo sensibilem ejus partem, sed et intelligibilem, a scientiâ et veritate ad opinionem ac speciem traduxerit, seu, ut nunc loquuntur, ex *objectivâ subjectivam* fecerit, qui et ipse homo, et ad eandem naturae conditionem, ad quam caeteri omnes homines, adstrictus sit, eum dicis, cum *subjectivâ* suâ cognitione, fines *veros*, quos vocant *objectivos*, cognoscere haudquaquam posse. Sed rogatum te velim, ὦ Philosophe *veterane!* un-

(*) Ut est apud *Lucianum*, in *Nigrino*. T. 1. Ed. *Hemsterh.* p. 38.

unde tibi conſtiterit, fines *veros Kantio* eosdem dici haberique atque illos, quos nunc vulgo *objectivos* appellant. Quod ſi Philoſophi ſcripta, eo quo par est ſtudio curâque, legisſes, animumque ad ea recte intelligenda ſedulo diligenterque attendisſes, in hunc certe errorem incidere non potuisſes. Qui enim veros humanae cognitionis fines ſe nobis deſignaturum profitetur, is profecto, niſi quid ſibi velit, ipſe plane ignoret, *ſubjectivos*, quos vocant, fines, eosque ſolos, intelligat neceſſe est: ut de *objectivis* finibus ne vel cogitaſſe cenſeri posſit. De his quippe *nulla* eſſe potest aut cogitatio, aut quaestio, ſimul ac perſpectum exploratumque ſit, cognitionem nostram, quod et te ipſum concedere video, non niſi *opinabilem* eſſe poſſe, intelligentiaeque cujusvis hominis imperviam omnino eſſe ſcientiam, quid tandem qualesve res ſint, extra nostrum concipiendi modum, nostrasque intuendi formas poſitae. Ipſe *finium*, ſive *terminorum*, conceptus, ipſumque hoc vocabulum, conceptum *ſubjectivitatis*, quam vocas, aperte involvit: ut ſe ipſe non intelligere inepteque garrire putandus ſit is, qui veros fines, eosque *objectivos*, cognitionis humanae tecum deſignari poſſe putet, aut deſignaturum ſe eos profiteatur. Illi enim fines, de quibus hic loquimur, *ſubjectivi*, quid, quaeſo, aliud ſunt, quam ipſae *conditiones*, a qui-

quibus nostra prorsus pendeat cognitio, quibus ea ceu fundamentis innitatur, et sine quibus nulla in animis nostris cognitio aut existere, aut esse, ullâ ratione queat? Quapropter, mi *Veterane!* et hic denuo te turpiter dedisti, et non contra *Kantium*, sed contra umbras, a te ipso effictas, sive aegrae mentis somnia, dimicasti. Eo namque ipso, quod *Kantius* cognitionem nostram statuit esse *opinabilem*, et ab intellectûs *categoriis*, sensibilisque intuitionis formis plane dependentem, ita ut sensuum visa percipiamus, non qualia re ipsâ sint, sed qualia in illis formis formata videantur: eo igitur ipso asserere et potuit et debuit, cognitionis humanae fines definiri designarique posse. Quod ipsum, utriusque hujus generis formis ex interiore hominis naturâ *erutis*, et a se invicem *critice* secretis atque disjunctis, a *Kantio* feliciter accurateque confectum esse, confidenter affirmo.

Quae porro, in ejusdem argumenti continuatione, addidisti, nihil aliud probant, nisi hoc unum: garrire te superbe atque magnifice de re, quam plane non intelligis. Et sane piget jam fere taederque, plura afferre ignorantiae tuae exempla. At paulisper tamen id faciam, non quidem copiose, sed breviter, et quasi strictim: ut quanta

in

in te sit ignorantia et simul impudentia, orbis literatus cognoscat.

Et hoc igitur in *Kantio* reprehendis, quod se tribunal instituisse professus sit, quo, secundum ipsius Rationis aeternas et immutabiles leges, causa Rationis judicaretur, jus vindicaretur, fines constituerentur. Tum Philosopho, pro more tuo, odiose insultans; haec adjicis: „Quae tandem illa est Ratio? Scilicet humana, opinabilis, *subjectiva.* Hujus itaque *leges* sunt *aeternae* et *immutabiles!* Ita quidem de divina Ratione loquuntur alii Philosophi; et fas est ita loqui: *non de humana*; nedum de hac infra humanae integritatis modum a *Kantio* redacta." Sed dic mihi, ô Philosophe *veterane*, qui te, ante hos jam tres et viginti annos (*), *Kantium* legisse, relegisse, praecipuos illius interpretes tibi prospexisse, eosque in consilium adhibuisse gloriaris! dic igitur, quonam in libro haec legeris, quae Lectori narras. Indica mihi locum, in quo absurdissimum hoc *Kantii* decretum inveneris: ipse enim, qui etiam, plurimis abhinc annis, hujus Philosophi praecipuorumque illius interpretum scripta legi ac relegi, nihil in eis ejusmodi quod dicis, sed pla-

(*) P. 53.

Digitized by Google

plane contrarium, inveni. Verum, ne Lectorem diutius detineam, dicam ſimpliciter, omnia hic iterum a te perturbata eſſe atque commixta. Confundis nimirum Rationem, quam *theoreticam*, cum eâ, quam *practicam* vocant, et utriusque diverſam vim, diverſumque uſum. Ignoras, id quod vel pueris, haec Philoſophiae ſtudia vix adeuntibus, ut ita dicam, in limine jam ſit cognitum, Rationem videlicet, cui a *Kantio* leges tribuuntur *aeternae* atque *immutabiles*, non eam eſſe, quam *theoreticam* vocant, de quâ hic ſolâ agitur, ſed *practicam*; et, quamvis utraque pars ad *eandem* pertineat Rationem, *theoreticae* tamen, quid *verum* ſit inquirentis, alium eſſe uſum, itemque alias leges, ac *practicae*, quid *honestum* ſit videntis, idque praecipientis. Haec omnia, a *Kantio* dilucide copioſeque expoſita, et ab ejus interpretibus centies centiesque repetita, a te turpiter confunduntur:

πᾶν ἐν παντὶ μέμικται.

Porro, ad commendandam veterem Metaphyſicam, imperioſa quaedam edicta profers: in quibus et hoc est, quod facere non poſſum quin Lectori exhibeam; est enim exquiſitum, ingenioque tuo perdignum. Tua ipſius verba

dabo (*): „ Omnes autem Philoſophi in e conſentiebant, ut Metaphyſicam ſcientiâ princ piorum elementorumque cognitionis humanae d finirent; ut, quemadmodum Philoſophia omniu caeterarum ſcientiarum, ſic Metaphyſica toti Philoſophiae ſemina ac fundamenta continere Atque hac ubertatis auctoritatisque exiſtimatio adhuc florebat, licet pleraeque ejus partes firm tate evidentiâque ſcientiae carerent." Metaphy ſica igitur, quamvis *pleraeque ejus partes firm tate atque evidentiâ ſcientiae careant*, tamen est, et eſſe ac manere debet, totius quaſi mat Philoſophiae, et haec ruſſus caeterarum ſcien tiarum!!! Ita enim, alio in loco (†), *Philal them* tuum inducis: „ Lectâ illâ *purae ration Criticâ*, judicavi, melius eſſe, retinere veteret noſtram, ſive impuram, ſive mixtam quis voce Metaphyſicam, et fecundam illam rerum ube tate, et ratione ſummopere probabilem, quar novam illam adoptare, pro *criticâ* et *purâ* venditantem, non valentem ad veteres poſſeſſio nes tuendas, nedum ad novas acquirendas. Quod ſi eſſet, ut *tu* dicis, communem humanae co gnitionis ſortem quis ſatis miſerari poſſet? Qua enim

(*) P. 37.
(†) P. 53.

Digitized by Google

enim esse potest *probabilitas* scientiae, cujus *pleraeque partes firmitate careant atque evidentiâ*; et quales esse debent *possessiones*, ejusmodi fundamentis innixae? Cave tamen putes, me eum esse, qui aut te, aut *Philalethem* tuum, aut *Critobulum*, a veteri vestrâ Metaphysicâ avellere cupiam. Habeatis vobis, et servetis, et tueamini hunc vestrum thesaurum: modo sinatis, me meosque meliores firmioresque rationes sequi: quippe in nobis *non tanta est perversitas, ut, inventis fragibus, glande vescamur* (*).

Deinde pergis ad *Kantii* de *categoriis* praeceptum, tamquam absurdum sibique repugnans, acriter facetèque perstringendum. Et repugnantiarum quidem, quas in eo invenisse tibi videris, quasdam ordine recensés. Prima, eaque praecipua, est: „ illas a *Kantio categorias* sic informari, ut proprium *Metaphysicae* officium, quod in *viâ a priori* positum est, evertant: eas enim ante sensibilium visorum adventum in animo jam esse, nec tamen cogitari, sed per illa demum excitari." Hoc autem intelligi a te posse affirmas, in *Platonis* opinione de reminiscentiâ no-

(*) Sunt verba *Ciceronis*. Orat. ad Brut. IX. 31.

Digitized by Google

notionum, ex priore vitâ ſervatarum; in *Leibnitzii* Harmoniâ praeſtabilitâ; in aliis denique aliorum Philoſophorum opinionibus: in istis vero *Kantii categoriis* intelligi a te non poſſe. Quod posterius quin verum ſit, equidem nullus dubito. Totum quippe hoc *categoriarum* negotium haudquaquam a te intellectum eſſe, ex iis, quae dixisti, manifesto jam apparuit, idemque denuo hic apparet, cum ex ipſâ hac crudâ jejunâque reprehenſione, tum vero etiam ex illis, quae, ut ſcilicet *rebus obſcuris, ex rebus obviis et vitâ communi, dilucide et Socratice lumen afferres* (*), per ludum quaſi jocumque adjicere tibi placuit. Ne enim ea hic repetam, quae de *Metaphyſices* et *Criticae Kantianae* confuſione a me jam ſunt dicta, et ne ostendam, illis *Platonis* notionibus, ex priore vitâ ſervatis, cum his *Kantii categoriis*, ſive *formis cogitandi*, nihil prorſus eſſe commune, rogatum te unice velim, ecqua in eo poſita eſſe repugnantia poſſit, ſi quis *categorias*, hoc est, *cogitandi formas* ante ſenſibilium viſorum adventum, in animo jam eſſe, nec tamen cogitari, ſed per illa demum excitari, ſtatuat. Vel an et hoc tibi abſurdum eſſe ſibique adeo repugnare videtur, formam vi-

(*) P. 39.

videndi audiendive in fabricâ nostrorum oculorum vel aurium latere, antea quam, idoneâ affluente luminis aërisve copiâ, visa atque audita hisce sensibus percipiamus? Nulla profecto in hac doctrinae *Kantianae* parte ostendi repugnantia potest, modo ne quis eas sibi *categorias* animo ita effingat, ut tu fecisti, quatuor categoriarum ordines cum totidem comparans ordinibus ternarum cellarum, super quos iterum positae sint duae cellae *spatii* ac *temporis*, per quas materia visorum ab experientiâ extrinsecus recipiatur, et in illas duodecim cellas influat, earumque figuram accipiat. Quae omnia, tibi quamvis, sive *Philalethi*, ut tu dicis, *perspicua* videantur ac *probabilia*, a mente tamen *Kantii* omnino aliena, et non *hujus* Philosophi, sed *Wyttenbachiani* potius ingenii ἐπιγεννήματα esse, a quo

velut aegri somnia, vanae
fingantur species,

eis omnibus notum est, qui *Kantium* ita legerint, ut ejus mentem simul perceperint. Quod igitur de *commento categoriarum*, nec non de *illarum inanitate*, deque *receptaculis vacuis, antea quam experientia quid in ea infuderit*, effutiisti, crassâ illud pinguique Minervâ a te fictum, certoque simul argumento est, te ne vel

Digitized by Google

prima rei, quam impugnas, elementa cognita habere. Idem dici debet de negotio *pistricium tabernariarum*, *quae*, *in foris et compitis sedentes*, *popana coquunt in ſartaginibus* etc. Talia ignorantiae atque impudentiae prodigia in libris hominum tui generis invenienti difficile est, ſatyram non ſcribere. Sed vero blanditiis ejus atque illecebris meam equidem impediri nolo disputandi ſeveritatem. Itaque verbo tantum dicam, *experientiam*, ſi quidem a *categoriis* ea prorſus pendet, ut ſine eis ne vel cogitari ullâ ratione queat, perverſe ſtulteque a te comparari cum *pistrice*, quae *cyatho ſpatii ac temporis*, ex cratere rerum ſenſibilium, corporeas notitias *hauriat*, in ſingula duodecim *categoriarum* receptacula *infundat*, *coquat*, *animoque apponat*. — Deinde, et hoc male reprehendis, istas *Kantii categorias* non justum habere ortum, numerumque duodenarium iis temere, ut *neceſſarium*, affingi. In quâ accuſatione probandâ, tibi conſentaneus manſisti, omnia nimirum denuo miscens ac perturbans. Ita *categorias*, exempli cauſâ, (neque enim omnia, quae huc pertinent, recenſere lubet) confundis cum aliis animi notionibus principibus, velut *conſcientiâ ſui*, principio *repugnantiae*, *vero falſoque*, *bono et malo*, *pulcro ac turpi*, aliisque, quibuscum *categoriae* nihil quidquam habent commune; et tandem, ad

tem-

tempus atque *ſpatium* transgreſſus, ac ſi et hae *formae* ad *categorias* pertinere aliquâ ratione poſſent, tanquam de *Kantio* triumphans, ſtulte exclamas: *Jam ipſa categoria ſpatii quam mire conformata est!* manifesto ſane indicio, te prorſus nescire, *et* quid *Kantius* per *categorias* intelligat, *et* quo fundamento earum distributio quadripartita nitatur, *et* quid differant a *formis intuitionum ſenſibilium.* Uno verbo, totum hoc de *categoriis* caput, et quod de ἐννοιογονίᾳ *naturae* addidisti, ita a te tractatum est, ut non putem, a quoquam, rerum perito, legi poſſe, quin ſibi decantatum illud *Horatii* in mentem vocet:

Humano capiti cervicem pictor equinam
jungere ſi velit, etc.
Spectatum admiſſi riſum teneatis, Amici?

Caeterum, aegre ferre videris, *Rationem puram*, ſecundum *Kantium*, ultra fines experientiae, ad res, quae ſenſibus corporis attingi nequeant, progredi haudquaquam poſſe; et proinde graviſſimorum dogmatum, Divinae Naturae ac Providentiae, libertatis atque immortalitatis animorum nostrorum, probationem, *non purae Rationis, ſive Metaphyſicae*, ſed *practicae Rationis eſſe argumentum.* Ita, fateor, a *Kantio* ſtatutum est. Et recte quidem: ut norunt omnes, quotquot illius

Digitized by Google

vim doctrinae, illustremque, qui est de *antinomiis*, locum satis perceperunt. Tu igitur, si quid hac in re efficere voluisses, universum illum locum, omnesque ejus partes, confutare singillatim debuisses, et dein dilucide ostendere, patere revera Rationi humanae aditum ad illas Dei, immortalitatis, ac libertatis notiones earumque demonstrationes, atque omnino nihili esse ea omnia, quibus a *Kantio* effectum est, demonstrationes, a Philosophis adhuc et inventas, et usitatas, nihil prorsus probare, et in utramque partem valere, nec magis evinci iis posse, illa dogmata vera quam falsa esse. Hoc sane si fecisses, virum te praestitisses: veroque id Philosopho fuisset dignius, quam, quod nunc facis, quae centies dicta et centies refutata sunt, repetere; *Kantii* doctrinam cum *Epicuri*, Deos verbis relinquentis, re tollentis, impietate componere; atque odiosis quibusdam imperiosisque edictis reprehensioni tuae apud idiotas auctoritatem conciliare. Ut enim tua hic tibi verba reddam (*): *Pueris et plebi istae species ostententur: sapientiae studiosi argumentis et rationibus doceantur.*

Sa-

(*) P. 50.

Satis me dixisse opinor, ut appareat, quo jure, cum propter ignorantiam tuam, tum propter raram quoque animi impudentiam, non a laudato tantum Censore illo Belgico, verum ab aliis etiam Viris, Philosophiae criticae peritis, rerumque aequis judicibus, tam scriptis quam sermonibus, vehementer vapulaveris, et vapulare adhuc pergas. Dictis equidem multo plura addere possem: sed ad hominem, tam ignarum, tam sui plenum, tamque impudentem, pluribus hac de re scribere nolo. Facile insuper esset ostendere, in enarrandis *Kantianorum* praeceptorum fatis, quam longe, sive ignorantiâ hoc iterum factum sit, sive consilio, de viâ veri deflexeris: velut, cum (ut hoc unum exemplum proferam) Lectori narras, eam doctrinam, quam, invitâ *criticae* Philosophiae universâ indole atque naturâ, *novam* appellas *Metaphysicam*, apud *Germanos*, jam *duodeviginti annos* fuisse natam, et vetulam effoetamque habitam, quum illam ego apud Nostrates producerem, et *Belgice*, ut dicis, *crepare cogerem;* dein, filias eam habuisse grandiusculas, et matris et invicem non modo aemulas, sed et expultrices; dormireque jam et intactam in *Germaniâ* jacere decrepitam matrem, furiose licet a quibusdam Nostratum amatam. Quae omnia quam sint falsa, fugere neminem potest, nisi qui in recentioris historiâ Philoso-

Digitized by Google

phiae hospes plane ac peregrinus sit. Ipse enim, ut hoc tantum dicam, superiore jam saeculo, anni sexti et nonagesimi initio, primam meorum *Philosophiae Kantianae elementorum* partem Belgice in lucem exire jussi; postquam, duobus annis ante, ut eram discendi cupidus mihique diffidens, dubia quaedam, contra hanc Philosophiam, modeste atque ἀνωνύμως, in publicum emiseram, illud mecum Poëtae reputans:

εἰς τὸ κοινὸν δοὺς, ἄμεινον ἂν μάθοις.

Quod si verum est, ut est verissimum, dic mihi, sodes, quâ tandem ratione tuos *duodeviginti* efficias annos. Magnifice stulteque jactas (*), *te tuam, et in literis, et in Philosophiâ, tibi dudum Criticam et habere, et servare.* Addere potuisses, (id quod verius fuisset) „ te tuam tibi quoque habere *Arithmeticam:*" neque enim ea vulgaris est, aut unquam vulgarem hanc fore suspicor. — Praeterea, haud ignoras, anno quamvis primo et octogesimo *Critica* jam prodierit *Kantii*, non intellectam tamen eam, prorsusque adeo neglectam, aliquot jacuisse annos: donec tandem, post labores Virorum quorum-

(*) P. 57.

Digitized by Google

rumdam acutisſimorum, quos inter SCHULZII *Illustrationes* itemque REINHOLDII *Epistolas* nominasſe ſufficiat, anno demum quinto et octogeſimo, produci ac celebrari coeperit. Sed difficile non eſſe puto perspicere, quo et hoc tuum, de *duodeviginti* annis, mendacium ſpectet. Homini enim tam *ſui pleno* nec *verum* cordi est, nec *bonum*, quod *honestum* dicimus — Dein, quis, quaeſo, iste est, qui tibi perſuaſerit, '*novam*, quam tu vocas, *Metaphyſicam* apud *Germanos* nunc obſolescere, et rem eſſe non modo veterem, ſed antiquatam? Talia apud te legens, totamque tuam adverſus *Kantium* disputationem ante oculos mihi ponens, in quamdam fere ἀφασίαν conjici me ſentio, et tandem cum Comico facere vix poſſum quin exclamem: *ὦ Jupiter! tantamne eſſe in homine (garrulo) inſcitiam!* Germanorum, ſi melius doceri velis, evolve Ephemerides, et tuis ipſe oculis vide, nos, ut denuo *Tullii* adhibeam verba (*), *non deſertarum relictarumque rerum patrocinium ſuscipere, neque hominum interitu ſententias quoque occidere.* — Quod tandem ad *filias* attinet *grandiusculas*; matris eas et invicem *aemulas* quandoque fuiſſe, fateor: matris vero *expultri-*

(*) De Nat. Deor. I. 5.

Digitized by Google

trices, omnino inficior. Sed nolo hac de re, quam aliis in ſcriptis, *Belgice* editis, tractavi, tecum hic contendere; praeſertim, cum ad *Kantianorum* praeceptorum aut veritatem, aut vero etiam falſitatem, nihil quidquam facere videatur.

Quapropter, *Wyttenbachi!* ſi cupidus es gloriae, (et quis de hac tuâ cupiditate dubitet, qui vel ſcripta legerit, vel mores tuos cognoverit?) alia tibi quaeras ornamenta, famaeque tuae et celebritati praeſidia. Ut enim, quae in me adhibuisti verba (*), mutato nomine, in te convertam: KANTIUM *petiisti, non vero feriisti, neque attigisti. Nil mirum: quippe ab invalido jaculatore miſſa tela usque ad eum*, ejusve veram doctrinam, *pervenire non potuerunt:*"

κωφὸν γὰρ βέλος ἀνδρὸς ἀναλκίδος ὀυτιδανοῦο:

uti namque in literis regnas, atque ἐν προμάχοις jure ſummo cenſeris, ita in recentiore Philoſophiâ plane ἀνάλκις es καὶ ὀυτιδανὸς. Literas tractantem omnes te ſuſpiciunt, qui aliquem pulcri habent venustique ſenſum; doctrinamque hi tuam

(*) P. 59.

Digitized by Google

tuam et egregiam admirantur orationis facultatem: at philoſophari volentem, et de *criticae* rationibus Philoſophiae diſceptantem, vide quam te cuncti, harum rerum gnari, rideant ludantque. Ipſe tuus *Lyndenus* (ſi modo Vir ille, in quodam tecum colloquio, ea, vel ſimilia, vere dixerit, quae ipſi tribuis) nonne te aperte luſit, dicam an reprehendit? *In Metaphyſicâ conſtituendâ*, inquit (*), (et recte quidem,) *ut in aliis disciplinis, non id ſpectandum est, ut fecunda ſit, ſed ut vera: et, ſi nulla omnino ſit, nec eſſe poſſit, ut hoc ipſum, nullam eſſe, nec eſſe poſſe, nobis perſpectum exploratumque fiat.* Haec autem res cuicuimodi ſit, Tu, ſi ſapis, *Wyttenbachi!* in tuo Literarum Regno maneas; Graeca ac Latina tractes; quae editurum promiſiſti ſcripta perficias, eisque ſtili limaeque curam nec deneges; ſuaviter, ut facis, de re quâlibet, etiam maxime vulgari et quotidianâ, nugeris: ſed a noſtrâ Philoſophiâ illotas manus abſtineas; neque amicos audias adulatores, qui te forſan appellitantes *Philoſophum*, vel reportatam, ſi Diis placet! de *Kantio* victoriam tibi gratulantes, in Philoſophiae noſtrae campos exſpatiari te aliquando jubeant. Ipſae illae, quas profiteris, literae, tuus-

(*) P. 55.

tuusque cum earum professione conjunctus bonos, hanc a te animi moderationem exigere quasi atque efflagitare videntur. Quid enim? Cupis namque non Latine modo, verum etiam *bene* scribere: et profecto utrumque hoc nos homunculi a tali tantoque Viro exspectamus. Atqui *hanc* ipse *bene scribendi* doces vim esse (*): „ *ut argumentum, de quo scribimus, accurate cognitum perspectumque nobis sit.*" Quo etiam sensu verum est, quod dixit (†) *Cicero*, *neminem in eo disertum esse posse, quod nesciat*, et, alio in loco (§), *eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum esse sapientiam.* Abstineas igitur a scribendo de rebus ejusmodi, quas haudquaquam intelligis, nedum perspectas habes: ne et elegantiorum Literarum amantes, et Philosophi tibi succenseant, iterumque te plorare jubeant!

Et est sane tuum illud regnum tam vastum, tamque amplum, ac late patens, ut quantumvis docto tibi satis superfit, in quo ingenii vires exerceas, et ad majorem doctrinae perfectionem adscendas. Nam, si singulas Literarum partes per-

(*) In vitâ *Ruhnkenii*. p. 227.
(†) De Orat. I. 14.
(§) Ad M. *Brutum*. 21. 70.

Digitized by Google

percipere magnum est, quanto majus omnes? *Cujus* rei tantae tamque difficilis facultatem te consecutum esse ne ipse quidem, ut opinor, profiteri audebis: secutum esse, jure quodam prae te ferre poteris. Sumamus, exempli causâ, poësin et rerum scientiam metricarum. Hanc profecto, ut dicam quod sentio, si *aliquam*, valde vulgarem habes et maxime mediocrem: id quod in homine tui ordinis, et qui sibi adeo sapere videatur, inque scriptores quoslibet, Poëtas etiam veteres, crisin exercere gestiat, turpissimum duco. Ex hac enim tuae mediocritate scientiae duplex oritur vitiorum genus, quod in scriptis tuis regnare video. Alterum est, ut, invito metro, voculas vel addas, vel demas, vel

quod prius ordine verbum est,
posterius facias, praeponens ultima primis:

alterum, ut quamvis non obesae naris in odorandis vitiis, tamen in emendandis Poëtis miserum saepe in modum halucineris. Quod ne temere aut ex invidiâ dixisse censear, tria afferam exempla, eaque non aliunde, sed ex ipsâ hac postremâ tuae *Bibliothecae* Parte depromta. Primum est illud *Horatii*, cujus verba:

capsâ porrectus apertâ:

tu

tu perverſe dedisti (*):

capſaque porrectus aperta:

quod, cum propter ſenſum, tum in primis propter metri rationem, ferri non poſſe, continuo apparet. Alterum *Propertii* est, cujus verba:

quaeſitum nomen ab aevo:

tu hoc módo mutilasti (†):

nomen quaeſitum ab aevo:

quod, propter metri violationem, teretes cujusvis aures offendere, non est quod moneam. Terdum est ex Anthologiâ Planudeâ, ubi τι, pro eo, quod legitur:

καὶ πᾶσα πρᾶξις τὸν λόγον ἔργον ἔχει:

legendum proponis (§):

καὶ πᾶσα πρᾶξις, ἢ λόγον ἔργον ἔχει:

nescius adeo, ſyllabam ξις, ſuâ naturâ brevem, vix

(*) Bibl. l. l. p. 23.
(†) P. 50.
(§) P. 9.

Digitized by Google

vix ac ne vix quidem pro longâ adhiberi posse: id quod cum rari et rarissimi res exempli sit, tibi praesidio esse nequit. Et haec quidem ignorantia, in illis quae atruli locis conspicua, excusari in te nullâ ratione potest, nec tegi etiam illo, quem olim callide arripuisti (*), obtentu, videlicet, *licere nobis, quod Antiquis licuit, Poëtarum versus ad scriptionis nostrae consilium immutare:* quibus verbis tunc, loco gratiae, Amico cuidam tuo, qui te comiter doceteque monuerat, habendae, haec tam acerba atque magnifica adjiciebas: *dictum Censoribus, quibus nisi versus ad syllabam annumerantur, notam continuo injiciunt, et insciliam arguunt, ipsi insciti antiquitatis!* — Vides igitur, quantos etiam tu, in hac, ut ita dicam, Literarum pasce, progressus facere possis. Hoc itaque cum maxime agas, et recentiorem Philosophiam, quam non intelligis, et cujus inquisitionem *ingratum* ipse *laborem* vocasti (†), missam facias: ne in te aliquando dicatur, quod, mutatis quibusdam verbis, in me scribere non es veritus (§):

Et

(*) In vitâ *Ruhnkenii*, et quidem in Scholiis, p. 284.

(†) Bibl. p. 25.

(§) P. 68.

Digitized by Google

Et vult WYTTENBACHIUS *se Philosophum facere et Poëtarum censorem, confutandis* KANTII *praeceptis ac rationibus, emendandisque veterum Poëtarum dictis ac versibus, et vult se facetum facere, conformando dialogo! Quae ornamenta in homine aliena, vel graculum varium, vel saltantem auritulum, ex fabulâ nobis referunt.* — *Satin'* et haec *tibi* fortiter, *Wyttenbachi?* Sin minus; fortiora dabo, et quae magis te pungant:

Δάκνει σε — μῦθος, ἀλλ' ἔχ' ἥσυχος,
Τοὐνθένδ' ἀκούσας, ὡς ἂν οἰμώξῃς πλέον (*).

Age igitur, (neque enim properare me atque avere diffiteor) ad illum libri locum veniamus, propter quem unum, si vera loqui velles, reliquam omnem epistolae scriptionem, tuamque in primis *Kantianorum* praeceptorum reprehensionem, susceptam a te adornatamque fuisse fatendum esset, et qui me quoque ad hanc qualemcunque scribendam epistolam cum maxime impulit,

ἐμέν γε μάλιτ' ἐσεμάσσατο θυμὸν.

Π.

(*) Verba sunt *Euripidis*, in *Hippolyto*. V. 1313.

Illam tui partem libelli intelligo, quâ de me, meoque vitae genere ac cursu, nonnulla in chartas conjecisti, quae, uti supra jam indicavi (*), maximam partem cum plane sunt falsa, tum vero etiam valde odiosa.

Quae de me narrasti vera, sunt ea sane perpauca, neque vel haec omnino aut tam vera, quin aliquid eis falsi admixtum sit. Ex vero nimirum scripsisti, me adolescentulum scholas tuas *metaphysicas*, quas in hac Urbe privatim domi tuae habebas, audiisse. Quod vero continuo addis, anno hoc factum esse *primo*; postquam cathedram apud *Remonstrantes* conscenderas, mendacium illud est, sive, ut mitiore et quasi *leniore* utar vocabulo, (viden', ut tuam, quâ gloriaris (†), *lenitatem* imitari annitar!) error: erat enim annus, non *primus*, sed *tertius*. Verum porro est, me *Leidae* (verius tamen *Ultrajecti*) Theologiam didicisse: deinde ruri sacerdotium concionale factitasse: adversus *Gisbertum Bonnetium* (ipso hoc a me postulante) scripsisse: abdicato sacerdotio, *Amstelodamum* venisse: apud *Remonstrantes* cathedram obtinuisse: duas

(*) P. 3.
(†) Bibl. p. 18.

dum habuisse atque edidisse orationes: aliquot annis post, abdicatâ cathedrâ, in *Westphaliam* habitatum abiisse: inde reducem, *Kantii* praecepta, (non, ut tu narras, *quasi post festum venditare ac divulgare coepisse*, sed) quae jam ANTE meum in *Westphaliam* decessum, ibique ruri degens, ore scriptisque illustrare et commendare fuerat conatus, magis ulteriusque divulgasse. Sunt haec igitur FERE, ut ais. Et talia scilicet Lectores tuos curare putas! Curant, inquies, amici. Credo equidem, et beatum te praedico, amicos possidentem, quos tuus iste garritus ita delectat, ut saturari eo vix posse videantur, nec cessent te urgere, atque clamare: „ *urge, age, nisi dignum nostrâ cognitione, modo aliquid, vel indignum, narres* (*)! Non multo aliter infantes nostri ac pueruli cum nutricibus suis ancillisve balbutire solent, easque vexare, et, ut ita dicam, cogere ut fallent, historiasque enarrent, *nisi veras, modo aliquas, vel et falsas.* Nec fere dubito, quin hi pueri, amici nempe familiaresque tui, ad te puerum quoque (†), puerorumque magistrum, eadem adhibue-

(*) P. 64.

(†) Ne miretur Lector, me *Virum* clarissimum, *Wyttenbachium*, nec non ejus familiares, *Agrotas* atque *Ai-*

buerint verba. Quae si forte vera sit suspicio, cur ista amicorum verba non plene dedisti? Puduitne te eorum? Puduisset potius, falsa scribere, ut facere te video.

Quae de me scripsisti, falsa duplicis sunt generis. Alia nimirum sunt ejusmodi, ut non adeo famae nocere videantur, sed ad ea potius referenda sint, quae *Graecis* ἀδιάφορα dicuntur: alia vero turpitudinis infamiaeque notam mihi inurunt, bonâque adeo existimatione, quâ nihil homini carius esse debet, omnino me spoliant.

Ad prius genus sequentia refero: *me contra* BONNETIUM, *pro libertate cogitandi, sic scripsisse, quasi pro aris ac focis decertarem: me*, praeter alios, etiam WYNPRESSIUM, senem, Coelitibus jam adscriptum, nec non MUNTINGHIUM, *ac si hi de lumine Kantiano non satis honorifice ac reverenter fuissent locuti, pro-*

Asclepiadis filios, *puerorum* nomine salutare, scias velim, doctrinam *Kantianam*, judice *Wytstenbachio*, Bibl. p. 55, *duas* nobis (nec plures igitur, nec pauciores?) attulisse *utilitates*, quarum alteram W. hanc esse autumat, ut nobis sententiam confirmaverit, *homines semper esse pueros!*

Digitized by Google

produxisse et reprehendisse: porro, *Horreum* meum *criticum extabuisse, legentiumque numerum identidem fuisse minutum*: tandem, ne plura conquiram, *me tuas quoque scholas Graecas*, quas (ut es scilicet liberali animo!) *gratis* habebas, *adolescentulum audivisse*.

Haec et similia, si vera essent, meam, opinor, famam non admodum lacerarent, a te quamvis laedendi famamque lacerandi consilio excogitata, et homine calumniatore perdigna. At vide, quam haec omnia sint falsa! Contra *Bonnetium*, non mea sponte, sed ipso hoc a me *exigente*, scripsi; non, ut tu ais, *pro libertate cogitandi*, verum *pro auctoritate Rationis, in causa Religionis*. Multis demum annis post, *pro cogitandi libertate*, sive potius, *pro jure officioque liberae rerum divinarum inquisitionis*, ad *Teylerianae* Societatis Praefectos disserui, causamque adeo cum divinae Religionis, tum verae libertatis egi. — *Wynpersium*, Patrem, (de Filio enim hic nihil attinet dicere) *Wynpersium* igitur Patrem, *Nestora* illum, sapientiae plenum, *cujus e linguâ melle dulcior fluebat oratio*, non magis quam *Muntinghium*, in scenam equidem produxi, ac si lumen hi Viri *Kantianum* non satis suspicerent. Et hunc, contra,

et

et illum, in honore semper summo habui, ac meam erga utrumque virum sinceram animi veneracionem verbis plus semel palam feci. Fuit, fateor, estque adhuc, cum *Hermanno Muntinghio*, praeclaro Theologo optimoque Viro, quaedam mihi, sed amica, dissensio. Verum haec, cum non ad *Philosophiam*, sed *Mythologiam*, quam vocant *biblicam*, spectet, equidem non video, quid cum praeceptis *Kantianis* commune habere queat. — *Ypejum*, Virum clarissimum, a te inter alios huc advocatum, quum leviter fuisset halucinatus, humaniter, tribusque, quod ajunt, verbis monui, laudavique magis quam vituperavi; ut locum inspicienti apparet. — Quod porro ad ea attinet, quae de *Horreo critico* libentius quam verius evomuisti; percontare, si tanti sit, *Bibliopolam* meum, an, ut tu ais, *liber extabuerit*: et *in ruborem*, veluti Comicus loquitur, *te totum dabit* (*). Caeterum, scholas tuas *Graecas*, quas ecce! *gratis* habuisti, equidem audivi nunquam. Arrigis aures, *Wyttenbachi?* Mira me narrare clamas? Vera tamen. Inspice, si quos forte servasti, tuarum istius temporis scholarum indices, quibus nomina sua inscribere solent, qui se auditores discipulosque pro-

(*) PLAUT. *Captiv.* V. II.

profitentur; et quovis pignore contendere ausim, te meum in illis nomen nunquam inventurum. Cur has tuas scholas neglexerim, si scire aveas, audi. Neminem quippe adolescentulus habebam, qui meorum cursum studiorum prudenter regeret; maleque adeo, ut solent pueri, idoneo duce carentes, stultus ego a Philosophiâ literisque orientalibus ducebam initium: donec, biennio post, *Leidam* delatus, in Virum incidi, omnium, quotquot sunt, eruditorum, etiam *tuo*, nedum meo, praeconio longe majorem, *Ludovicum Casparum Valckenaerium*, qui me, quâ erat humanitate, comiter monuit, inque rectam viam duxit, et cujus scholas *Graecas*, per quatuor annos, summâ cum utilitate verâque animi voluptate et jucunditate audivi. Scholarum igitur *Graecarum* ratione, tuus neque *auditor* unquam fui, nec *discipulus*: summi vero *Valckenaerii*, te, quamvis homine doctissimo, cum variâ doctrinae eruditionisque copiâ, tum animi in primis indole, majoris multo praestantiorisque, et *auditor*, et, si mihi fas sit eloqui, quod Vir incomparabilis suâ ipse manu testatus est, *discipulus* non omnino improbabilis: ut adeo, ab hoc Viro haud prorsus repudiatus, improbari me a te aliisque tui similibus facile patiar.

παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι,
οἱ κέ με τιμήσουσι. —

Age

Age, jam ad illud genus mendaciorum pergamus, quo me ut hominem *omnium ineptissimum* traducere, et dein ut *despicatissimum* in odium cunctorum bonorum adducere nisus es.

Dignus utique forem, quem riderent omnes, si, vel dimidia eorum pars esset vera, quae mihi scriptisque meis hic a te tribui video. *Fanaticum*, exempli causâ, *ingenium* prodidisse me asseris, quoniam *me, a Kantio ignoratum, nedum rogatum, illi tamen, meâ sponte, defensorum obtrusi: e Westphaliâ reducem, Kantiano afflatu instinctum, doctrinam, in Germaniâ tunc jam labentem, sed mihi Nostratibusque novam, quasi post festum venditare coepisse: fanatici instar vatis vociferantem:* „ magnus „ extitit *Kantius* Propheta, et ego hujus inter „ Batavos exorior hypopheta etc.:" *peritis risum, imperitis admirationem excitasse*: in utraque, quam habui Latinâ oratione, *inconditum quid et subagreste clamasse, quasi ad surdos rusticos dicerem*: utriusque etiam orationis *Latinitatem a scriptore cujusdam ephemeridis Belgicae fuisse reprehensam, meque*, per hunc hominem, (ah me miserum! prope enim abfuit, quin crura dorsumque in isthoc casu fregerim!) *ab hoc gradu dejectum, postea ad Belgice scribendum me recepisse*: porro; *dialogum meum*

(eum videlicet ipsum, qui, novem abhinc annis a me conscriptus, meoque *Horreo* insertus, tibi, per totum illud tempus, in hunc usque diem, bilem adeo movit!) *inscitum esse et puerile commentarialum, ut arrogantiae atque ignorantiae, ita ruris et inficetiarum plenum: Quae ibi Graeca Latinaque citavi loca, e Polyanthea* LANGII, ERASMI *Adagiis, Lexico poetico, similibusque libris, petita esse posse:* (POSSE, inquam: hic enim verba tua prudenter cauteque circumscribis (*), quoniam *Lyndenum*, Virum, ut audio, te multo humaniorem, non vero *Critobulum* istum, aut *Philalethem* (ficta nomina) loquentem hic inducis.) *in Philosophia denique non nisi Kantiana me tenere, eaque quasi catechumenum oracula resonare: alios, priores et veteres, adeo non legisse, ut historiam quoque Philosophiae ignorare videar.* Quae omnia ejusmodi sunt, ut nullâ re magis, quam contemtu ac silentio

(*) *Doli non doli sunt, nisi astu colas,*
Sed malum maximum, si id palam provenit."
Ita *Plautus*. Idemque sentit *Wyttenbachius*. Dolos astu colens, ne scilicet *Lyndenum* in angustias adducat, prudenter et callide in fine adjicit: *neque tamen ex hoc genere Scriptorem Horrei critici esse dico.* — Hoc demum est, si quid aliud, *palam atque aperte loqui!!!*

Digitized by Google

tio refutari posse putem: hominem quippe notant irâ et vindictae cupidine flagrantem, animique tam humilis atque abjecti, ut nihil non comminiscatur, quo me exagitare injuriisque provocare possit atrocissimis.

ὑψαγόρη, μένος ἄσχετε, ποῖον ἔειπες,
ἡμέας αἰσχύνων;

In illis autem, quae effundere tibi libuit, mendaciis, sunt quaedam alia, quae me ut hominem depingunt, e vilissimorum et pessimorum genere. Haec igitur, cum meam animi voluntatem propius spectent, equidem sicco pede transire nec volo, nec debeo. De horum itaque momentis praecipuis facere non possum quin hic singillatim dicam.

Primum, quod me valde urit, justâque animum indignatione complet, hoc est, quod perhibere ausis, *me Senem nostrum*, MEERSCHIUM, *dulci demulsisse obsequio, hujusque* adeo *commendatione cathedram apud Remonstrantes obtinuisse.*

Itane vero, *Wyttenbachi!* Et haec mea tam vilis humilisque adulatio tibi innotuit? Sed scire ex te pervelim, quomodo ad tuam notitiam res per-

pervenerit? Auribusne fortasse ipse tuis audisti? Atqui *semel* tantum, antea quam, a te relicta, cathedra mihi fuit delata, *Meerschium* salutatum adii; neque tamen tu aderas: et postea, cum me Senex ille domi meae resalutatum convenit, praesentem nec te, neque alium quemdam tui similem vidi. Fando igitur rem accepisti? Fieri potest. Sed ecquis iste est, qui narraverit? Cedo hominis nomen: nam, quem inducis, *Philalethes*, quis sit, ignorat populus, coram quo me accusare non erubuisti. —

. . . . . *Unde petitum*
hoc in me jacis? Est auctor quis denique eorum,
vixi cum quibus? —

Profer, sodes, vel unum, eumque idoneum certumque testem, qui me adulationis coarguat atque convincat. Nondum enim eo processisse te arrogantiae ac temeritatis spero, ut tuâ te doctrinâ licentiam acquisivisse putes, animo quidquid tuo sit collibitum, impune effuriendi, omniaque, quae in buccam veniant, sive vera illa sint, sive falsa maximeque injuriosa, modo comptâ hoc fiat politâque Latinitate, impudenter petulanterque evomendi. Hoc sane si laboris aut esset, aut esse posset, literati praemium, mallem equidem, mallentque mecum omnes boni, universam ho-

mi-

minum multitudinem idiotas esse, rerumque cunctarum plane rudes, et in dicendo non tantum (qualem me depingis) *subagrestes*, sed etiam, cum in dicendo, tum in scribendo, *agrestes*; meque ipso agrestiores, tamque hispidos, ut quidquid pinguium est *literarum*, in culinâ potius quam *in scholis*, didicisse viderentur. Tu igitur (*ut ad id*, quod institui, revertar), nisi forte isti hominum generi adnumerandus sis, quod jura sibi nata aperte neget, profer hominem, qui me accuset, suamque probando accusationem, virum se praestet. Nihil enim adulationis vitio a meâ naturâ alienum magis disjunctumque esse profiteor. Sciunt hoc omnes, quibuscum vivo; sciunt cives ac populares; sciunt amici; quos *habeo* non paucos; sciunt hostes tandem atque *inimici*, quos habeo plures, et quos longe equidem pauciores haberem, si veritatis ingenuitatisque minus amans, erga potentes magis obsequiosus, artisque adulatoriae peritior essem. Quapropter, ut hominem tuum, qui me convincat, in medium proferas, etiam atque etiam rogo, meoque jure a te postulo. Et haec quin aequissima sit petitio, nemo unus est, qui dubitet. Ne tu quidem ipse, *Wyttenbachi!* dubitare potes: tua namque, aeque ac mea, res agitur: neque enim velle potes, mihi aliisque esse integrum, in quemlibet quodlibet effundere, et te, exempli cau-

cauſa, ut homicidam, vel qui patriam auro vendiderit, aut virgines ſtupraverit, aut fana depeculatus fuerit, aut aliud quodpiam facinus horrendum patraverit, ore ſcriptisque divulgare. Verum, ut dixi, velle hoc nequis, cum propter propriae existimationis amorem, tum quoque propterea quod, uti gloriaris,

Inſuevit Pater optimus hoc te,
exemplis fugeres vitiorum quaeque notando!

Quare, *Wyttenbachi!* niſi probabilem adulationis meae testem producas,

σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι:

habeo te, et habebo, donec feceris, *hominem calumniatorem*, rabido cane angueque venenato pejorem: quo homine nescio quid esſe posſit in hac humanae ſocietate vitae turpius, quid odioſius, quid detestabilius. Quamquam enim nullum est vitium, nullumque omnino crimen, quin bonis viris et esſe debeat, et ſit etiam, odioſum atque inviſum: *falſitas* tamen, quae *mendacium* habet *calumniamque* comitem, praecipue alienat ab iis, in quibus habitat, aliorum animos, omniumque ſibi bonorum odia merito conflat Quis enim eum, quem ſuspicetur, ne dicam, quem certo noverit, esſe

esse *calumniatorem*, aditu, congressione, sermoneve dignum judicet? quin eum, quasi maleficum aliquod et noxium animal, refugiat, aversetur, odio habeat, concursumque ejus sibi dirum, tetrum, ominosumque putet! Hoc autem ego tam gravi tamque detestabili crimine te, *Wyttenbachi!*, hic palam accuso, nisi me adulatorii erga *Meerschium* obsequii coarguëris atque conviceris. Caeterum, faxit Deus, ut tuus ab hoc vitio animus tam immunis purusque sit, quam meum esse prae me fero, et ut ea adeo, quae in utriusque *Wyttenbachii*, itemque *Hennertii*, *Rossynii*, *Swindeni*, *Nieuhoffii*, aliorumque clarorum Virorum laudem scripsisti (*), non ad captandam quorumdam benevolentiam, sed ex sinceri animi sententiâ profluxerint. Quâ de re tamen dubitare intelligo haud paucos, quibus indolem moresque tuos a longo inde tempore inspicere datum est. Ajunt enim hi, phaleratis te verbis, si nimirum utilitatem tibi aliquam afferre videatur, homines ducere solere: tantamque in te esse animi perversitatem, ut eosdem viros modo laudes, modo vituperes rideasque. Quam assertionem exemplis quibusdam spectatu non indignis illustrant. — Sed haec *in praesentiâ* hactenus.

Est

(*) Bibl. p. 63.

Digitized by Google

Est vero et aliud, quod praeterire me non posse arbitror, illud puta, quod his verbis significasti: *porro inique ferens, suam virtutem non satis agnosci, neque se novae luci spargendae in Batavas Academias accivi, eas* NYCTOPOLIN *et* SCOTOPOLIN *appellitare; indignari, eas non ita beatas esse, ut a se tam pulcro et lucido sole illustrentur.*

Duo igitur in te suscepisti probanda. Alterum est, me Batavas Academias istis insignisse nominibus: alterum, me inique ferre indignarique, aut saltem tulisse quondam indignatumque fuisse, novae luci, *Kantianae* nempe doctrinae, spargendae, in eas me Academias non fuisse accitum.

Batavas certe Academias, atque in eis *Leidensem* praecipue, in quâ clarissima fulgent lumina, stellaeque splendent primi ordinis, et quam tu ipse, qui te in Philosophiâ *veteranum* dicis, veteris *tuae* Philosophiae Sole, quo nullus alius esse potest aut *pulcrior*, aut *lucidior*, quoad ejus fieri potest, collustras — hanc igitur Academiam, in quâ *Veterani Novitiis*, *Kantiana* castra sequentibus, aliisque *Neologis*, successu, ut novimus, haud dubio! bellum inferunt, verborum his jactationem excutiunt, novorum praecep-

ceptorum humanitatem commonstrant, veterem doctrinam acriter defendunt, novam, ceu *rem ineptam*, rident atque exagitant — hanc ejusmodi Academiam *Nuctopolin*, vel et *Scotopolin*, appellare velle, eum *Phaopolis* potius dicenda foret, ecquis est, mi *Wyttenbachi!* quin tecum scelus habeat atque flagitium, nullo expiandum piaculo? Sed age, proba, si placet, me eum esse, qui tale facinus committere ausus fuerim. *Asclepiadis Agrotaeque* Filii, studiorum communione et amicitiae vetustate tecum conjuncti, operam tibi suam, si forte desideres, pro virili praestabunt. Verum, mihi crede, neque tibi, neque adjutoribus istis, res ex voto cedet.

Fac vero, probari hoc a te tuisque posse (id quod fieri nunquam poterit), eo tamen nondum effeceris, aegre me ferre indignarique, quod nulla me unquam Academia acciverit. Hoc enim alterum est, quod pervelim probes: siquidem et hanc criminationem, priore illâ multo graviorem, mihi objicere non vereris. Ita sane me Deus amet! ut de re, quam narras, ne per somnium, in totâ vitâ cogitavi unquam. Cathedram ipse meam, quae nil ejusmodi prensanti delata fuerat, sponte meâ, quamquam non sine gravibus causis, abdicavi. Illius amor si me tenuisset, eam utique sponte non abdicassem. Vel an

Digitized by Google

hanc putas meae rondum vanitati ſuffeciſſe, aliamque me idcirco, eamque ſplendidiorem, in Batavis Academiis circumſpexiſſe? Quid tu, *Wyttenbachi!* de me credas vel ſtatuas, mea certe parvi interest: hoc vero novi, noruntque omnes, quorum conſuetudine utor, ab indole meâ atque naturâ nihil magis eſſe alienum. Rerum quippe omnium vanitatem, earum quoque, quae ad cathedras pertinent Academicas, jam dudum perſpectam exploratamque habeo; ut, hac etiam in re, fere, cum *Agamemnone* Rege, apud *Euripidem* (*), dicam:

τὸ φιλότιμον
γλυκὺ μὲν, λυπεῖ δὲ προσιζάμενον.

Et quis praeterea non videt, ſi in Batavas Academias acciri cupiviſſem, aliam mihi viam, ab eâ, quam elegi, quamque lubens adhuc ſequor, longe diverſiſſimam, ineundam fuiſſe? Quid enim Vir ille, quem tu ipſe laudas, *Bonnetius*, ſi ego intra veteres manſiſſem Theologiae formulas, et extra cancellos illarum egreſſus nunquam fuiſſem — quid igitur Vir ille tum praeſtitiſſet, aut praeſtare potuiſſet, ſcire equidem haud poſſum: at quid mihi ſaepe ſignificaverit, omnique aſſeve-

(*) Iphig. in Aul. Vers. 21. 22.

veratione affirmaverit, probe scio, sciuntque mecum multi, quibus idem Vir ille clarus ostenderat. Sed nolo de re pluribus scribere, quam ex aliis te intelligere malim, et quam nisi me acerbissime exagitasses, profecto nunquam memorassem. Caeterum, interroga, si tibi tanti sit, omnes, quibus familiariter utor, aut usus olim sum, putentne, aliquâ ratione in me cadere posse, quod tu, sine ullâ ratione, mihi tribuere non erubescis. Testor, ut alios praetermittam, *Bosschium*, Academiae *Leidensis* Curatorem, familiarem tuum, itemque meum, quocum, ut de multis aliis, ita etiam de cathedrâ tuae Civitatis, caeterarumque in Patriâ nostrâ Academiarum, plus semel, ut solent amici, libenter suaviterque confabulatus fui. Nosti Virum, qualis sit, spectataeque eum et fidei et probitatis esse, inter omnes constat. Dicat ergo hic, quoties apertis ipsi verbis significaverim, in gregariis militibus manere, quam ordines me ducere malle: tantum me mihi non sumere; tantum quoque eruditionis, doctrinae, ingenique acuminis haudquaquam possidere, quantum in Viro requiri videatur, qui non dicam Iuventutem doceat atque erudiat Academicam, verum etiam, quod longe majus praestantiusque est, locum suum coram τοῖς ἔξω dignissime tueatur: misereri me tandem istorum homunculorum, quales novi plures, quos sola ca-

thedra, non qui cathedram ornant, curtam possidentes supellectilem, Philosophiam cum Theologiâ aliisque disciplinis miscentes, et *concionale*, ut tuâ utar dictione, *sacerdotium factitando*, quam Academiae, in quâ stipendia merent, gloriae aliquo modo tuendae aptiores. Haec et similia tibi *Boschius* noster se ex ore meo saepe audisse dicat. Tantum profecto abest, ut in Academias me non acciri aegre tulissem, ut, contra, si ejusmodi quid oblatum unquam fuisset, nullâ id ratione accepissem. Verum, ne longus sim, ad alia transeo.

Inique fers, *te publice a me reprehensum esse*. Disciplinae, inquis, necessitudo satis valere debebat, ut ne publice id facerem. Hujus equidem rationis vim non capio: eo minus, quoniam me *auditorem* tuum, non vero *discipulum* dicere *audes*. Quae enim illa esse potest *necessitudo disciplinae*, si nihil quidquam a te didicerim, atque adeo tantum *auditor* tuus, non eo, quo veteres (*) hac voce utebantur, sed *tuo* planeque *singulari* sensu, fuerim? Sed, etiamsi me non *au-*

(*) Exempli causâ, CICERO, *de finibus*. V. 19. „ Qui, cum in hac ipsâ Philosophiâ — excelleret, *Theophrastique* esset auditor," etc.

Digitized by Google

auditorem tantum, verum etiam *discipulum* tuum dicere *auderes*, et reverâ aliquid a te *didicissem*, cur mihi reprehensione dignum reprehendere te non licuisset, modo verecunde illud facerem? Vel an alios reprehendere, praeter te ipsum nemini, licere putas, tuâve doctrinae magnitudine atque orationis Latinae elegantiâ supra omnem cujusque censoris reprehensionem positum te evectumque esse censes? —

Πάντων μὲν κρατέειν ἔθελεις, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν, πᾶσι δὲ σημαίνειν. ἅτιν' οὐ πείσεσθαι οἴω. —

Palam et perverse, ut tibi ostensum est, de *Kantii* doctrinâ, quam neque intellexeras, neque adhuc intelligis, judicaveras, dignumque ita te reddideras, qui palam quoque reprehendereris. Hoc ego feci, nec fecisse me poenitet, si quidem reverenter id humaniterque me fecisse, inter omnes constat. Nam quod *subindicas* (*), (aperte enim loqui non audes) me maledictis te petiisse, tuaeque insultasse patientiae, plane id falsum est, itemque illud, quamvis lepidum (†): *me, ut Kantianum, gratuitam benevolentiam professum, in-*

(*) P. 71.
(†) P. 60.

Digitized by Google

ingratam erga te malevolentiam exercuisse. Quod posterius, utut tuam unice, tuive *Critobuli*, malevolentiam probet, mihi tamen illud *Tullii*, de *Siculis*, quodammodo in mentem vocat (*): *nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant.*

Lectores autem eos, qui tibi fidem habent, quoniam eis meum denuo evolvendi libellum copia deëst, graviter fefellisti, atque id quidem *dupliciter.* Primo namque de me narrasti, quae *vera non esse* unusquisque, modo ne oculorum laboret caligine, videre potest: dein, hoc facere ausus es, posteaquam, solemni quasi oratione, religiose promiseras, in omnibus *Bibliothecae* tuae partibus, inque omnibus judiciis sententiisque, te unam esse culturum veritatem, eamque sanctam atque inviolatam servaturum.

Age, *Wyttenbachi!* audias velim tua ipsius verba. Operae enim pretium duco, ea hic describere, quo magis tibi aliisque appareat et in oculos quasi incurrat, quam tibi sis consentaneus, quamque justus et aequus! In censurâ nimirum *Velleji Paterculi Ruhnkeniani*, postquam dixeras,

(*) In *Verrem.* L. IV. § 42.

Digitized by Google

ras, minimam ſive in laudando, ſive in reprehendendo, negligentiam, quamvis in aliis forte hominibus ignoscendam, minime tamen ferendam in iis esſe, qui ſe de libris ad eruditam civitatem relaturos profesſi ſunt, ita pergis (*): „Nos hunc ſcrupulum ipſi nobis antea exemimus, quam ad cenſuras ſcribendas accederemus, ſtatuentes nobis hanc legem, ut in omnibus judiciis ſententiisque noſtris unam veritatem coleremus, eamque ſanctam inviolatamque ſervaremus, et in neutram partem ab eâ discederemus. Cui quidem legi et huc usque paruimus, et in posterum parebimus, et nunc quoque eam, quocumque nos ducat, ſequemur."

De hujus quidem legis bonitate aequitateque nemo *unus* dubitat. Sed converte jam iterum, ô Cenſor! cenſuram in te ipſum, et vide, an in omnibus tuis judiciis ac ſententiis, de me, de *Horreo* meo univerſe, de illo in primis dialogo, in quo te reprehendi, legi, quae a te ipſo ſtatuta est, ſatis feceris. Ais? Proba igitur, vel *minimam* eorum, quae de me narrasti, partem veritati esſe conſentaneam, et, ne nunc alia requiram, profer exempla, quibus pateat, me maledictis te, in

(*) Biblioth. Vol. I. P. IV. p. 45.

Digitized by Google

in *Horreo* meo, lacerasse, patientiae tuae insultasse, dicteria in te evomuisse, ingratam erga te malevolentiam exercuisse. Reprehendi te fateor: et reprehendere pergam, si quae falsa sunt, quae odiosa, quae reprehensione digna, in chartas conjicere pergas,

εἰ κ' ἔτι σ' ἀφραίνοντα νιχήσομαι, ὡς νύ πεϱ ὧδε:

sed tamen ita te reprehendi, ut me simul magnum in suo genere Virum, variâque doctrinâ praecellentem, venerari ostenderem, et ut mea adeo reprehensio maximam, quin et quorumdam judicio *nimiam*, laudationem secum haberet conjunctam: atque etiam in posterum, si opus esse videbitur, te reprehendam, ut *tuae* tandem ipse parere legi discas, neque ab officii religione tam longe declinare pergas: id, quod in homine censore, qui de libris ad eruditam civitatem referat, minime ferendum esse, equidem tecum arbitror.

Fallaciae igitur, et *duplicis* quidem, ut vides, ego te hic palam reum ago: cum quod de me meâque scriptione narrasti, quae plane falsa sunt; tum quoque, quod fidem expresse datam violasti. Neque enim tantam menti tuae offusam esse caliginem, tantamve animo inesse pervicaciam existimo, ut in mei censurâ libelli *tuae* te legi obediis-

diiſſe, justique cenſoris munus impleviſſe, gloriari audeas.

Interim, pro more tuo, lepide egisti, cum me eo damnasti crimine, quo ipſe reus es, ne ſcilicet aliis in crimine eſſe viderere. Tu enim, cujus ad *Lyndenum* epistolam obtrectationis, et odii, et *malevolentiae* plenam ac plenisſimam eſſe, omnes uno quaſi ore clamant, haec eadem cuncta mihi vitia exprobrasti! Bella profecto eſſet ironia, ſi jocaremur: cum vero aſſeveramus, vide quam ſit vilis, quamque odioſa! Quapropter etiam,

λιγύς πες ἐὼν ἀγορητὴς,

unanimi omnium bonorum ſuffragio damnaris. Et ſi *vel* ea vitia commiſiſſem (quae falſo mihi a te tribui unicuique apparet), longe tamen aliâ ratione me reprehendere, bonoque mihi exemplo praeire debuiſſes. Quâ in re auctoritate nitor *Ciceronis*, cujus haec ſunt verba (*): „ qui ſibi hoc ſumſit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, quis hunc ignoscat, ſi quâ in re ab religione officii declinârit? Postulatur ab omnibus, ut ab iis ſe abſtineant maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderint. Omnia, quae vin-

(*) In *Verrem*. L. III. § 2.

vindicâris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. Etenim non modo accuſator, ſed ne objurgator quidem ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſe deprehenditur." Estque praeterea, ut idem ille dixit (*), proprium ſtultitiae, aliorum vitia cernere, oblivisci ſuorum.

Caeterum, ſi res ita ſe habet, ut vere doctus et literatus, niſi vir bonus, nemo eſſe poſſit: quod tu ipſe quondam eleganter diſſeruisti (†): tam certum mihi est, quam quod certisſimum, tuae etiam doctrinae, magna quamvis illa ſit longeque excellens, multum tamen adhuc plurimumque deëſſe; teque adeo, cum verum, honestum, elegans, ac venustum communi contineatur vinculo, ad illum magnitudinis venuſtatisque ſenſum huc usque nondum adscendiſſe, quo literati, niſi qui ſimul boni ſint animoque puri, incenſos ſe inflammatosque ſentire plane non poſſunt. Etenim, mihi crede, *Wyttenbachi!* quamquam tibi ipſe bonus eſſe videris (§), te tamen minime tam

(*) Tusc. diſp. III. 30.

(†) In vitâ *Ruhnkenii*. p. 241. ſeq.

(§) Tribuit ſibi *Wyttenbachius*, Bibl. p. 6, τὸ εὖ ποιεῖν, aeque ac τὸ εὖ πάσχειν, gloriaturque *ſe recte factis laetari, ſecus factis dolere.* Et in Epiſtolâ ad *Boſchium*, Vol.

Digitized by Google

tam bonum esse, quam omnes te boni mallent, et antea factis tuis moribusque, et nunc denuo, tuâ ad *Lyndenium* epistolâ, omnibus intelligentibus palam fecisti. Verum quid referam hic, quae a te ante facta sunt? vereor enim, ne Lectoris patientiâ abuti videar. Non loquar igitur de injuriâ, quam fecisti *Luzacio*, Collegae olim tuo, Viro ad omnem, cum doctrinae, tum in primis etiam humanitatis vim mirifice exculto, quem horribilis illa *Leidae* clades proh dolor! e vivis eripuit: non loquar de isthoc detestabili odio, quo Virum persecutus es, quem propter singularem animi candorem, nec non multiplicem rerum maxime Graecarum cognitionem, optimi quique doctissimique venerabantur: non loquar de tuo, quo laboras, partium studio, neque de istâ, quam erga praeclaros quosdam hujus Viri auditores, aliosque eximios doctrinâque excellentes Viros subinde manifestas, malevolentiâ: quae tamen om-

---

Vol. III P. III. p. 19, haec legimus: „ Huc accedebat, quod tu bonus homo eras, et me item esse haud dubitares: dicerem, *et ego item bonus eram*, nisi de se ipso haec professio speciem levitatis habere putaretur: magnum enim quoddam hoc est, *bonum hominem esse*, et vere dicitur, χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι: ab aliis tributam sibi hanc laudem accipere licet. — Certe amicitia, nisi inter bonos, esse nequit."

Digitized by Google

omnia digna esse videntur, quae, aliis in exemplum, quo hi a tuis istiusmodi vitiis cavere discant, ad communem omnium perducantur notitiam, et datâ opportunitate publicae exponantur luci. Sed non est profecto, cur e *praeterito* tempore argumenta conquiram: cum *praesens* eorum abunde offerat, illataque mihi a te injuria satis superque doceat, quam longe multumque ab illâ absis animi bonitate, quâ nihil his in terris, nihil in ipsis coelis, potest esse praestantius, nihil pulcrius, nihil amabilius, et sine quâ neque perfectus venustatis sensus in aliquo existere, neque vere doctus literatusque esse quisquam potest. Si enim verum est, (ut est verissimum) quod canit *Juvenalis* (*):

minuti
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
ultio;

sique a *Senecâ* (†) recte dictum est, *muliebris esse ac puerilis animi, ut exulcerata et aegra corpora, ad tactus gemere levissimos*; quam *minuto*, et *infirmo*, et *exiguo*, et *muliebri*, et *puerili* tu igitur sis animo oportet, qui, propter aliquam, eamque humanitatis plenam, re-

pre-

(*) L. v. Sat. 13.
(†) De irâ. L. I. c. 16.

prehenſionem, perinde ac ſi haec injuria eſſet ex atrociſſimarum genere, vehementer ſtomachatus, et, χαλεπῶς ὀργὰς μεταβάλλων, novem fere annos ultionem meditatus viliſſimam, acerrimo tandem vindictae ſtudio, quo totus flagras, turpiſſimum in modum, id est, mendaciis, obtrectationibus, calumniisque undique conquiſitis, obtemperare, et quantum fieri potest, ſatisfacere gestis!

Hanccine igitur litèrarum, quas *humaniores* vocant, vim, hunccine fructum eſſe dicemus, ut, in iis etiam aetatibus, quae jam ſunt confirmatae, quin in ipſâ ſenectute, hominem eis literis imbutum, reddant ſui plenum, malevolum, ſuperbum, imperioſum, inſolentem, maledicum, iracundum, injurioſum, maleficum, inſatiabili tandem vindictae cupiditate aestuantem? Vel an exiguo potius te quoque illorum numero eximemus, qui literarum vim prope divinam, earumque majestatem fere incredibilem, recte perceperint? Non enim omnibus hoc lumen literatis apparet. Quid ergo? nam alterutrum eligamus neceſſe est. Te certe quam literas accuſare praestat: ne ipſam veluti Rationem accuſare videamur, eaque, ut veri est justique amans, tamquam *Achilli Homerica Pallas*, nobis manum injiciat. Tu itaque, *Wyttenbachi!* vir quamvis magnâ ſis doctrinâ atque acri praeditus venustatis ſenſu, vim tamen li-

literarum omnem, earumque propriam ac nativam praestantiam, et ad hominum animos vitiorum faece sordibusque expurgandos efficaciam, recte nondum percepisti: et, cum, in universâ rerum naturâ, illâ, quâ tu cares, bonitate, verae virtutis fonte, nihil sit pulcrius, nihil venustius, omnem adeo pulcritudinis ambitum, universamque venustatis naturam animo nondum tuo comprehendisti. Uno verbo, nondum *vere* doctus ac literatus es; et, quamvis elegantis vir ingenii, pulcrique bonus existimator, elegantiarum tamen ac pulcritudinis sensu haud tam acri tamque perfecto polles, quin cum universe, tum in eis etiam, quas profitere, elegantioribus literis multum plurimumque proficere possis. Imo vero praecipuam pulcritudinis partem nondum attigisti. Quomodo enim is, qui humili abjectâque mente, sui plenus, injuriosus, et calumniator est, ipsam illam, quae bono honesto inest, venustatem ac pulcritudinem animo ceperit, nedum perceperit? Ad illum igitur nondum perrexisti altitudinis divinitatisque sensum, quo doctus nemo literatusque, nisi qui simul vere bonus sit, afflari et calere queat. Quapropter, *Wyttenbachi!* antea quam ad plures abeas, hoc age, ut nunc denuo *a me reprehensus, ac quasi coërcitus, melior reddaris*, et ut adhibitâ medicinâ, gravissimi, quibus tuus laborat animus, morbi curentur. Hic enim, ut jam in-

inter Veteres a quibusdam perſpectum monitumque fuit, Philoſophiae Literarumque finis est praecipuus. Ad virtutem nimirum ſolam humanitatemque, et ad eas actiones, quae virtuti ſunt conſentaneae, omnis, judice *Tullio*, honos, omne ſtudium, omnis admiratio debet referri: ut qui, propter animi voluptatem, colenda maxime eſſe ſtudia dicant, hi profecto ipſi non intelligant, quid hac in re maximum ſummumque ſit. Non adeo igitur quid *expediat*, ſed quid *rectum ſit*, delibera. Illud enim, ut idem ille *Tullius* dixit (*), ſaepe incertum est; hoc ſemper appareat: ita tamen, ut, ſi nos ii ſumus, qui eſſe debemus, id est, ſtudio digni et literis nostris, dubitare non poſſimus, quin ea maxime conducant, quae ſunt rectiſſima.

At vero manum de tabulâ tollendi tempus eſſe videtur. Paratus hoc facere, inque quam denuo epistolam conjiciens oculos, video, perſuadere te Lectoribus velle (†), de Horreario refellendo nunquam te cogitaſſe, neque, ab amicis quamquam admonitum, operae illud pretium duxiſſe. Audi, *Wyttenbachi! Critobulo*, itemque *Philalethi*, ſimi-

(*) Epist. 19. Ed. *Graevii*. T. I. p. 281.
(†) Bibl. p. 78.

Digitized by Google

similibusque tui generis hominibus, hoc persuadere facile potes: mihi autem aliisque non potes. Ἀτεχνῶς καὶ ἀδόλως dicam, quid eruditorum de te vulgus statuat atque perhibeat. Statuunt igitur ajuntque, te, omnibus dominari huc usque solitum, levissimaeque idcirco impatientem reprehensionis, (ut sunt homines, sui adeo pleni) simul atque eam, in quâ te reprehendi, *Horrei* partem, a *Critobulo* tibi indicatam, perlegisses, continuo vehementer stomachatum, de *Horreario*, si quâ posses ratione, *refellendo*, atque in primis *puniendo*, totos fere *novem* annos, fuisse sollicitum, ab eoque inde tempore turpissimam hanc ultionem meditatum molitumque fuisse, potentioris instar Regis,

ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ·
εἶπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῷμαρ καταπέψῃ,
ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ,
ἐν σήθεσσιν ἑοῖσι:

creduht porro ajuntque, te re verâ potius te ipsum, quam *Horrearium*, et refellisse, et vero etiam punivisse; neque refellere te *Horrearium* unquam posse: tandem, de *Horreario* sive ulterius castigando, sive iterum refellendo, te in posterum ne vel unquam cogitaturum; non propterea, quod vacui nihil tibi temporis superfit, vel quod, uti superbe stolideque jactas, *febricitanti*, mi-

Digitized by Google

miſerando potius quam refellendo, respondendum non eſſe existimes: ſed quod istud hominum genus, ad quod ipſum te aggregandum eſſe probasti, cum viris audacibus, qui bonam tueantur veri honestique cauſam, certamen inire plerumque non audeat. Quibus equidem omnibus nihil habeo quod addam, praeter hoc unum: gratum mihi tamen fore ac perquam jucundum, ſi rescivero, de me rurſus *refellendo*, et, ſi Diis placet! *puniendo* te cogitare, eumque in finem, quantum opus ſit ſubſecivi temporis, quotidianis ſtudiis ſubtrahere. Hoc enim ſcias, *Wyttenbachi!* me nec te, *tuâ* licet involutum Latinitate, neque etiam *Critobulum* tuum, nec *Philalethem*, neque alium quempiam fugere.

Dabam
in Suburbano meo *Amſtelodamenſi*.
d. 4 *Junii*,
MDCCCIX.

Digitized by Google

P. 13. aluid lege aliud.

P. 23. κρίνε lege κρῖνε.

κρίναι lege κρῖναι.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PAULI VAN HEMERT

TRIAS EPISTOLARUM

AD

DANIËLEM WYTTENBACH,

Virum clarisſimum.

Ὅστις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ,
ἢ γλῶσσαν, ἣν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν,
οὗτοι διαπλυχθέντες ὤφθησαν κενά.

Sophocles.

AMSTELODAMI.

Apud J. S. van Esveldt-Holtrop,

Bibliopolam regium.

MDCCCX.

Digitized by Google

Digitized by Google

— *Si quis est, qui dictum in se inclementius existimavit esse, sic existimet: responsum, non dictum esse, quia laesit prius.*

TERENTIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA PRIMA.

PAULUS HEMERTIUS

S. D.

DANIËLI WYTTENBACHIO.

Si vales, bene est: ego valeo; aut certe gravisſimo e morbo, qui me per aliquot tenuit *menſes*, meaeque me mortalitatis efficaciter admonuit, adeo convalui, ut epistolam ad Te jam ſcribere posſim: quod ſane, ſi per valetudinem vîresque licuiſet, in animi grati teſſeram, dudum a me fuiſet factum.

Illud autem tuum καθάρσιον, quod, communi Chemicorum conſenſu, partem longe maximam nihil est aliud, quam tuum ipſius *fel*, ſive, ut ait PLINIUS, *purgamentum peſſimumque ſanguinis*, quo tamen, quoniam ei vim ineſſe medicam modeste credis, me a ſordibus meis purgare animique morbos pellere benigne voluiſti —

A tu-

Digitized by Google

tuum igitur illud Καθάρσιον, quod recte componendum, e tuo praescripto, curavi, compositumque fideliter sumsi, tot utique habet tamque varias virtutes, ut de iis dubitem quemadmodum exponam. Vereor enim, ne, si omnes, quibus abundare videtur, explicare dotes incipiam, justum potius, neque unius voluminis, librum, quam epistolam, videar conscribere, nimiâque variarum atque inter se commixtarum rerum copiâ Lectoribus fastidium pariam: aut, si rerum praecipuarum tantummodo summas attigero, ne rudibus Literarum et Philosophiae minus lucide appareat, quantus tu, quamque ἰατρικὸς, vir sis, et quam praestans mihi febricitanti Καθάρσιον praescripseris. Utrique igitur rei, quantum potero, occurram, et medebor cum satietati, tum ignorantiae Lectorum. Quem in finem judicavi optimum esse, quae dicenda habeam, non unâ circumscribere epistolâ, sed materiam tractandam in genera quaedam dispertire, eamque per *tres*, aut, si forte opus esse videatur, (quod tamen nec puto, nec spero) per *quatuor* diffundere epistolas.

Haec igitur, quae *prima* est, epistola tui Καθαρσίου enarrabit praedicabitque virtutes, in meâ a sordibus purgandâ cum Latinâ, tum Graecâ dictione. *Secunda* ejusdem celebrabit virtutes,

Digitized by Google

tes, in maculis eluendis, quae meae adhaerebant philoſophiae. *Tertia* denique reliquas tui Καθαρσίου dotes, ſi non omnes, at praecipuas, fideliter exponet. E quibus omnibus, et ſeorſum, et ſimul ſumtis, cum Cives noſtri, tum Exteri, omnium te Medicorum maximum, humaniſſimumque eſſe mortalium intelligent. Nec dubium mihi ullum eſt, quin te

— — — — *agat pennâ metuente ſolvi*
Fama ſuperſtes!

Ab iis igitur initium duco, quibus meam, cum Graecarum, tum Latinarum, Literarum ignorationem, quae tanta fere, te judice, eſt, quanta eſſe in quoquam ſcriptore poſſit, probare conatus es. De iis autem, quae *Latina* ſpectant, primum dicam. Nam quae de *Graecis* in medium protulisti, ſunt ea profecto tam parca, tamque tenuia, ut vix in illis aliquid eſſe videatur, ad quod reſpondere neceſſe ſit.

Quâ igitur, ad te ſcribens, uſus eram, *Latinitate*, eam reprehendis ac derides. Hanc quippe *pravam* vocas et *balbutientem* (*), meamque di-

(*) P. 134. φιλομαθίας.

dicendi infantiam atque ineptiam risu dignam esse (*), si non *existimas*, certe *affirmas*. Quare etiam, pro tuâ singulari ac paene incredibili humanitate, mihi, amicissime, pro more tuo, hoc consilium das, ut, cum in Latinis, tum in Graecis, *Rudimenta et bonum aliquod Grammaticae Compendium serio ac fideliter discam; dein, ut syntaxi studeam, optimisque legendis Scriptoribus stilum a Belgicismis purgem, et ad Latinum habitum conformem; neque antea Latine quid scriptum edam, quam huic tuo satisfecerim monito* (†). Alio iterum loco (§), amabilissimi tui indutâ *Critobuli* personâ, *in Latinâ quidem scriptione, me mihi* contendis *consuluisse, tua describendo scripta, indeque centonem consuendo meum* (?): *at in futuris tamen, et ubi de meo quid asserim, tot tibi apparere sordes et inficetias, ut infinita esset materia, si omnes dictionis meae Barbarismos, Soloecismos, ac Belgicismos persequi* (**), *et periodorum inter se continuationem, totiusque orationis nexum at-*

(*) Ibid. p. 132.
(†) Ibid. p. 122. 145.
(§) Ibid. p. 85. 86.
(**) Ibid. et p. 122.

Digitized by Google

atque contextum animadvertere velles. Nec mirum: *esse* enim ais (*) (et quis *Wyttenbachio*, homini *nunquam mentito*, tale quid asseveranti, fidem non habeat?) *paucas sine ulcere paginas, et compositionem ubique laborare.*

Nescis utique, mi Optime! quam vehementi dolore haec tua, cum *veritatis*, tum etiam *humanitatis*, plena verba meum animum affecerint. *Hei mihi! disperii, miser perii!* Adversus *te*, tantum hominem, qui, ut *Burmanni* IIdi utar verbis, ab omnibus salutaris

„ *Prodigium, saeclique tui* LACTANTIUS *alter,*
Cui cessit veneres Tullius ipse suas,"

adversus te igitur, quae mea est petulantia atque protervitas, *Latine scribere equidem ausus eram* (†)! Hujus profecto tantae tamque insanae temeritatis poenas qui effugere ego, quem *hominem semilatinum* appellas (§), ullâ ratione potuissem? Itaque mirandum minime est, me, qui

(*) Ibid. p. 86.
(†) Ibid. p. 8.
(§) Ibid. p. 122.

Digitized by Google

qui ne *rudimenta* quidem linguae teneam, multum plurimumque vacillasse, et *Grammaticam*, ut scribis (*), *migrasse*, *novaeque* adeo *reprehensioni praebuisse materiam*, *atque etiam exteris* (quod pejus est!) *ingenii orationisque meae ostendisse barbariem*. Ah me miserum! *Per censuram alicujus haud indocti scriptoris*, *a Latine scribendi gradu*, jam olim, plurimis abhinc annis, *dejectum me fuisse*, comiter amicéque (sic enim soles) in memoriam mihi vocaveras. Et tamen stultus ego *te* monentem *re et facto refutare*, *et ad hunc gradum rursus adscendere* (†) annisus fui! At, proh dolor! temeritatis poenas nunc equidem luo graviores. Denuo namque a gradu dejicior; idque mihi contingit, *per censuram* non magistri cujusdam *Helvetici*, aut paedagogi obscuri, syllabarum minutias aucupantis, easque operosâ diligentiâ persequentis: verum dejicior, per censuram hominis clarissimi; et non doctrinâ tantum, sed *humanitate* etiam ac *liberalitate* (quis enim dubitet?), Censorem illum Belgicum longe longeque superantis.

Hei mihi! quid feci? quis me malus abstulit error?

Ve-

(*) Ibid. p. 8.

(†) Ibid. p. 8 et 9.

Digitized by Google

Verum quid ego hanc meam ſortem lugeo? Beatum potius me praedicem, Diisque gratias agam, dicendi nactus magiſtrum, ſcitum illum doctumque, atque elegantis ingenii hominem, et bonae praeterea frugis, humanitatisque adeo plenum, ut eodem, quo *Thraſo* ille *Terentianus*, jure de ſe dicere poſſit: *nunquam — fui uſquam, quin me omnes amarent plurimum!*

Miſſis vero jocis (a quibus tamen, quoties tuum istud Καθάρσιον in manus ſumo, difficulter me abſtinere faceor) miſſis igitur jocis,

— — — — *amoto quaeramus ſeria ludo,*

et ad ea veniamus exempla, quibus, velut certiſſimis documentis, meam *dicendi infantiam*, *ipſorumque Latinae linguae rudimentorum imperitiam* (*) demonſtrare conatus es.

Itaque, inquis (†), *in primo ſtatim ingreſſu* TER *offendit, ubi ſcribit:* „ *Vixdum* QUATUORDECIM *praeterlapſi* ERANT DIES *a morte filii mei*, — *cum libellum tuum, qui partem* CON-

(*) Ibid. p. 145.
(†) Ibid. p. 86.

Digitized by Google

CONSTITUIT *Bibliothecae Criticae ultimam, a Bibliopolâ misſum accepi.*" *Primum*, QUATUORDECIM DIES *genus loquendi novitium. Si Gallus fuiſſet, dixiſſet* QUINDECIM DIES. *Ergo est ille Belgicismus, ut hic Gallicismus: rectius* DIMIDIATUS MENSIS. *Tum* PRAETERLAPSI. *Nil frequentius hodie, nec tamen Latinum:* PRAETERLABITUR *fluvius; rivus; nos* PRAETERLABIMUR *navigantes locum:* LABI *tempus dicitur:* PRAETERLABI *posſit dici, ſi nullo cum fructu nostro praeterit. Rectius hoc ipſum ponitur* PRAETERIRE, ABIRE, INTERCEDERE. *Denique*, QUI PARTEM CONSTITUIT BIBLIOTHECAE CR.: *immo, qui pars est Bibliothecae ultima, quo pars Bibliothecae postrema continetur.*

Latinae dictioni, ut vides, hic iterum *conſulo, tua deſcribens ipſius verba*, novumque adeo *hunc meum centonem*, ſi ita velis, *conſuens* (*). Scilicet,

hanc veniam petimusque damusque vicisſim.

Si enim ego, hoc nomine, aut peccaſſe olim, aut peccare hic denuo, cenſendus ſim, uti mali-

ti-

(*) Ibid. p. 85. 78. 26.

Digitized by Google

tia tua Lectoribus perſuadere tentat: est ſane quod mihi gratuler, ejusdem culpae ſocium te ipſum habenti. Nam, cum manibus pedibusque, in tuo Καθαρσίῳ, obnixe omnia facis, ut me exagites atque lacesſas, verba quoque mea, et phraſes, et periodos, et integras fere epistolae meae paginas aliquoties repetis: ut, ſi hoc ſit: *centonem ex alienis ſcriptis conſuere:* idem tu fecisſe dicendus ſis. — Sed hoc obiter.

Itaque, ut illuc, unde abii, redeam, *in primo ſtatim epistolae ingreſſu*, TER, ut aïs, *offendi.* Hoc profecto nimium est! Sed videamus, num vera dixeris. Nam non in illis tantum, quae ad *divina oracula* pertinere a multis judicantur, *difficilis ſum ad credendum*, uti pulchre obſervasti (*), verum, in aliis etiam rebus, ad credendum non valde facilem me esſe profiteor; cum *Cicerone* ſtatuens, *tenendum esſe illud* Ἐπιχαιρεκάκιον, *nervos atque artus esſe ſapientiae, non temere credere.* Videamus igitur.

Primum, in quo, te judice, offenderim, hoc est, quod ſcripſi: *quatuordecim dies.* Nescivi, fa-

(*) Ibid. p. 144.

Digitized by Google

fateor, hoc minus Latinum esse, et in Belgicismis reponendum. Sed ne nunc quidem credo; nec video, cur hoc ita tibi sancire lubeat. Dicis quidem, me, si Gallus fuissem, scripturum: *quindecim dies.* Sed, pace tuâ, bone vir! hoc non fecissem, si Gallice scripsissem. *Dimidiatum fere mensem* significaturi dicunt Galli: *une quinzaine de jours:* hoc probe novi. Sed ita non loquuntur, cum *definite* quatuordecim dies, nec plures, nec pauciores, indicare volunt. Ego igitur, si quidem *definite*, *quatuordecim* dies, *non vero plures*, significare volebam, ipsique illi dies nondum plene praeterierant, haudquaquam scripsissem: *à peine une quinzaine de jours s' était écoulée:* sed: *à peine quatorze jours s' étaient écoulés;* et ita, si nescis, linguarum Magister! scribendum Gallice fuisset. Hic igitur toto coelo erras, meamque corrigere volens orationem, turpiter offendis ipse, et oscitans alucinaris. — Praeterea, et hoc falsum est, *quatuordecim dies* Belgicismum esse, neque dici Latine posse. Dic enim, sodes, quidni possit, eâdem ratione, quâ *undecim*, *tredecim*, *viginti dies.* — Tum et in eo offendis, quod scribis: ERGO *est ille Belgicismus, ut hic Gallicismus.* Nam, praeterquam quod tua de Gallorum phrasi observatio, ut vidimus,

ap-

Digitized by Google

apprime est falsa, nequaquam, etiamsi vera esset, inde consequeretur, *dies quatuordecim* adnumerari Belgicismis debere. Fac enim, mi bone! *Gallis*, *quatuordecim dies* definite significaturis, dicendum esse *dies quindecim*: quod tu perverse statuis: quâ, quaeso, ratione ex eo efficias, *quatuordecim dies*, sine Belgicismi vitio, Latine dici non posse? Quis fando audivit unquam, *dies decem*, *quindecim*, *sedecim* pravae esse Latinitatis, *propterea quod* Belgae, aliique terrarum populi, has ita voces conjungere soleant? Dicendumne igitur est, Latinae linguae cum aliis adeo *nihil* esse commune: ut ne duas quidem voces, eâdem ratione, in illâ, quâ in his, componere liceat? *Credat Judaeus Apella!* Quare, Censor aequissime! apage tuum istud ERGO, quod mancum est, atque ab hoc loco alienum. *Disce* porro, *quae discenda tibi sunt* (*), linguam dico Gallicam, usumque artis Logicae: in utroque enim hoc literarum genere *multum vacillare* (†) te video. Denique, et hoc negandum esse reor, *dimidiatum mensem* rectius dici quam *dies quatuordecim*. Utrumque, me

(*) Ita fere *Wyttenbachius* ad me scripsit. p. 149.
(†) P. 145.

Digitized by Google

me judice, dici Latine potest, et apud probatos ſcriptores occurrit. Utrumque probum, et quidem *aeque probum* est, quoties nempe menſis *octo et viginti* conſtat diebus. Tu, *Wyttenbachi!* ſi ſecus ſentis, tuas, age! profer *rationes*, quibus concedam. Tua enim *auctoritas* ſola me nequaquam movet, cum *Tullio* ſtatuentem, *nil tam eſſe futile, quam quidquam approbare non cognitum.*

Viden', ut in primâ jam primae animadverſionis tuae parte *ter quaterve* offenderis? Malum hoc profecto omen est! Sed fortaſſe tamen in posterum res tibi melius ceſſerit! Itaque ad ejusdem reprehenſionis partes duas ſequentes pergamus. — *Tum*, inquis, *praeterlapſi. Nil frequentius hodie, nec tamen Latinum.* ——— *Rectius hoc ipſum ponitur* PRAETERIRE, ABIRE, INTERCEDERE. Et alio loco (*) idem ſignificas,

— — — — *adjecto riſuque jocoque.*

Mihi namque, pro more tuo, inſultans, *elegans*, inquis, *parentheſis, ornata inſuper nomi-*

(*) P. 91.

Digitized by Google

mihi PRAETERLAPSI! — Sed heus! Vir bone, omniumque bonorum optime! *aureus plane es* (*): attamen, quantumvis sis aureus, dic mihi, sodes, quo tempore, aut quâ diei parte, hancce pulcherrimam animadversionem in chartas conjeceris. Non primo, ut opinor, diluculo, sed a coenâ fortasse,

cum furor accesſit capiti, numerusque lucernis.

Oportet enim, *mendacem*, itemque *mordacem* censorem, qualem te omnes norunt, *esse memorem*. Quod nisi censor ejusmodi in animum constanter inducat, continuo est periculum, ne (quod ait Comicus) *fallacia alia aliam trudat*: id quod tibi, Grammatice! evenisse video. Visne, rem declarem? Faciam paucis, ut tuis ipse oculis videas, quid feceris, et quam ridicule *Latinitatis* leges pro lubitu *tuo* migraveris: adhuc enim stultitiam tuam ignorare videris. Antea vero quam declarem, tuum velim arcessas *Critobulum*, qui, medicus cum sit haud infimi, ut ajunt, subsellii, si quid tibi forte mali evenerit, opem continuo ferat: nam, mehercule! vereor, ne,

(*) Ita *Wyttenbachius* suo *Philalethi*, p. 18: „ *aureus plane es, Philalethes!*"

ne, tuam ego prodendo insaniam, terrorem tibi incutiam gravissimum, aut in vehementius aliquod te conjiciam πάθημα, quod, simul cum animi dolore, tibi corporis etiam morbum, quin ipsam mortem, importet. *Est* enim *fama*, ut tempestive narras (*), (*famam* autem *veracem semper*, *mendacem* vero *nunquam* esse, norunt omnes, qui sapiunt!) *est* igitur *fama*, HIERONYMUM ALPHENUM, *optimum virum*, *Horrentii in se jacta convicia adeo graviter tulisse*, *ut* (cujus enim familiaris, *Asclepiadis* filius, non aderat!) *ex aegritudine mortuus sit*. Itaque, bone Vir! idem ne tibi eveniat, paciscor tecum, ut hunc *tuum* hominem arcessas: eâque lege solâ dicam quod res est. Audi igitur, *Wyttenbachi!* Verbum hoc *praeterlabi*, eodem quo a me adhibitum est sensu, *a te* olim usurpatum fuit, adeoque, *te ipso judice*, optimae est Latinitatis! Anno quippe 1780, scripsisti ipse (†): *vix duo menses* PRAETERLAPSI *erant*. etc. Imo vero, *quinque* abhinc annis, tantum adhuc tribuebas hujus phraseos Latinitati, ut *Janum Ottonem Sluiterum*, Virum Clarissimum,

(*) P. 16, 17.

(†) *Biblioth. Crit.* vol. II. P. I. p. 213.

Digitized by Google

mum, alio cum fuisset verbo usus, hunc in modum reprehenderes (*): TOT ANNOS ELAPSOS ESSE, *frequens hodiernis, nec probum. Latinum est*, PRAETERLAPSOS ESSE, PRAETERIISSE. „ Difficile est, ut tuis hic verbis utar (†), huic vel negligentiae, vel impudentiae, parem invenire. Nam aut *impudentia* est, quae peritorum judicium non revereatur, dummodo se imperitae multitudini probet ac venditet: aut supina *negligentia*, eum, qui se dicendi professeatur magistrum, nescire quid ipse olim sanxerit." Dic igitur, mi Grammatice! quo tempore haec phrasis cessârit esse Latina, et quâ tandem de causâ ex hac ejecta fuerit antiquâ Civitate: aut potius confitere, *nisi* hoc ab homine tuae praestantiae postulare nimium sit, vindictae cupiditate insatiabili flagrantem nesciisse te ipsum, quid in chartas conjiceres! — Restat *tertia* tuae animadversionis primae pars. In eo quippe etiam offendisse me judicas, quod scripserim: *qui* (libellus) *partem* CONSTITUIT *Bibliothecae Criticae ultimam.* Esto autem, verbum *constituere*, si rem diligentius exigas, hoc

(*) Ibid. vol. III. P. III. p. 97.
(†) Φιλομαθ. p. 40.

Digitized by Google

hoc ſenſu poſitum, minus eſſe Latinum, mihique adeo ſcribendum potius fuiſſe, ut tu ſubſtituis: *qui pars est Bibliothecae ultima!* Nolo enim de tantulâ re multum contendere. Neque is ego ſum, qui, ſi quid minus recte minusve eleganter a me forte fuerit ſcriptum, hunc meum celari errorem cupiam, aut aliquâ uti deprecatione velim. Ipſe, contra, fateor, *tuam* mihi phraſin *meâ* multo videri meliorem praestabilioremque. Sed affirmare ſimul nullus dubito, nec te ſpero frontem adeo perfricuiſſe, ut negare auſis, verbum *conſtituere*, etiamſi *hoc ſenſu* minus ſit probum, eâdem tamen ſignificatione, in ſcriptis inveniri multorum, non dico Philoſophorum, aut Theologorum, quorum nulla est in Latinâ Civitate auctoritas: ſed Virorum, cum doctrinae laude, tum ingenii excellentium elegantiâ, qui, ut *Donati*, in aliquo ad *Terentium* loco, verbis utar, *conſuetudine magis quam ratione ita dixere.*

Hoc autem ipſum, non de hujus tantum valet verbi uſu, verum etiam de *plerisque*, et fere de *omnibus*, quae, pro *tuâ* aequitate, in meo ſcribendi genere, ac ſi hoc *plane* eſſet *barbarum*, mordaci atque acerbâ reprehenſione excipere tibi lubuit. Ad omnia, quae cavillatus es, ſin-

Digitized by Google

singillatim respondere nolo. Sunt enim ea, pondere quamvis levissima, numero tamen tam multa, ut, si singula persequi vellem, justi haberem libri materiam:

Caetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem Delassare valent FABIUM.

Quod sane neutiquam miror, si quidem ipse olim docuisti (*), *eam esse eloquentiae* (quâ nimirum *tu* tantopere excellis!) *rationem, ut plus valeant ad reprehensionem et vituperium pauca σφάλματα, quam ad laudem multa κατορθώματα!*

Utut est, eorum, quae reprehendisti, *plera-que*, ut dixi, imo *tantum non omnia*, ejusmodi sunt, uti, si ad puriorem formam consuetudinemque Latini sermonis minus accomodata videri queant, praeclarorum tamen, inter recentiores, Virorum exemplis atque auctoritate nitantur. Sinas igitur, ô Optime! ut Comici verba, paululum immutata, in te adhibeam: *facis ne intelligendo, ut nihil intelligas: nam, cum me accusas, Vi-*

(*) Ibid. Vol. II. P. I. p. 29.

Digitized by Google

Viros accusas maximos, quos auctores habeo, et quorum aemulari exopto negligentiam potius, quam tuam male sedulam atque odiosam diligentiam. Verum (quod intelligentibus dubium esse nequit) meum utique dicendi genus reprehensum a te non fuisset, nisi animum tuum, qui qualis sit, et quam pravis laboret παθήμασι, nunc denuo palam fecisti, bilis vehementius turbasset.

Et sunt profecto tuarum hujus generis animadversionum longe pleraeque tanto cum absurdiores, tum etiam odiosiores, quanto meam ipse dicendi infantiam significantius fueram professus. Quid enim? Umquamne ego in lauto eleganti-que scribendi genere magnifice me jactaveram: ut dicere in me *jure* quis posset:

— — *quid tanto feret hic promissor hiatu?*

Nonne, contra, ipse, in *Epistolâ* ad te scriptâ (*), perspicuis verbis declaraveram, *non eo me consilio Latine ad te scribere, ac si viribus ego meis, quae quam exiguae essent, sentirem, per aemulationem quasi et rivalitatem, tecum hac in re contendere vellem, aut certare in hac are.*

(*) P. 5 et 6.

Digitized by Google

arenâ, ailquâ ratione, me posse confiderem? Omnes porro, *quotquot literarum esfent periti, ac venustatis aliquem sensum haberent*, nonne in eo dixeram consentire, *ut primas in hoc genere partes tibi deferrent, neminemque, aut in nostrâ Patriâ, aut alibi terrarum, esse putarent, qui eâdem, quâ tu, suaviter eleganterque scribendi facultate polleat, aut de rebus quibuslibet tam varie copioseque disserere possit?* Quid? quod, in hoc certamine, tibi non de *Latinitate*, sed de KANTII *Philosophiâ Criticâ*, sed de *meâ existimatione bonâ*, quam *utramque* hostiliter fueras injusteque aggressus, mecum erat agendum. *Utramque* enim, quam acerbissimum in modum et sine ullâ ratione exagitaveras, contra tuam Philosophiae insciemiam, et in me malevolentiam, in *Epistolâ* meâ defenderam; atque adeo, quod monuit *Cicero*, in Philosophiâ certe, *res magis spectandas, quam verba pendenda esse* putaveram. Tu vero, ac si non de *rebus*, sed de *verbis* et *syllabis*, inter nos esset controversia, illud omni operâ agis, ut lectoris animum ab eo, quod *praecipuum* atque in nostrâ causâ *unicum* est, avertas: et ita, *res ipsas* vel leviter tangens, vel plane intactas relinquens, *verborum syllabarumque* te

praestas aucupem morosum valde, et omnino ridiculum. Sic, exempli causâ, contra me disputas, adverbium *forsan* Poëtis relinquendum esse, neque in prosâ oratione usurpandum: tuam ad *Lyndenum* Epistolam a me male appellari *prooemium:* Latine dicendum non esse, *aliis inter Lectores*, quippe quod barbarum sit; sed vel *aliis Lectoribus*, vel *aliis legentium:* phrasin *graviori aliquid fini submittere* formulam esse philosophiae scholasticae; et ex eodem hoc fonte derivatam esse phrasin, *producere febrim quartanâ pejorem: porro*, *hominem sui plenum* Latine dici non posse: *ab unâ*, *et ab alterâ parte*, Belgicismis adnumerari debere: male a me scribi *ne vel*, pro *ne quidem; vix* pro *vixdum*; *centies centiesque* pro *sexcenties*, aut *millies; satyram* pro *satiram:* denique (nam plura describere taedet pigetque) *Ludimagistros* inepte a me vocari *morosos*, dicendosque potius esse *saevos*, aut *iracundos:* quae postrema animadversio (ut hoc in transitu moneam) tuo ipsius confutatur exemplo. Morosum enim te esse, aeque ac *iracundum*, et vindictae cupiditate aliquando *saevum*, etsi non *Ludimagistrum*, at *Literarum humaniorum Professorem*, et ego expertus sum, et mecum experti sunt experiunturque haud pauci.

His-

Digitized by Google

Hisce autem atque aliis ejusmodi scholiis quinque et triginta fere libelli tui paginas implere tibi placuit: ut *magno conatu magnas nugas dixisse videare.* Quo namque alio nomine hasce tuas insigniendas esse censes animadversiones minutas, partem sane maximam falsas, ac pro tuo *ipsius mobili* varioque arbitratu expromtas? Quas equidem *nugas*, tamquam a nostrae contentionis causâ prorsus alienas, ac *nigrae* praeterea omnes tinctas *loliginis succo*, minutatim ut cunctas recenseam, ab animo meo impetrare nequaquam possum.

Ne tamen hoc, mihi plane novum, ad quod *me* vocasti, certaminis genus subterfugere omnino videar, animadversionum tuarum nonnullas breviter et quasi cursim perlustrabo: pro certo habens, hinc *denuo* intellectum iri, quam difficiles in laqueos tua te malevolentia induxerit, quamque incertus et fallax dicendi magister ab omnibus, qui sapiunt, haberi debeas.

Vocem *forsan* (ut inde *rursus* ducam initium) esse ais (*) *poëticam*, neque in prosâ oratione usur-

(*) φιλομαθ. p. 83.

Digitized by Google

usurpandam. Itane vero? Magister! Opponere tibi auctoritatem posſem *Curtii*, laudatisſimi Historici. Sed non ignoro, quid mihi, ſi facerem, objecturus eſſes. Provocabo igitur ad *Terentium*. Apud eum quippe hanc vocem legere me memini, in *Andriâ* (*): ubi *Pamphilus: aliquis* FORSAN *me putet non putare hoc verum.* Poëta, fateor, fuit *Terentius*. Illius tamen *Latinitatem* ſecuti ſunt optimi proſae ſcriptores, maximique in dicendo Viri. Ipſe *Cicero* hoc facere haud dubitavit, imo facere ſe, palam profeſſus eſt. *Secutus ſum*, (inquit ad *Atticum*), *non dico Caecilium: malus enim Latinitatis auctor est: ſed* TERENTIUM, *cujus fabellae, propter elegantiam ſermonis, putabantur a Laelio ſcribi.* Quare mirum nequaquam eſt, recentiorum etiam praeſtantisſimos quosque Viros, *Muretum* (†), *Graevium* (§), *Valckenaerium* (*), alioſque

(*) Act. V. Sc. V. vers. 1, 2.

(†) Epist. L. III. Ep. 81. Opp. T. I. p. 648. Ed. RUHNKEN.: *ſed et haec ipſa tibi* FORSAN *uſui futura non ſunt* etc.

(§) Ad *Ciceronis Officia.* II. 9. p. 217. *Hoc* FORSAN *ex ipſâ beneficii naturâ intelligemus*, et alibi.

(*) Praef. ad EURIPID. *Phoenis.* p. 7. 11. et in annot. ad *Phoenis.* p. 105, aliisque in locis.

Digitized by Google

que haud paucos, vocem *forſan*, aeque ac *forſitan*, ſaepe libenterque uſurpaſſe. At enim inquies: ignorasne igitur, quam de tuo *Valckenaerio* olim ego pronuntiavi, ſententiam (*)? *Valckenaerium* enim et *Ruhnkenium* tamquam in librâ ponderans, (*ad libram tollendam ſatis ipſe magnus et robuſtus* (†)) de priore, hunc in modum ſcripſi: „ *Valckenaerius* Latinae orationis caſtitatem et elegantiam nec ſpernebat, nec prorſus negligebat: nunquam tamen in eâ aſſequendâ praecipuum quoddam ſtudium poſuerat; igitur in ſcribendo neque curae multum neque temporis formandae ornandaeque orationi tribuebat; verbis magis rarioribus ac poëticis quam propriis et uſitatis delectabatur, et compoſitio fere dura impeditaque exibat: vix ut crederes, tantam in eo eſſe ingenii celeritatem." Esto! Demus tibi, Virum illum immortalem res magis ipſas, (id quod ſapientis eſſe reor) quam verba pependiſſe: ab isthoc certe, quo *te* in primis delectaris, *vili ſyllabarum aucupio* Vir ſummus quam maxime erat alienus, ut eſſe ſolent omnes Vi-

(*) In *vitâ* DAVIDIS RUHNKENII, p. 137.
(†) φιλολογ. p. 17.

Digitized by Google

Viri *vere magni:* neque a ſuis etiam Literarum ſtudiis illi, quantum tibi, ſupererat otii, ut hujus curaret generis *minutias.* Utut est; mihi ſane ſufficit, *tantum Virum*, aliosque plures, vocem *forſan* in proſâ oratione adhibere haudquaquam fuisſe veritos. Quod cum hi fecerint, *ego homuncio hoc non faciam?* *Habeo* namque *bonorum exemplum; quo exemplo mihi licere id facere, quod illi fecerunt, puto.* Et quid tandem TU me reprehendis, naſute dicendi Magister? Nonne et in *Bibliothecâ Criticâ* (*), quam tu ipſe edidisti, vox FORSAN legitur? Age! *naſo impone dioptram* (ut in *tuâ* fabulâ de *Ludimagistro* narras *rusticano* (†)), atque haec verba relege: „ *in quibus* (ſcilicet, *marmoreârum tabularum frustis*) *nonnullorum ipſius Coloniae Magistratuum*, FORSAN *etiam alicujus Collegii, nomina ſcripta leguntur.*" Dic jam, ſodes, *Wyttenbachi!* quemquamne esſe putas, qúin te, me reprehendentem, in ſtomacho rideat, tritumque illud *denuo* tibi objiciat:

Tur-

(*) Bibl. vol. II. P. III. p. 76.

(†) φιλομαθ. p. 73.

Digitized by Google

Turpe est doctori, quum culpa redarguit ipſum? Adeo quippe verum est, quod dixit Comicus: *apprime in vitâ eſſe utile, ut ne quid nimis!* nam, uti *Hebraeorum* est in proverbiis: *nimium qui emungit fortiter, elicit ſanguinem* (*). Tuum enim in me vetus odium, tuaque inſatiabilis vindictae cupido, te male ſedulum in me *reprehendendo*, et, ſi Diis placet! *puniendo* reddiderunt, tuamque hanc inanem diligentiam ita animarunt, ut, quod olim ſive ipſe, ſive per alios dixisti, mihi nunc idem ſcribenti vitio vertas, omnibusque adeo deridendum te praebeas! Tu igitur, *tanto* licet *nomine vir, quam ſis parvus, vide!* Quapropter, ut ſpero, aegre non feres, ſi te in posterum aliquando *Wyttenbachioli*, aut etiam *Daniëluli* deminuto nomine, vel praenomine, compellem. Etenim, ut Poëtae *Martialis*, ad *Priscum* quemdam, in te adhibeam verba:

Cum te non noſſem, dominum regemque vocabam;
Cum bene te novi, jam mihi PRISCUS *eris!*

Verum, quo magis appareat, *qualis* ſis *dicendi*

(*) *Salom.* Prov. XXX. 33.

Digitized by Google

di magister, in perlustrandis tuis animadverſionibus, ulterius progrediar.

Hominem te vocaveram *ſui plenum et pleniſſimum*. Hoc autem, mihi inſultans (*), aïs *dici Latine non poſſe* (†). Quidni vero potest, aeque ac *impotens ſui* etc? Nihilne ergo Latinum eſſe dicemus, niſi quod *totidem verbis* apud Veteres occurrat? Docuisti nos, per *Mahnium* tuum, dignum profecto, quem tibi dicas *Magistrum Equitum*, qualem mihi dedisti *Scipionem* illum *Nodoſum*, docuisti igitur (§), per hunc tuum Hypophetam, *puero illum eſſe pueriliorem, qui non velit duo nomina jungi, quae non item apud Veteres juncta reperiantur. Viden'*, inquit *Mahnius, quam late hoc ſerpat? Eâdem ratione quis nolit tria, quatuor, ne totas quidem ſententias poni, niſi quae item apud Veteres reperiantur. Hoc vero non est Latine ſcribe-*

(*) Φιλομαθ. p. 99. Ubi dicis, *me hunc Barbarismum in delictis habere, eoque plenum eſſe.*

(†) Ibid. p. 89. 98. et alibi.

(§) Epicris. Cenſurarum Bibl. Crit. vol. III. P. III. p. 34.

Digitized by Google

bere, ſed Latinos exſcribere. Itaque phraſis: *homo ſui plenus:* bene Latina eſſe *potest*, etiamſi apud neminem Scriptorum veterum reperiatur. Sed praeterea nonne *Horatius* dixit (*):

Quo me, BACCHE! *rapis* TUI PLENUM?

Quidni ergo eodem jure dici potest *homo ſui plenus*, Graece ἀυθάδης? Enimvero, inquies fortaſſe, in proſâ orationis ſcriptione a phraſibus abſtinendum eſſe Poëtarum. Audio: ſed nil me moves. Ipſe quondam uſurpasti adjectivum *omnimodus:* quae vox, teste *Ruhnkenio*, est poëtica. Propterea a Cenſore quodam Belgico reprehenſus, hujus vocis uſum in proſâ ſcriptione, operâ et ſtudio *Mahnii* tui, hac ratione defendisti (†): „ *Licet concedamus*, τὸ OMNIMODUS *non occurrere apud Ciceronem, hujusque aequales proſae ſcriptores; tamen inde minime ſequi opinor, hoc adjectivum minus Latinum eſſe, quam* UNIMODUS *et* MULTIMODUS. *Primum, non repugnat analogiae. Deinde, eo ſae-*

(*) Carminum L. III. Od. 25. in initio.

(†) In *Epiſtiſ.* p. 14 et 15.

Digitized by Google

ſaepius uſus est LUCRETIUS, *et posteriori aetate* APULEJUS. *Dii boni! Quid? nonne te pudeat, dixerit fortaſſe quis,* APULEJUM, *istum tumidum ſcriptorem, citare, qui nimiâ antiquitatis affectatione orationem ſuam utrâque paginâ ita obſcuravit, ut lectores potius a legendo deterrere, quam ad legendum allicere voluiſſe videatur? Concedo. Sed habeo quod reſpondeam. Uſus est* APULEJUS *hoc adjectivo, in Apologiâ, quae, eodem teste* RUHNKENIO, *non in umbraculis eruditorum legenda, ſed in fori luce habenda eſſet, et in quâ tam vacuus est ineptiis ſcholasticis, ut ejus orationi nihil, aut certe non multum, ad ſummam ſanitatem deëſſe videatur. Sed quidquid ejus ſit, nimis pueriliter agunt, qui in ſingulis vocabulis ita* CICERONI *tenaces adhaerent, ut omnia proximorum ſaeculorum vocabula faſtidiant, aut Poëtarum optimae aetatis verba, proprie adhibita, a proſâ orationis ſcriptione abeſſe volunt.*" Hactenus *Mahnius*, cujus, etſi longiorem, disputationem hic describere volui, quoniam phraſeos, a me adhibitae, a te vero male reprehenſae, defenſionem continere videtur idoneam. Et praeterea aequum duxi, me non ex *tuis* tantum ſcriptis, verum etiam ex *Hypophetae* tui dilectiſſimi libello, hunc meum *centonem ſcilicet!* con-

Digitized by Google

cenſarcinare. Idque eo feci libentius, quod ipſe, Lectoribus (*) illum *Mahnii* tui libellum vehementer commendans, *eum* dicis, *quamvis parvum, doctum eſſe, et plenum cum accuratâ Latinitatis obſervatione, tum Literarum ſcientiâ:* ſive, ut alio loco jam antea ſignificaveras (†): ſcriptam eſſe hanc MAHNII *Epicriſin docte, eleganter, et cum ſubtili Latinitatis judicio, ut inſtar ſit exempli, quod alii ſequantur.*

In eâdem hac *Epicriſi*, notavit *Mahnius* (§), ſtulte agere eos, qui, *quaſi dictatorio ſpiritu, ſine idoneis argumentorum rationibus, dictionem aliquam reprehendant:* monens ſimul, *illud:* SIC VOLO, SIC JUBEO: *a perſonâ cenſoris plane alienum eſſe debere.* Quod ſane prudens, ſive tuum ipſius, ſive dilecti discipuli, monitum, vellem ut ipſe, in tuo Καθαρσίῳ, fuiſſes ſecutus. Quod ſi feciſſes, permultas, quibus uſus ſum, dictiones virgulâ cenſoriâ aut omnino non notaſſes; aut, ſi notare eas tibi libuiſſet, rationem certe *aliquam* addidiſſes.

Jam

(*) Φιλομαθ. p. 188.
(†) *Bibliоth. Crit.* vol. III. P. IV. p. 128.
(§) *Epier.* p. 20.

Digitized by Google

Jam vero in te convenit illud Comici: *quam ſeverus! rem, cum videas, cenſeas.* „Et ſane videris (*) *istius Homeromastigis perſonam imitari voluiſſe, qui, ut notum est, ubivis nihil aliud, niſi ſuam nimiam vituperandi libidinem declarare ſolebat.*" Quid enim tibi vis respondeam, cum, exempli cauſâ, verba quaedam afferens, quibus uſus fueram, continuo exclamas (†): *compoſitio plane barbara, et ratione carens!* nec tamen ullam adjungis rationis ſpeciem, quâ conſtare mihi aliisque de *barbarismo* compoſitionis quodammodo poſſit? Quid? cum in eodem barbarismi ſqualore mea verba: *aliis inter Lectores:* eſſe affirmas (§). Quid? cum ad verba: *fere extra te raptum:* exclamas (*), *bella dictio Latina, quae Horreario inſedit ex illo Apostoli loco* etc.! quaſi omnes, qui hanc, haud infrequentem, phraſin adhibuerunt unquam, de hoc *Pauli* Apostoli loco cogitarint! Quid? cum voculam QUOQUE, in phraſi: *eo*

(*) Sunt verba *Mahnii*, Epicr. p. 14.

(†) φιλομαθ. p. 87.

(§) Ibid. p. 88.

(*) Ibid. p. 89.

Digitized by Google

et quoque se gerat modestius: ex Belgicismo additam esse ais (*), idemque hoc tuum judicium de voce ITERUM repetis (†). Quid? cum: *objicere cogerer:* barbarum esse clamas (§), oblitus ipsum *Tullium* ita fuisse locutum (⁂), atque immemor a te quoque olim eandem phrasin fuisse usurpatam (‡). Quid?..... Sed ohe! jam satis est: vereor enim, ne Lectori nauseam creëm. Ex omnibus his clarissime elucet, (quod nemini non, etiam aliunde, jam apertum perspicuumque sit) quantopere omnes nervos intenderis, ut me, tamquam hominem prorsus illiteratum, et ne mediocriter quidem Latine scribentem, eruditorum in contemtum adduceres. Quod cum nec feceris, nec facere potueris, ipsa haec tua, eaque varia ac multiplex, injuria exitum mihi, ut ait CICERO, *non turpem ac pudendum, sed glorioſum dedit.* Atque ita rursus tibi maeque existimationi, non mihi, damnum intulisti: etenim

— *Po-*

(*) Ibid. p. 90.
(†) Ibid. p. 96.
(§) Ibid. p. 18.
(⁂) Paradox. c. 3.
(‡) Bibl. Crit. vol. II. P. III. p. 120.

Digitized by Google

— — *Populus te ſibilat: at tibi plaudis*
Ipſe domi!

Sed tecum ulterius progrediar. — *Temporum ac modorum rationem a me ignorari* affirmas (*). Fateor, ſi rem diligentius exigas, me hic aliquando lapſum eſſe. Quod cum ipſe animadvertiſſem, in alterâ, quam vidisti, *Epistolae* editione mutandum curavi. Neque hic deprecatione aliquâ uti volo. Quis enim tam est Lynceus, qui tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat? Ipſi *Tullio*, cujus haec ſunt verba, ejusmodi quid non ſemel accidiſſe, multi ſunt qui putent. Tu quoque quin hac in re aliquando peccaveris, non est dubium. Quidquid id est; operae pretium me facturum arbitror, ſi tibi in memoriam ea revocem, quae de *temporum modorumque ratione* quondam ipſe ſcripſisti (†). „ Pro *videbatur*, (ſic aïs) *Morus* malit *videatur:* propterea quod etiamnum rem judicantibus ita videatur. Nos, ut

(*) φιλομαθ. p. 87.

(†) Biblioth. Crit. vol. II. P. II. p. 73, in cenſurâ editionis C. *Julii Caeſaris*, curatae a *S. Fr. Nath. Moro*, viro clariſſimo.

Digitized by Google

ut hoc loco non repudiamus ejus correctionem, ita mallemus aliis locis abstinuisset manum a corrigendâ temporum modorumque ratione, *quam quidem nemo adhuc accurate tradidit*" etc. Non *Apollinis* magis verum est responsum, quam haec ipsa verba.

Porro, me reprehendis, quod scripseram: *quibus te turpiter dedisti.* Primum, hanc phrasin fugillas (*), licet, ut ipse dicis, *Terentiana* sit. Apud hunc enim scriptorem legimus: *mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo* etc. Te autem judice, addere debueram praepositionem *cum*, vel *in*? ut phrasis sit: *quibuscum*, sive *in quibus; te turpiter dedisti.* Sed heus, *Wyttenbachiole!* unde, quaeso, tuum hoc judicium probas? Auctoritati enim tuae quis fidem habere possit ullam? Cur tandem praepositio *in*, vel *cum*, erat addenda? Nunquamne igitur, etiam apud auctores probatissimos, praepositio *in* omittitur? Ergo dic, sodes, quid impediat, quominus, ut in multis aliis phrasibus, ita et in hac, intelligatur *in.* Nil profec-

(*) φιλομαθ. P. 914

Digitized by Google

fecto impedit, nisi tuum istud: *sic volo, sic jubeo:* quod, cum te ipse *censorem* feceris, a tuâ in primis personâ, te ipso, sive *Mahnio* judice, *plane alienum esse debebat.* Dein, eo te procedere impudentiae video, ut narres Lectori (*), me dictionem *Terentianam* confudisse cum phra. si frequentiori, *alicui vitio se dare*, atque ita *ablativum pro dativo accepisse.* Ignoravi igitur, *turpiter se dare in aliquâ re* longe aliud quid esse, quam *alicui vitio se dare!* tantusque praeterea fuit animi stupor, ut *ablativum* (*quibus*) acciperem pro *dativo!* Dic vero, hominum impudentissime! unde nosti, me in tantâ Latinitatis ignoratione versari? Adeone videntur tibi Lectores tui esse idonei, in quibus sic illudas, ut eos istuc tibi, etsi incredibile est, credere velis? *Incredibile* autem esse hoc, quod tu calumniaris, quis neget, qui verba mea inspexerit? Sunt autem haec: „Justi equidem libri materiam haberem, —— si cuncta prolixe recensere accurateque notare vellem, *quibus te turpiter dedisti*, et *Kantium*, novitiaeque formulae sectatores, quos vocas, a te non intellectos esse probasti." Nisi igitur homo esses fron-

(*) Ibid.

frontis ferreae, ipse loci contextus in ruborem te totum daret. Aperte enim, cum hic, tum alibi, in tuo libello, non tantum veritatem violas, sed ne id quidem curas, ut formam saltem ejus et extrema tamquam lineamenta serves.

En vero novum aliquod *syllabae*, sive potius *literulae*, aucupium! Scripseram nimirum *satyram*. Immo, inquis (*), *satiram*. — *Satyra nihili est: ortum nomen per imperitiam librariorum* etc. Audio, *Danielule!* sed edictum tuum nequaquam curo, nec me rugis tuis dictatorisque alto supercilio decipi patior. Plus apud me valet auctoritas *Euanthii*, eruditissimi veteris Grammatici, qui, teste *Hieronymo*, regnante *Constantio*, *Constantini* filio, floruit. Quocum facit noster *Daniël Heinsius*, qui *a communi*, quam ego secutus sum, *scribendi consuetudine* (per *y*) *non esse recedendum*, pluribus docuit (†). — Caeterum, operae pretium est, paulisper attendere, quomodo et quam turpiter haec mea verba vellicaveris. Ita nempe scripseram:

(*) Ibid. p. 97.

(†) Vide, sis, praestantissimum *Jacobi Facciolati* Lexicon, in voce *Satyra:* ubi *Heinsii* locus indicatur.

Digitized by Google

ram: „ Talia ignorantiae atque impudentiae prodigia in libris hominum tui generis invenienti difficile est, satyram non scribere. Sed vero blanditiis ejus atque illecebris meam equidem impediri nolo disputandi severitatem.“ Quibus verbis nescio equidem quid clarius et ad intelligendum facilius proferri possit. Quid vero tu, pro eâ, quâ es reprehendendi libidine? *Obscure*, inquis, *et inepte dictum. Et dubium*, CUJUSNAM *blanditiis? Satirae, an ignorantiae et impudentiae. Tum dubium quoque, utrum Horrearius, an alius, satiram scriberet* etc. *Denique in has turbas bonum hominem induxerunt ipsae illecebrae loci Ciceroniani, de Finibus*, III. 1. *Hunc locum e Lexico nactus*, (e quonam? praeter illud enim, quod modo laudavi, *Facciolati*, nullum aliud Latinitatis Lexicon possideo) *facere non poterat, quin eum, quamvis absurde, suo centoni asseueret.* Ad cavillationes autem tam absurdas, tamque pueriles, atque odiosas, quis, nisi ab omni aequitate plane sit alienus, serio esse respondendum putet? — Pergamus igitur.

Scripseram: *beatum te praedico, amicos possidentem, quos tuus iste garritus ita delectat, ut saturari eo vix posse videantur.* Ad quae verba,

ha, pro more tuo, exclamas (*): *Belgicismus!* et hanc adjicis rationem: *posſidemus res, non perſonas* etc. Dein mihi inſultans, *mirum* eſſe *me* dicis (†) POSSIDENDI *amatorem!* Quod posterius, etiamſi *ridiculum* videatur, certe non *feſtivum;* aut, ſi *feſtivum*, certe non *venuſtum* quis dixerit: à veritate enim, atque aequitate, quam longisſime remotum est. Ajunt autem vulgo, TE illum eſſe, qui marſupii curam non mediocrem habeas; et hinc tu, meum, ut puto, animum ex tuo ſpectans, in ejusdem adducere me tentas ſuſpicionem vitii, ut facere ſolent homines parvi. Sed miſſo, quem mihi oblique injurioſeque tribuis, *miro poſſidendi amore*, phraſin ipſam examinemus. Ergone *poſſidere amicos*, te judice, Latine dici nequit? Quod ſi est, ut autumas, mi Grammatice! *Ciceronem* potius, quam me, reprehendas. Illius enim haec ſunt verba (§): *amicitiarum ſua cuique permanet ſtabilis et certa poſſeſſio.* Dein, ô naſute! ad *Graecos* abeas, eosque tuis asperioribus facetiis fortiter perſtringas.

(*) φιλομαθ. p. 103.

(†) Ibid. p. 112.

(§) In *Laelio.* c. 15.

Digitized by Google

gas. His enim nil fere est usitatius, quam *verum amicum* κτῆμα (*possessionem*) appellare. *A multis audio*, inquit *Socrates*, apud *Xenophontem* (*), ὡς πάντων κτημάτων κράτιστον ἂν εἴη φίλος σαφὴς καὶ ἀγαθός. Et κεκτῆσθαι φίλους phrasis est Graecis valde frequens. Itaque aut egregie falleris ipse, aut alios fallis, cum ex *tuâ* auctoritate (quae plane nihili est) scribere audes: „ possidemus *res*, non *personas*, *nisi si nostro dominio subjectae sint.*" Bella fortasse sit atque aurea haec tua distinctio, tantoque magistro et Philosopho digna! eam tamen, mihi crede, Veteres ignorabant: *amicos* quippe *suos* hi κτήματα et θησαυροὺς dicebant (†), aut *optimam* eos *et pulcherrimam* vocabant *supellectilem:* quae dictio, si nescis, ab ipso *Tullio* (§) est adhibita. Caeterum, *Wyttenbachiole!* audias velim *Muretium*, Virum in hoc Literarum genere magnum, qui meliora te doceat. Hic enim *possi-*

(*) Memorab. L. II. c. 4. Vol. IV. p. 95. Ed. *Thiem.*

(†) Hinc vetus quidam Tragicus:

φίλους ἔχων νόμιζε θησαυροὺς ἔχειν.

(§) l. l.

ſidere, inquit (*), *est habere, tenere, obtinere, habere rem in potestate; et eo verbo Veteres in omni rerum genere utebantur. Sic* POSSIDERE AMICOS, *mores, regnum, artem, virtutem, cæteraque nullo discrimine in eorum ſcriptis legimus.*

Nec minus falleris, aut certe iterum Lectores fallis, in reprehendendâ meâ phraſi: *hoc me valde* URIT, *justâque animum indignatione complet* (§). Ne longum faciam, tuus ipſe *Ruhnkenius* verbum *urere* ſic adhibuit, loco, quem tu ipſe, in hoc tuo κακοζηλίᾳ, protulisti (§). Dein et hoc falſiſſimum est, non niſi de *pravis animi affectibus* verbum illud uſurpari. Evolve Lexicon *Facciolati* tui, et vide, quomodo, idoneos adducens veterum ſcriptorum locos, vir doctus probet, verbum *urere*, ad animum translatum, ſæpe idem eſſe ac *pungere, ſtimulare, angere, cruciare, coquere, molestum esse* (*): ut

(*) Opp. T. I. p. 644.

(†) φιλομαθ. p. 107.

(§) Ibid. p. 78.

(*) UREBAT *nobilem populum ablatum mare* etc. Ita *Florus*, cujus locum adduxit *Facciolatus*.

Digitized by Google

ut adeo nec lepidum sit, nec festivum, quod de *mei morbo animi* adjicere tibi placuit, *tuamque* potius, quam *meam*, manifestet *invidiam*.

Rides porro, sed sine justâ causâ, phrasin *conscendere cathedram*, eamque *concionalem Belgicismum* vocas (*). At cur haec phrasis minus est Latina, quam ea, quâ *Suetonius* usus est, *conscendere tribunal?* Festivo esse volenti quam facile est, et hic tecum exclamare: „ *quasi illud* TRIBUNAL (*illa cathedra*) *fuisset equus, aut navis, aut hujusmodi quid*"! Ipsam autem phrasin *cathedram ascendere* legere me memini apud *Richardum Bentlejum* (†): ut igitur non sit, quod me ejus (quem *tu* vocas) *Belgicismi concionalis* valde pudeat!

Et in hoc quoque *credulos*, si qui sint, Lectores fallis, quod nomen adjectivum *probabilis* idem esse scribis (§) ac *mediocris, aut paulo plus*,

(*) Φιλομαθ. p. 102.

(†) Orat. in Comitiis habita, et praefixa Editioni Terentianae, paginâ, si numeres, penultimâ.

(§) Φιλομαθ. p. 105.

Digitized by Google

plus, et *Valckenaerium* adeo, me cum diceret, *discipulum ſuum non omnino improbabilem*, ſignificare tantum voluiſſe, *mediocritati me eſſe propinquum:* unde tandem efficere conaris, *me*, ſi quidem hoc ipſe mihi *Valckenaerii* testimonium *laudi duco*, *Latina verba non intelligere*. ô Lepidum Magistri caput! Facile autem mihi eſſet hoc telum retundere, ſi ipſum *Valckenaerii* testimonium recitarem: modestius enim enunciavi, quod a Viro ſummo in laudem meam ornatius atque honorificentius erat ſcriptum. Sed ipſius nominis vim perſequi, quam huic vanitati indulgere malo. Ain' igitur tu, Grammatice! hanc ejus nominis vim eſſe, ut ſignificet *mediocre*, *aut paulo plus?* Equidem neſcivi hoc: neſciverunt, opinor, et alii, quos tu *Semilatinos* vocas. Sed, heus mi bone! etiam ſi ex capite eſſes natus *Jovis*, ne vel ſic tamen tibi ita garrienti crederem. Quid? *probabilis orator* (quae phraſis *Ciceroni* frequens) an ipſi tantumdem ſignificat, quantum *orator mediocris?* Cumque idem ille in initio *Paradoxorum* ſcribit: „ animadverti, *Brute!* ſaepe *Catonem* — locos graves ex philoſophiâ tractare, abhorrentes ab hoc uſu forenſi et publico, ſed dicendo conſequi tamen, ut illa etiam populo *probabilia* viderentur"; num ibi igitur hoc dicit *Cicero*, conſecutum

tum esse *Catonem*, ut ea, quae in Senatu e Stoicorum afferret philosophiâ, populo *mediocria* viderentur? Hanccine *tu* vocis significationem esse autumas, cum idem ille *nihil tam esse incredibile* affirmat, *quod non dicendo fiat* PROBABILE? Verum quid plura? novi enim, mihi, et hic, et in totâ disputatione, tam cum malevolentiâ acerrimi hostis, quam cum ignorantiâ hominis vani esse certandum?

Dein, improbare te video vocem *audax* (*), ac si *audacia* in laude censeri Latine non possit, atque ego, me *audacibus* viris aggregans, *inepte dixerim*. Et hic, ni ipse fallaris, Lectoribus denuo imponis. Quis enim est paulo elegantior, cui illud *Virgilii* non continuo succurrat: AUDACIBUS *annue coeptis*? Neque alio sensu a *Tacito* vocem *audacia* adhibitam esse putem (†), *Barbaris*, inquit, *quanto quis* AUDACIÂ *promtus, tanto magis fidus* etc. Et ita quoque adverbium *audaciter* apud *Terentium* occurrit (§): ubi

(*) Ibid. p. 120.

(†) Annal. I. 57.

(§) Heautont. I. 1. 6.

Digitized by Google

ubi *Chremes Menedemo: vel virtus tua me, vel vicinitas facit, ut te* AUDACTER *moneam et familiariter.*

Nec meliori jure phrasin improbas: *aliquem fugere* (*). Quid? Nunquamne igitur in *Virgilianis* Eclogis legisti:

— — — *in me mora non erit ulla; nec quemquam* FUGIO?

quem locum in animo me habuisse fateor. Nec *Virgilius* tantum, sed et *Terentius* ita verbum hoc saepius usurpavit: exempli causâ (†): *is hinc bellum* FUGIENS; et iterum (§): *nunc me ipsum* (laborem) FUGERE; et denuo (‖): *tuum conspectum* FUGITAT. Miror equidem, *Danielule!* et quis mecum non miretur? tuam cavillantis impudentiam ac temeritatem prorsus incredibilem, quâ singulas fere dictionis meae phrases, etiam optimas, et a probatissimis quibusvis, cum an-

(*) φιλομαθ. p. 120.

(†) Andr. V. 4. 32.

(§) Heautont. I. 1. 114.

(‖) Ibid. III. 1. 25.

Digitized by Google

antiquis, tum recentioribus adhibitas, acerbisſime perſtrinxeris: quo factum, ut et *te ipſum*, (quo neſcio quid ridiculum magis eſſe dicique poſſit) et Viros in dicendo maximos, teque multo majores, altisſimo Dictatoris, ſive potius *magistri*, ſupercilio, tanquam homines imperitos ac *semilatinos*, reprehenderis, eorumque verba et ſyllabas *ſaepe* ſugillaveris, atque aſperioribus facetiis perſtrinxeris. *Haec igitur omnia putanda ſunt humani ingenii*, quod profiteris, *manſuetique animi*, quo gloriaris, *officia!* Ipſum *Muretum*, at quantum Virum! ipſum adeo *Muretum* (ut de aliis nunc taceam) illorum exemisti numero, qui *Latine vel mediocriter docti ſint.* Scripſerat hic nimirum (*): „ injustitia praecipue alienat ab iis, in quibus est, aliorum animos; omniumque ſibi odia conflat." Hunc autem locum ego ſpectans, de *falſitate* dixi, *eam ab iis, in quibus habitat, aliorum animos alienare, omniumque ſibi bonorum odia merito conflare.* Ad quae verba tu ſcribis (†): *Nemo Latine vel mediocriter doctus hoc dixerit! nam odium v. c. aut in-*

(*) Opp. T. I. p. 790.

(†) φιλομαθ. p. 97. III. 116.

Digitized by Google

invidiam, alteri CONFLARE *dicitur, non sibi ipsi* etc. Hisce et similibus scholiis, deridendum te omnibus dedisti.

Rideris, multoque magis tradidere, PRISCE!
Quam nudus medio si spatiere foro.

Imo, ne vivam, *Wyttenbachiole!* si mihi tua scriptio non modo nil quidquam intulerit mali, sed et risum saepe vehementiorem legenti moverit. Cogitabam enim mecum continuo *Horatianum* illud:

— — — — — — — *Amphora coepit*
institui: currente rotâ, cur urceus exit?

Quin profecto ne *urceus* quidem, aut *urceolus*, vasculum fictile, exiisse videtur!

Indicatus *Mureti* locus non dubito quin tibi novae reprehensioni ansam daturus sit; quod nimirum, suppresso Viri nomine, verba tamen ejus usurpaverim. Video enim, hoc mihi a te, gravissimi loco criminis, exprobrari, quod dicta quaedam *Ciceronis* aliorumque, mutatis (quod ajunt) mutandis, ad meos usus aliquando aptaverim, neque auctoris, quem imitarer, nomen semper expresserim. Quâ in re si quid a me peccatum sit, auctores, cum veteres, tum recentiores, in Literarum historiâ celebritatem nactos, immo ve-

vero TE rursus *ipsum*, culpae equidem socios habeo. *Virgilius*, v. c. qui solus ex Antiquis ad *Homeri* praestantiam proxime accessit, nonne hujus exemplum, cum in descriptione argumenti, tum in ornamentis et omni carminis cultu, secutus est? Multas praeterea easque elegantissimas imagines nonne ex *Apollonio Rhodio* assumsit? Neque vero unus fuit, qui ab hoc fonte hauriret *Virgilius:* fuerunt reliqui poëtae, tam Latini, quam Graeci inferioris aetatis (*). Et quot Panegyrici veteres orationis colorem ex Latinis duxerunt Poëtis, qui antiquiores expresserant *Homericas* imagines! Quot locos vel adumbrarunt, vel expresserunt *Ciceronis*, ejusque ubertatem ad breviorem contraxerunt orationem (†)! Quid multa? Tu ipse, *Wyttenbachi!* imagines verborumque ornatum e Graecis Latinisque, cum Poëtis, tum oratoribus, aliisque Scriptoribus, assumere soles. Fecisti hoc, in omnibus, quae edidisti scriptis. Illud, v. c. quod in *famosâ* tua ad *Boissium* nostrum Epistolâ occurrit (§): *ami-*

(*) Bibl. crit. vol. II. P. II. p. 27. 31.

(†) Ibid. P. I. p. 18. seqq.

(§) Ibid. vol. III. P. III. p. 19.

Digitized by Google

amicitia nisi inter bonos esse nequit: nonne ex *Tullii*, a te non nominati, depromtum est *Laelio?* Quin et in ipso hoc tuo φιλομαθίας libro, multa monstrare veterum loca posses, quae ad scriptionis tuae accomodaveris consilium. Hac igitur in re si quid ego peccasse censear, te quoque culpâ non vacare dicam. Sed quis tam amens, qui te *hoc nomine* accuset, aut eadem tibi objiciat, quae mihi obgannire non erubuisti (*)? Veterum enim dicta vel adumbrando, vel exprimendo, cur orationi suae cultum ornatumque conciliare hodiernis hominibus non liceat?

Et tu, *Wyttenbachi!* ornatum hunc in primis spectasti. Erat namque argumentum, ut ais (†), ἄμουσον; et tu tamen, quâ vales arte, *hujus argumenti μουσικῶς tractandi rationem ostendere* volebas! Hoc quippe ut faceres, *concessisti desideriis Lectorum, flagitantium* ut quod inchoâras *pergeres.* Et recte sane prudenterque haec ultima verba adjecisti, ne quis forte rogitet, cur tandem, in tantâ suavium argumentorum copiâ at-

(*) φιλομαθ. p. 116.

(†) Ibid. Proœm. p. 11.

atque abundantiâ; argumentum tractaveris; quod tibi plane videatur ἄμουσον aut ne quis audacter dubitare se profiteatur, fueritne omnino *aliquis* Lectorum intelligentium, qui tuam illam ad *Lyndenium* Epistolam, in quâ argumentum ἄμουσον μουσικῶς *tractare inchoasti!* ab omni parte probaverit. Quantum certe ex Ephemeridibus, quas tu pro lubitu, et prouti res ferunt, modo laudas, modo vituperas, judicari potest, nec *desiderantium* Lectorum numerus ingens, neque ardentia *flagitantium* fuisse desideria videntur. Palam enim, ut nosti, a communi Censorum turbâ vapulasti, eruditissimis optimisque viris altâ saepe voce probantibus. At vero, *Wyttenbachi!* nunc nos fecisti certiores, fuisse revera *Lectores*, quorum *desideriis* tibi esset cedendum; omnisque adeo cessare jam debet cum *rogatio* nonnullorum, tum aliorum *dubitatio!* Si quis tamen incredulorum de veracitate tuâ hujusque testimonii veritate contumaciter dubitet, sciat velim, te, *Lectores* memorantem *desiderantes* et *flagitantes*, forte *adulatores* tuos, aut si quos habeas, *amicos*, certe *Critobulum*, intellexisse. *Hunc* enim hominem *tuum* ajunt amicum esse, familiarem, ac necessarium, et paria quodammodo studia, pares fere mores, tecum sequi: ut mirum non sit, quamvis tu tibi solus sufficias, *hunc* ta-

tamen *unum* virum in tuam necessitudinem a te esse receptum. Nam, quod in *Laelio* dicitur, „ serpit nescio quomodo per omnium vitas amicitia; nec ullam aetatis degendae rationem patitur esse expertem sui. *Quin etiam si quis ea asperitate est et immanitate naturae, congressus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis* TIMONEM *nescio quem accepimus; tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem* EVOMAT VIRUS ACERBITATIS SUAE.

Caeterum, quod me dicis loca Veterum, quae usurpavi, *non intellexisse*, aut, *de meo quid addendo, ea deteriora fecisse;* itemque, *nexum* orationis meae *durum* esse atque *inficetum* (*): illud omne in eodem esse maledicorum commentorum genere, intelligentibus et aequis judicibus satis superque apparet. Quo et istud pertinere existimo, me tam esse stupidum, ut mea, quibus usus sum, Latina verba ipse non intelligam, et imprudens quod nolim dicam (†). Scripseram ni-

(*) φιλομαθ. p. 116. 122.

(†) Ibid. p. 113.

Digitized by Google

nimirum (*): „ Tantum profecto abest, ut in Academias me non acciri aegre tulisſem, ut contra, ſi ejusmodi quid oblatum unquam fuisſet, nullâ id ratione accepisſem." Quae verba, aequo humanoque Lectori, ſatis, ni fallor, manifesta, pro tuâ, quâ es, ingenii perverſitate, ita torques, ac ſi dixisſem, *me oblatum munus accepturum quidem fuisſe*, SED *ſine ratione.* Ad eundem modum qui veterum Scriptorum libros interpretari velit, maximos profecto errores is committat, quorum tamen eosdem viros appellare auctores patronosque haudquauquam posſit. *Tullius*, ut hoc uno exemplo utar, de *Orpheo* haec habet (†): „ *Orpheum* Poëtam docet *Aristoteles* nunquam fuisſe, et hoc *Orphicum* carmen *Pythagoraei* ferunt cujusdam fuisſe *Cecropis.*" Putasne igitur, *Wyttenbachi! Ciceronem* ſibi velle, nullum unquam *Orpheum*, quem Poëtam dicunt, fuisſe; aut fuisſe quidem virum, nomine *Orpheum*, ſed hunc *poëtam* non fuisſe? Neuter nostrum hoc, opinor, crediderit. Quid ergo? Significat tantum *Cicero*, illum, cui quaedam

(*) Epist. p. 68.

(†) De nat. Deor. I. 38.

Digitized by Google

dam poëmata tribuebantur, *Orpheum Odryſium* non fuiſſe. Et quis est, qui nesciat, apud optimos, cum Antiquitatis, tum recentioris aetatis, Scriptores locos inveniri complures, in quibus ſenſus, qui aliquid videatur habere dubii, e ſolo contextu erui *colligique* debeat? Et in tuis etiam *ſcriptis*, mihi difficile nequaquam eſſet, ejusdem generis exempla quaſi digito monſtrare. Hisce vero cavillationibus atque ineptiis, vaferrimo veteratore quam docto homine dignioribus, diutius immorari nolo.

Sed vereor, ne mea haec de *Latinis* disputatio Lectori jam videatur justo copioſior. Igitur ad *Graeca* tranſeo. De quibus, quoniam ea, quae animadvertere voluisti, perpauca ſunt, et *Latinis* multo tenuiora, brevior etiam mea eſſe poterit oratio.

Hoc autem loco probandum tibi ſumſisti (*), *tantam in me eſſe, cum litterarum, tum rerum, Graecarum ignorantiam, ut mihi opus ſit, aliquod Rudimentorum compendium diligenter*

(*) φιλομαθ. p. 77. 85.

Digitized by Google

ter discere. Videamus, ô Optime! ut tutum hoc probes judicium.

Et principio quidem affers dictum Graecum, a me adhibitum (*): φιλεῖ γὰρ κ. τ. λ. : in quo duo a me vitia commissa esse observas: primum, quod ἑαυτὸν legitur pro ἑαυτοῦ; alterum, quod a metro aberravi, ponens γὰρ pro δέ. Verum est, quod dicis. Aberravi nimirum *de industriâ* a metro. Illud enim δὲ meorum contextus verborum respuebat, requirens γὰρ, aut simile quid. Hinc, quoniam non *metrum*, sed *sensum*, sive *sententiam solam* spectabam, illud quam hanc mutilare malui, et pro δὲ substituere γὰρ. Quod quidem quatenus facere liceat, videant disceptentque alii. Tu certe, *Wyttenbachi!* qui hoc toties ipse fecisti, et hanc acriter defendisti licentiam (†), sine tuâ ipsius turpitudine exprobrare hoc mihi nunquam poteris. Itaque, quod

(*) Ibid. p. 77.

(†) Duo loca, quae huc pertinent, adducta jam esse video a Viro quodam doctissimo, in Libello vernaculo, cui titulus est: (si vertas) *Censor etiam censorum.* T. IV. P. 8. p. 722.

Digitized by Google

quod unusquisque videt, hic neutiquam *peccavi*, *metri ignorantiâ*: quemadmodum tu Lectori persuadere conaris, ut me, eâ ratione, tuae metri ignorantiae *socium* facias, animique dolorem atque aegritudinem, quâ mea te affecit morum in metrum peccatorum reprehensio, hac a te fictâ simulatâque *societate* quodammodo lenias. Sed hac de re suo loco pluribus. — Deinde et hoc verum est, pro ἑαυτοῦ legi ἑαυτὸν. Ita *legi* dico: sed nego, ita *scriptum a me esse*. Est enim manifesto mendum typographicum, quod, cum in *priore Epistolae* editione me praeteriisset, in *alterâ* corrigendum, inque ἑαυτοῦ, quod scripseram, mutandum curavi. Cur vero tu hanc secundae editionis mutationem, a me ipso factam, plane retices, ac si facta non fuisset? Hoccine ergo liberalis est animi, typothetarum menda, eaque jam diu ante tui Καθαρσίου editionem a me ipso correcta, mihi vitio dare, atque inde ansam arripere, Lectori, si credulus sit, persuadendi, usque adeo indoctum me esse, ut nesciam, verba *plus se ipso* Graece sonare πλεῖον ἑαυτοῦ, in casu *genitivo*, non ἑαυτὸν, in casu *accusandi!* Pudeat te impudentiae tuae ac maledicentiae: praesertim, cum *ingenuitatis* studiosum te profitearis, et *a me ne*

vim quidem hujus nominis intelligi dicas (*)! Sed forte contendis, credo, Graecam, quam attuli, ſententiam a me intellectam non fuisſe; ut ipſe quid ſcriberem ignoraverim. Mirum ſane, ſi quorum vim ſenſumque verborum ignores, ea opportune proferas! Ignorasſem igitur, quae in vulgus eruditorum nota ſunt, variisque modis a Veteribus expresſa! Ignorasſem nimirum trita haec ac vulgaria: φίλος ἀυτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει ἐσί: — γόνυ κνήμης ἔγγυον: — (ſive, ut *Euripides*, in *Medeâ*) ὥσπέρ τις ἀυτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ: — *omnes ſibi malunt melius eſſe, quam alteri:* — *tunica pallio eſt propior:* — *proximus ſum egomet mihi:* etc. Haec, inquam, omnia ignorasſem, et tamen verba Graeca commode attulisſem!

Vides, mi bone! meam literarum Graecarum ignorantiam nondum a te probatam eſſe: quam probaturum in te recepisti. Licet enim a metro de industriâ receſſerim, et per mendum typographicum a ſententiâ Graecâ aberratum ſit, eo tamen, contra me, nil effici poſſe, apparet.

Hac-

(*) φιλομαθ. p. 109.

Digitized by Google

Hactenus igitur, *parum ſuccedit quod agis: at facis ſedulo!*

Sed videamus, quid porro ad meae demonſtrationem ignorantiae afferas. En tua verba (*): „ Quod ego de Patre meo dixi, *me ei debuiſſe non modo* τὸ ζῆν, *ſed et* τὸ εὖ ζῆν, nescivit eſſe dictum *Alexandri Magni*, de Patre ſuo *Philippo* et praeceptore *Ariſtotele:* ſe illi τὸ ζῆν, huic τὸ εὖ ζῆν, debere. Quod ſi addidiſſem, id *Alexandri* eſſe effatum; non aliquoties hoc a me uſurpatum reprehendiſſet Horrearius." Et hoc igitur meam literarum Graecarum oſtendat ignorantiam! Primum, unde nosti, *Wyttenbachi! me nesciviſſe*, dictum illud *Alexandri* M. eſſe? An forte, quia in reconditis ſit et occultis? Putabam dictum eſſe in vulgus notum, et ſexcenties uſurpatum! Dein, quid, quaeſo, ad rem facit, cujusnam dictum ſit, *Alexandrine*, an tuum, an vero *Critobuli*, an cujuscumque tandem? Tantane ergo tibi *Alexandri* majestas eſſe ſanctitasque videtur, ut hujus (dum viveret, potentioris) *hominis* effatum aliquod, a te uſurpatum, reprehen-

(*) Ibid. p. 77.

Digitized by Google

hendere nemo quisquam sine crimine possit? At haec, si quid video, tua quidem mens non fuit. Etsi enim *Alexandrum* in partes vocas: non *hujus* tamen, sed *tui* potius nominis terrore cohiberi me debuisse, significasse videris. Nam, aut leges artis, quam ipse olim professus es, *Logicae* turpiter violasti, ac quae sensum plane nullum habent effutiisti: aut, si verbis sensus subest aliquis, hoc tibi voluisti, non adeo *Alexandri*, dudum quippe mortui, sed *tui* nominis majestate magnitudineque, quasi tu alter in tuo genere *Alexander* esses, deterreri me debuisse, ne te, cum hujus usurpares regis effatum, quodam modo riderem. Verum, crede mihi, *Wytenbachiole!* te, quamvis adhuc in vivis sis, non magis reformido, quam mortuum istum *Philippi* Macedonis Filium. Τὸ γὰρ ἓν μετ' ἐμοῦ. Caeterum, *superbiae*, (quod suspicari video tum *Critobulum*) te non insimulabo, propterea quod te cum *Alexandro* (quem vulgo *magnum* vocant) tacite comparasti. Sunt enim profecto nonnulla tibi cum isthoc homine communia. *Alexander*, exempli causâ, pessime se erga *Aristotelem* gessit; effrenatae potius dominandi cupiditati, quam hujus obsecutus Philosophi praeceptis; ut divinos tandem honores stulte concupisceret: tu quoque,

quam-

quamquam ad divinitatem nondum adſpirasti, ea tamen *bene vivendi* praecepta, quibus te, ut narras, Pater tuus imbuit, peſſime adhuc ſecutus es:

πάντων γὰρ κρατεῖν ἔθελεις, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν, πᾶσι δὲ σημαίνειν: id quod Pater te tuus, ut credo, non docuit. Dein, *Alexander* adulatoribus quibusdam, quorum blanditiae in aures ipſius animumque influxerant, a recto virtutis tramite, aureisque Magistri praeceptis, fuerat abductus. In quorum numero cum fuerit *Cleo* ille Siculus, *non ingenio ſolum*, ut ſcribit *Curtius*, *ſed nationis etiam vitio adulator*, hic *Alexandri* animum in dies pejorem reddidit; ut tandem, etſi quandoque virtutis nomen rex uſurparet, quid ipſa valeat neſciret. Et vereor equidem, ne tibi ſimile quid acciderit, et ne quorumdam blanditiae hominum, ad voluntatem tuam magis quam ad veritatem loqui paratorum, craſſiorem offuderint animo caliginem, quâ, velut *Alexander* ille, praeter te ipſum adulatoresque tuos, neminem quemquam ſpectes, caeterosque homines, quamvis ſuperbiam tuam elationemque animi ſubdolâ tegas modestiâ, alto ſupercilio despicias. Quod ſi ita est, ſatius utique et *Alexandro*, et tibi fuiſſet, in corvos, quam in istos adulatores incidere: hi enim, uti ab *Antisthene* recte dictum est, vi-

Digitized by Google

ventis corrumpunt animum, illi solum mortui corpus.

Tertii argumenti, quo tu, Veterane Logices Professor! meam literarum Graecarum probare scilicet! ignorantiam annisus es, huc redit summa (*): me *Plotini* dictum de *Longino*, φιλόλογος μὲν ὁ Λογγῖνος, φιλόσοφος δὲ οὐδαμῶς, ad te transtulisse, idque faciundo ostendisse, me non videre, quaenam istorum vis sit nominum, φιλόλογος et φιλόσοφος. Bella profecto argumentatio est, et lepido capite digna! Quae autem de horum vi nominum disputasti, sunt ea partim falsa, partim vera quidem, sed non nova; cuncta tandem ejusmodi, ut cum haec, tum illa, a re, quam proprie agis, plane disjuncta sint atque aliena. Primum, falsum hoc est, quod narras, „ *Plotinum* φιλόσοφον non fere appellasse, nisi Platonicum, aut si quis, alterius sectae socius, cum Platonicâ ratione consentiret." Hoc, inquam, apprime falsum est, ut sunt alia bene multa, quae in chartas conjecisti. Ipse *Ruhnkenius*, Vir te omnibus praestantior numeris, meliora

(*) Ibid. p. 77—80.

Digitized by Google

liora te doceat! „ Omnino, inquit (*), germanum Platonicum fuisse *Longinum*, non modo clarum est ex libris, aut fragmentis potius librorum, quae supersunt, sed multo magis ex commentariis, ad *Platonem* interpretandum comparatis." Itaque, si verum est, *Longinum* germanum fuisse Platonicum; *Plotinus*, οὐδαμῶς φιλόσοφον εἶναι *Longinum* asseverans, significare non potuit; egregium hunc Virum Platonicum nequaquam fuisse, sed a Platonicâ ratione prorsus dissensisse. Quid ergo? Respexit *Plotinus*, philosophum esse *Longinum* negans, mysticas de Deo, divinisque emanationibus et Daemonibus disputationes, multaque alia, quibus tum vera et sincera *Platonis* mens a recentioribus Platonicis obscurabatur. Haec enim *Plotini*, *Procli*, aliorumque *Pseudo-Platonicorum*, qui dicuntur, erat *philosophia*, a *Ruhnkenio* recte dicta *fanatica* (†): atque hoc quidem sensu, *Longinum* philosophum esse, *Plotinus* negare et poterat et debebat; quamquam ad decus magis quam ad dedecus *Longini* faciebat. — Deinde, quod de vi nominis φιλόλογος dis-

(*) Biblioth. Crit. Vol. I. P. I. p. 120.

(†) Dissert. de *Longino*, in opusculis D. *Ruhnkenii*, p. 326.

Digitized by Google

disputas, est quidem verum illud, sed haud novum. Quis enim paulo eruditior ignorat, Veteres, hoc nomine, *omnia doctrinae genera, quatenus cognitione*, ut ais, *et historiâ continetur, complexos fuisse?* — Tandem, neque hoc, etsi verum, neque illud, quod plane falsum est, ad rem tuam, quam sedulo agis, vel minimum facit. Ego namque, quod ad *posterius*, hanc nominis φιλόλογος vim nunquam in dubium vocavi, nedum negavi: imo vero omni doctrinarum genere, quatenus *cognitione* continentur *historicâ*, te, etsi ἐυδαιμῶς φιλόσοφον, meo quidem judicio, egregie valere, lubens saepe fassus sum. Et quod ad *prius* attinet, ad vim dico, quam *Plotinus* nomini φιλόσοφος male tribuit, et quam tu minus intellexisti: quid, quaeso, impediat, quominus hujus Viri de *Longino* dictum ad te transferam; licet mihi quidem *Philosophus* nequaquam idem sit, qui *Plotino*, aut aliis *Plotino* antiquioribus, eoque multo propius ad veram Philosophiae vim accedentibus? *Cicero*, ut hoc utar exemplo, *Philosophiam* dicebat esse *rerum, cum divinarum, tum humanarum scientiam.* Hodierni vero Philosophi, illi in primis, qui *Kantii* rationem *criticam* sequuntur, hanc *Tullii* descriptionem valde probare non possunt. Quidni tamen et illis *Tullii* verba, quibus philosophiam uni-

universe summis in coelum laudibus effert, ad usus suos transferre atque aptare liceat?

Viden', mi bone! tuo hoc argumento, (si *argumentum* sit dicendum, quod ne ullam quidem vim aut speciem *argumenti* habet) non magis, quam *Alexandri* tui dicto, meam Graecarum Literarum ignorantiam, Lectoribus non prorsus ignaris stupidisque, persuaderi posse. Nec plus effecisti, significando, *Porphyrium* ipsum a me nequaquam lectum, locum vero e tuâ *Bibliothecâ* depromtum esse. Haec et similia, quae singulis fere paginis evomuisti, nil nisi virus acerbitatis tuae commonstrant. Tua sane nihil refert, legerimne *Porphyrium*, nec ne. Si dicam, me legisse, et forte quidem non multo post illud tempus, quo *tu* eum legeris, vera dicerem: sed aut mihi non crederes, aut certe, quae tua est probitas, non credere te simulares; etiamsi intelligeres, meorum rationem studiorum ipsam *Porphyrii* lectionem a me flagitasse. Verum, ut dixi, nihil hoc ad rem, quam agis. Et facile equidem fero, imo vero rideo ejusmodi convicia, quibus me lacesfere tentas: ut, cum affirmas, me HOMERI *Odysseam*, aliorumque poëtarum carmina, non lectitasse,

se (*), loca Veterum, quae affero, e Lexicis petiisse (†), etc. Haec, inquam, et similia facile fero. Et quidni ferrem? cum summis quoque viris, ad quorum laudem famamque, non dicam *ego*, sed ne *tu* quidem unquam attinges, talia exprobrata fuisse intelligam. Ita, v. c. *R. Daweſius*, qualemcunque arripiens de laudibus *Bentleji* derrahendi occasionem, eo usque processit impudentiae, ut Virum hunc, omnium maximum, disserrationis *Phalarideae* auctorem, *nihil in Graecis cognovisse, nisi ex indicibus petitum*, affirmaret (§). Sed mittamus haec. Facile me quippe consolor tuis ipsius verbis (⁂): „per totum libellum non nisi unum video genus conviciatorium extare, unum et perpetuum quasi latratum. Quamquam his apud neminem quemquam fidem facies, ne apud eos quidem, qui me ignorant. Adeo stulte pleraque conficta et consarcinata, adeo iracunde effusa et iterata, se ipsa refellunt, et probabilitatis ne speciem quidem afferunt." Caeterum, *Wyttenbachi!* ratum habeant, quod op-

(*) Ibid. p. 144, 145. et alibi.
(†) Ibid. p. 97 111. et alibi.
(§) Bibl. Crit. vol. II. P. III. p. 113. 114.
(⁂) φιλομαθ. p. 26.

Digitized by Google

optas, Dii immortales, *ut*, nimirum, *aliquam asſequare* LONGINI *ſimilitudinem* (*)! Imo vero, Vir perverſe! faxint Dii, antea quam ad plures abeas! *Longinus* enim non *ingenii* tantum *doctrinaeque perfectum* extitit *exemplum*, quod tu unice curare videris; neque ad famam laudemque ſolam ſua literarum ſtudia referebat, uti homines facere φίλαυτοι ſolent: ſed, quod ipſe olim de *Ernesto*, Viro clariſſimo et optimo, vere ſcripſiſti (†), *ad conſcientiam recti*, *quem is verum Dei cultum putaret.* Tu igitur reſipisce, atque enitere ut *Longino* fias ſimilis, cujus, ut docet *Ruhnkenius* (§), philoſophia in mores ſic abierat, ut eum *Semichristianum* nonnulli vocarint. Ac praeclari memor *Ciceronis* dicti, quod in *Scipionis* ſomnio legitur, cerne quantis in angustiis hactenus tua ſe gloriola dilatari voluerit, et quanti ista ſit hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest: atque ita altius ſpecta, domumque aeternam contuere; ut *ſuis* tandem illecebris te ipſa vir-

(*) Ibid. p. 79. 80.

(†) Biblioth. Crit. vol. II. P. III. p. 125.

(§) Diſſert. de *Longino*. Opusc. D. *Ruhnk.* p. 339.

Digitized by Google

virtus ad verum trahat decus, quod miſer adhuc prorſus ignoras!

Sed audire mihi te clamantem videor (*): „ Ecce! ut *Horrearius* ad vetus ſuum redeat concionale artificium, ſemper quaſi e ſuggesto loquens. Ecce! ut nunc plane homiliam nobis afferat, in quâ omnes modos oratorios, quos vulgo, me adolescente, in homileticâ, *uſus applicationis* ſolebant dicere, *hortatorium*, *reprehenſorium*, *territorium*, in me expromit!" Finem igitur huic ſermonis impono parti, et ad *quartum* progredior argumentum, quod pro meâ attulisti *Graecae orationis ignorantiâ.*

Istius argumenti duplex vis est atque ratio. Etenim me reprehendis et vellicas, *cum* quod nomen *Criticae*, a *Kantio* adhibitum, ſuaeque additum doctrinae, ex uſu verbi κρίνειν antiquo, et quidem *Homerico*, contra latratum garritumque tuum defendi; *tum* etiam, quod *vitium Scholiastae typographicum*, ut ipſe dicis, *ſecurus*

(*) In fere Concionatoribus nostris illudit *Wyttenbachius*, φιλομαθ. p. 25. Et alibi eos pungit, v. c. p. 83. 85.

Digitized by Google

rus transſcripſi. De utroque hoc crimine paucis, et quaſi tribus verbis.

Defendi, fateor, defendoque adhuc, *Criticae* nomen, ex uſu verbi Graeci κρίνειν proprio ac pervetuſto, *cernere*, *ſecernere*, *discernere* ſignificantis: ut adeo *Kantii* doctrina *critica* dicatur, ſive *ſecernens*, quoniam rationem tradit veram, animi facultates recte *ſecernendi*, earumque operationes diverſas operandique leges a ſe invicem distinguendi, atque ita fines harum facultatum materiaeque cognoscendae deſignandi et inter ſe comparandi; eâque ratione, non aliunde, ſed ex ipſâ animi intelligentis naturâ, juſtâque ejusdem facultatum distinctione, tanquam ex principio unice vero, finium deſignationem eruendi. In hanc autem vocis explicationem mirificâ involas linguae procacitate, eamque in falſam, pro more tuo, ſententiam torques. Confundere me narras (*) uſum verborum *Homericum* cum postero et communi; quaſi ego, *Homeri* aetate, jam Philoſophos *Criticos* fuiſſe putarem! et dein exclamas (†): „ne-

(*) φιλομαθ. p. 80.
(†) Ibid. p. 81.

Digitized by Google

„ nescire Graecam verborum consuetudinem *Homericam* plane immutatam sequentibus deinceps aetatibus, etc! Tum nomen *Critici* ex *Homero* interpretari velle! Et quasi *Kantius* hoc cogitasset, ac non potius publicum nominis honorem appetivisset etc.!" Verba audio hominis nil pensi habentis, nec verentis apud intelligentes insanire, atque absurdissima quaevis effutire, modo ipsi imperiti plaudant. Quid? *Kantius* igitur propriamque verbi κρίνειν vim ignorare *debuit*? Aut, si scivit, male stupideque egit, eam confutando? Antiquam ergo propriamque verbi cujuscunque vim spectare, inque suos usus adhibere, non licet? Hoc qui facit, indoctus sit, usumque verbi priscum cum postero et communi confundat! Pol, Magister! vere aureus es! dic tamen, sodes, unde tuam hanc hauseris scientiam; et quis tibi auctoritatem impertiverit leges condendi tam incredibiliter insulsas puerilesque: dic porro, veterane *Logices* Professor! quonam hujus artis, olim adolescens, praeceptore fueris usus; etenim et hic aureus fuerit, necesse est.

Alterum, quod reprehendis, vitium est *Homerici* Scholiastae typographicum, διαχώρησον, quod per incuriam transcripsi, pro διαχώρησεν. Hoccine igitur probet, *me utriusque hujus verbi ig-*

ignorare differentiam? Nonne eâdem lineâ ſcripſi χωρίσαι? Quid plura? an non et tibi ſaepe ipſi accidit, ut literulam aliquam ſyllabamque vitioſe transſcriberes, nec tamen ignorantiae arguendus?

En vero novum meae ignorantiae argumentum! Non ſolum ſcripſi: ὕστερα πρῶτα, pro πρότερα: verum praeterea ſententiam *Thucydidis*, a *Luciano* citati, tanquam *hujus*, non *illius*, produxi *proverbium*. Graviſſima ſane crimina! ad quorum tamen propulſationem nihil equidem dicam, post illa, quae pro me dicta eſſe video a Viro quodam, cum aequo, tum docto, in Libro, qui inſcribitur *Cenſor etiam Cenſorum*: cujus *quarti* voluminis *octava* pars, nudius quintus, id eſt die decimo octavo hujus menſis *Januarii*, ad meam notitiam pervénit. — Neque ad illud respondebo, quod ſequitur, argumentum, ex meâ promtum rationis metricae ignorantiâ. Huic enim rei, quoniam pars eſt majoris abolitae, ſingularem in hac ſcriptione (*) locum deſtinavi.

Porro et hoc affers, *me Graeca ubique dicta et*

(*) Vid. Epiſtola tertia.

Digitized by Google

et verba inculcare, ut indoctis doctus videar (*). Verum, mi bone! idem cum facere in *omnibus* tuis ſcriptis ſoleas, dic quid ipſe ſpectes, aut cur tu facias. At non facio, inquies fortaſſe, niſi *tempestive et ad rem accomodate, et ubi Latina lingua aptis dictis verbisque caret* (†). Nunquamne igitur tu facis, *ut Graecae doctrinae ſpeciem affectes* (§), atque *indoctis*, quos *tu* vocas, ingenti doctrinae copiâ, ſi poſſis, terrorem nominis tui incutias? Evolvamus, *Wyttenbachi!* tuum paulisper φιλομαθίας libellum, ut noſtris ipſi oculis videamus, in afferendis Graecis quam ſis *tempestivus*, et quam alienus ab hoc faciundo unquam, niſi Latinae linguae penuria ita ut facias *exigat!* Operi titulum fecisti φιλομαθίας τὰ σποραδην, *quaſi dicas*, (ſunt tua ipſius verba (*) *Doctrinae Studii ſparſim prodita, Eruditionis Varia, Miscellanea Doctrinae.* Cum igitur verba adeſſent *Latina*, dic, cur *Graecum* feceris titulum? *Graecum* feci, inquis, *quod*

(*) Φιλομαθ. p. 84.

(†) Ibid. p. 84. 85.

(§) Ibid. p. 104.

(*) φιλομαθ. Praefat. p. 9.

Digitized by Google

quod rem disertius declararet. Ain' hoc? Ergo *Latinus* titulus, a te additus, *Miscellanea Doctrinae*, rem non satis declarat, neque ad captum Lectoris accomodatus est? Atqui volebam, inquis, exprimere illud σποράδην. Esto! Sed ad manum erat: *sparsim prodita.* Quod si tibi neque *hoc* placeret, cur tandem *Graecam* elegisti vocem, cujus vim converti *Latine* vix posse scires? Dicam, quod res est, nullâ usus circuitione. *Graecum* fecisti titulum, non quia *lingua Latina aptis careat* tuo consilio *verbis;* sed ne Lectores tuâ carerent eruditâ observatione, nimirum hac (*), *eodem nomine insignita fuisse scripta quaedam Veterum, veluti* HIERONYMI RHODII, *apud* DIOGENEM L. *memorati,* ARISTOXENI, *et* PLUTARCHI. — Porro, nonne *Graecae eruditionis affectatio est* (†), cum dicis (§), *en hominem* ἰατρικὸν! et, *sic me* θύλακον λόγων *esse censetis* (*): et, *est haec* κακοζηλία, i. e. *inepta or-*

(*) Ibid. p. 10.

(†) φιλομαθ. p. 119.

(§) Ibid. p. 5.

(*) Ibid. p. 6.

Digitized by Google

ornatûs affectatio (*): aut, cum proverbia affers *Graeca*, v. c. οὐδ' ἐγὼ ἀπὸ δρυός etc. (†): et, φίλει ὡς μισήσων etc. (§): et, αὐτὰρ ἐγὼ βασεῦμαι ἐμὴν ὁδόν (*), atque ejusdem generis alia? Aderunt enim *Latina* verba, quibus nec *Graeca* majorem vim aut perspicuitatem habent (‡): quod patet e *Latina* versione, quam aliquando addis, v. c. in hoc proverbio *Graeco*, quod in te ipsum tuosque mores egrégie convenit: τὸν αὐτὸν αἰνεῖν καὶ ψέγειν, ἀνδρὸς κακοῦ, *mali est homĭnis, eumdem laudare et vituperare* (**). Imo ipsa vox καθάρσιον, pro quâ, uti nonnemo recte observavit (††), melius verisque scripsisses φάρμα, quoniam totum tuum φιλοκαθάρσιος opus hujus *sordĭbus inquinasti*, omnesque bonos, cum ge-

(*) Ibid. p. 104.

(†) Ibid. p. 17.

(§) Ibid. p. 76.

(*) Ibid. p. 128.

(‡) Hoc criterium *Wyttenbachius* ipse posuit, ibid. p. 119.

(**) Ibid. p. 15.

(††) *Censor etiam Censorum*. l. l. p. 719.

Digitized by Google

genios, tum *homines*, a te alienasti (*), haec igitur vox ipsa nonne *Latine* reddi poterat?

Si quid ergo, in eo quod *Graeca* verba aut dicta aliquoties *Latinis* interposuerim, a me peccatum sit, *optimoque* propterea, ut ais (†), *jure irridear*, eodem sane jure et te ipsum peccasse, et irridendum esse censeo, atque eo quidem meliori jure, quo magis, ludimagistri instar, aliis praecipere eosque reprehendere soleas. Quae igitur (ut *Sulpicii* ad *Ciceronem* monitum in te adhibeam) aliis tute praecipere soles, ea tute tibi subjice atque apud animum propone: neque imita-

(*) Scribit *Wyttenbachius*, φιλομαθ. p. 1: „ Initium rite justeque a καθαρσίῳ ducamus, quo non solum malos genios averruncemus, sed etiam homines ab iis captos nobisque iratos (hi igitur iidem sunt!) in libertatem vindicemus, a sordibus purgemus, et nobis bonisque geniis reconciliemus." Hoc ergo, si credas, *sancti* Viri fuit consilium! Sed ecce! plane contrarium effecit, aliosque se purgaturum jactans sordibus, animum ipse suum non solum eis haudquaquam purgatum, sed omni squaloris sordiumque genere obrutum ac fere sepultum esse, palam omnibus fecit.

(†) φιλομαθ. p. 85.

Digitized by Google

tare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt. — Neque tamen is ego sum, qui te, propter *Graecorum* usum dictorum, modo ne ostentationis causâ fiat, accusem. Alioquin ipse *Tullius* (*) et praestantissimi quique scriptores accusandi essent. Hoc vero tantum volo, me, propter usum *Graecorum* aliquot verborum, non magis te ipso esse reprehendendum: ut, si tu me hoc nomine accuses, tibi ego vulgare illud: *medice! cura te ipsum;* jure meo opponam.

Meam tandem rerum *Graecarum* summam ignorantiam ex eo probas, quod *Joannem Luzacium* ut virum *doctissimum* itemque *optimum* laudavi (†). Operae sane pretium esse duco, aculeata, quibus hic uteris, verba, atque ὀξέα ὀνεί-

(*) Apud *Ciceronem* quis nescit *Graeca dicta et verba* frequentissime occurrere? v. c. Ep. IX. 9. *suavissimum συμβιωτὴν nostrum* etc. pro *convivam*. Ad *Atticum*, XII. 3. *ne vivam, si mihi non modo Tusculanum — sed μαχαίρων νῆσοι tanti sunt* etc. pro *beatorum insulae*, atque ita sexcenties alibi.

(†) Φιλομαθ. p. 85.

Digitized by Google

ἐνείδεα repetere: ut, quam perversus sis animo atque ab omni humanitate alienus, unicuique appareat. Ita nimirum scribis: „ Denique, quod *J. Luzacium*, τὸν μακαρίτην, propter multiplicem rerum maxime Graecarum cognitionem, optimos quosque doctissimosque viros veneratos esse *narrat*; ostendit Horrearius, se doctissimos et optimos viros non novisse, et in Graecis rebus coecutire. Quarum quidem ipsa elementa ignoranti ei suadeam aliquod Rudimentorum compendium diligenter discere." Eh igitur tuum pro meâ ignorantiâ argumentum! „ quicunque *Luzacium* ut Virum doctissimum optimumque laudat, ignarus sit. Atqui Horrearius etc. Ergo etc.! Primum vero, *Wyttenbachi!* cur mea de *Luzacio* verba mutilasti, ea omittens, quae meo quidem judicio, nec meo solum, sed omnium qui sapiunt, hac in re sunt gravissima? Verba dico: *propter singularem animi candorem.* Eo enim si caruisset Vir doctissimus, et animo moribusque tui fuisset similis, nullus profecto bonorum, nedum optimorum hominum, veneratione illum atque honore constanter prosecutus fuisset. At vero, cum ad omnem doctrinae, et in primis *humanitatis*, vim mirifice excultus esset *Luzacius*, seque *bonum optimumque virum*, non dico *jac-*

taret (quod tu facere ſoles) (*), ſed *factis conſtanter probaret;* hinc, ſi neſcias, factum, ut juſtam omnium bonorum, dum viveret, venerationem habuerit, eamque mortuus etiamnum habeat, aeternumque apud poſteros ſit habiturus. Deinde, *Wyttenbachi!* adeone igitur perfricuiſti frontem, ut te non pudeat manes violare hujus Viri humaniſſimi, ac ſi in doctiſſimis optimisque non habuiſſet locum, quem tamen Viri ſane maximi, *Valckenaerius* et *Ruhnkenius*, (†) ei lubentes aſſignarunt, et quem, *Lectionibus* ſuis *Atticis*, a *Sluitero* nuper editis, et multiplici rerum Graecarum cognitione refertis atque ornan-

(*) Sic e. c. in φιλομαθίας initio: „Nos has virtutes, alteram recte ſentiendi, bene faciendi alteram, in omni noſtrâ vitâ, omnibus in actionibus, ſtudiis, ſcriptionibus, ſecuti ſumus," et p. 126 et 127 ſuam ipſius *lenitatem* atque *injuriae patientiam* praedicat!!! Alia loca, in quibus vir ἀυθάδης καὶ φίλαυτος ſe ipſe laudat, ex illius ſcriptis congeſſi, in *Epiſtolâ*, quam ad eum ſcripſi, p. 74. Novimus autem, eſſe homines, *quibus*, ut inquit *Tullius*, ſi palam loqui, quod ſentiunt, auderent, ipſa virtus *vili niſi venditatio quaedam atque oſtentatio eſt!*

(†) *Ruhnkenius* e. c. eum vocat *Virum Graecarum Literarum exquiſitâ ſcientiâ praeditum*, in animadverſionibus ad TIMAEI *Lexicon.* p. 53. Ed. noviſſ.

Digitized by Google

natis, ipse sibi denuo vindicavit? Sed nolo huic rei diutius insistere: sentio namque, animum meum commoveri totum justâque exardescere indignatione; et quis tam ferreus est, ut virtutem ipsam humanitatemque culpari immotus contemnique audiat! Neque est, cur *ego* plura addam? Egregie enim ab aliis jam vapulasti, subridentibus atque annuentibus omnibus bonis? Vapulasti, tuo merito, *Wyttenbachi!* ab eo in primis, quem non semel laudavi, Censore eruditissimo (*)! Hic utique bonam *Luzacii*, τοῦ μακαρίτου, causam, honestissimamque Viri famam atque existimationem, contra te, malevole obtrectator! quâ decet ratione suscepit defendendam, teque rursus, si opus erit, σφαδάζοντα plorare jubebit. Vapulasti ab aliis, cum Philosophis, tum iis, qui humaniores profitentur literas! Vapulasti denique ab omnibus, qui virtutem amant, neque quid ipsa valeat ignorant. Ab his aliisque posthac denuo vapulabis, si virus acerbitatis tuae in vivos mortuosque evomere, et alto ludimagistri supercilio absurdissima quaevis praecepta sancire non desinas.

Ἡμεῖς δ' εἰμὲν τοῖοι, οἳ ἂν σέθεν ἀντιάσαιμεν, καὶ πολέες.

Qua-

(*) In Libello nempe, qui inscribitur *Censor etiam Censorum*. l. l.

Quapropter, WYTTENBACHIOLE! *dehinc ut quiescas porro moneo, et desinas maledicere, malefacta ne noscas tua: nam, si dixeris quae vis, quae non vis audies.* Vale et resipisce.

Scripsi *Amstelodami*, d. XXVIII *Januarii*, a. MDCCCX.

*

EPIS-

Digitized by Google

EPISTOLA SECUNDA.

PAULUS HEMERTIUS

S. D.

DANIËLI WYTTENBACHIO.

Ad argumentum progredior, quo ut venirem, superioris epistolae longius, quam volui, fluxit oratio. Nimirum, in epistolâ tuâ ad *Lyndemum*, *epitomen* quamdam rationis *Kantianae* exhibueras, sive potius, exhibere fueras conatus, cui et, pro tuo ingenii et cognitionis modulo, *confutationem* adjeceras. Harum autem Literarum peritis neutra placere potuit: tibi vero utraque mirabiliter placuit, tamque *vera* visa est tamque *perspicua*, ut, quamvis Philosophorum te sibilet natio, tibi tamen plaudere pergas, ἀχεῖον γελῶν, et quasi gaudio exsultans atque triumphans. Quin imo glorioſâ te video efferri praedicatione, et, tamquam

— οὐκέτι τοι φείνες ἔμπεδοι, οὐδὲ νόημα,

ad arbitrium cum Exterorum, tum Nostratium con-

Digitized by Google

confidentius provocare (*): ut tandem hi fateantur palám, te victorem e pugnâ, quam mecum pugnare voluisti, rediisse. Hac tamen, ut ita dicam, ad omnes populos provocatione, dubito an causae tuae aliquid profeceris. Conticuerunt certe adhuc omnes Exteri, spernentes, ut puto, et nugas tuas, et conviciatorium *contra Kantiana* praecepta latratum. Qui vero locuti sunt, Nostrates unanimi te damnârunt suffragio, invictisque demonstrârunt documentis, te ne quidem intelligere, *quid* a *Kantio* dictum sit, nedum, *quale* sit dictum. *verum* an *falsum*, videre ac diiudicare posse. Tu tamen magnum clamare pergis, et tandem eo confugis, ut mihi aliisque, quos *Kantianos* appellas, nullam esse perhibeas nec testimonii dictionem, nec sententiae lationem. Sed heus, bone Vir! hac viâ, mihi crede, nihil admodum proficies. Ridemus omnes tua decreta dictatoria, tibi quamvis rumpantur per invidiam ilia. Equidem illud, quod citasti (†), *Valckenaerii* teneo: ἐγὼ βασιλικὸν ἀμὰν ὁδὸν; et is, quem mihi *Magistrum* dedisti *Equitum*, Vir acutissimus, idem,

(*) Philem. p. 27.

(†) Ibid. p. 128.

Digitized by Google

idem, ut scio, faciet. Nec dubito, quin hic *Scipio Nodosius*, quem aeque ac me in pugnam provocasti, in *Theatro*, quod *Oeconomico-Literarium* dicitur, brevi tempore, suas copias contra te in aciem sit educturus, talemque se praestiturus, ut, confecto praelio, de ipso dicant sapientes, quod de *Ulysse* dicebatur olim, cum pessimum percussisset *Thersiten*, ejusque humeris ac dorso cruentas inflixisset vibices et vulnera:

— — τὸν λωβητῆρα ἐπεσβόλον ἔσχ' ἀγοράων.
οὐ θήν μιν πάλιν αὖθις ἀνήσει θυμὸς ἀγήνωρ
νεικείειν ἄνδρας. (*) —

Interea autem, dum sua a meo *Scipione* parentur arma, mihi non desidendum esse arbitror. Igitur pace tua hic de illis dicam, quae *Kantianae* rationi, meaeque ejusdem defensioni, in tua Φιλομαθῆ, opposuisti: ut dijudicari queat, num argumenta, quae contra me attulisti, quemadmodum jactas (†), tam sint *valida, ut vel unum illorum*

(*) Id est: *hujus conviciatoris contumeliosi garrulitatem coërcuit. Certe ipsum nequaquam stimulabit iterum animus praeferox, ad Viros convictandum.*

(†) Φιλομαθ. p. 29.

Digitized by Google

rum totum KANTII *labefactet aedificium.* Atque est profecto haec res ejusmodi, ut prae reliquis omnibus, quas fuse copioseque tractasti, Lectorum digna esse attentione videatur. Quapropter vellem, ut ad ea; quae in hoc genere contra te, cum a *Scipione*, tum a me, disputata sunt, non carptim et quasi raptim respondisses, sed tantum iis ad minimum operae studiique adhibuisses, quantum meae Latinitatis reprehensionibus, itemque historiolis tuis, atque argutiis, et fictis narrationibus. Et sane illud, ut a te factum fuisset, unusquisque jure exspectaverat; praesertim, cum ipse nosti et confiteris (*), *non agi inter nos de Latinâ aut Graecâ linguâ*, sed de criticâ *Kantii* ratione. Verum (quod doleo) ita tibi non visum fuit homini delicatulo, qui in *amoena Graecorum Latinorumque prata excurrere*, quam *in* KANTII *spineto reptare* malis (†). Et parum abfuisse video, quin totum hoc Philosophiae negotium intactum reliquisses. Etenim, ad *Critobulum* quasi et *Philalethem* orationem convertens, *ad Horrearii cap-*

(*) Ibid. p. 30.

(†) Ibid. p. 76.

Digitized by Google

captiunculas, inquis (*), *ne hilum quidem reponerem, nisi vestra me virtus vestraque voluntas moveret.* Salvete igitur, ô boni Viri! et grati animi significationem, ab omnibus, quibus cara est Philosophia, benivole accipite! Vos enim estis, quorum virtus, ut audio, Philosophum nostrum ad scribendum impulerit! a vobis quippe, ut gradiam iniret Vir aureus, et *Herculi* aequiparandus, AUGIAE *stabulum* quodammodo *expurgare* coepit: *paucos certe, speciminis causâ, egessit stercoris cophinos, eosque vobis* (nam estis familiares ejus et intimi) *projecit: ut ex illis judicare possetis, quale quantumque, quam tetrum, quamque infinitum fuerit stercus* (†)! Salvete iterum, carissima Capita! et gratiarum actionem, cum meam, tum caeterorum etiam Lectorum, accipite! Facile enim nobis omnibus est ad existimandum, *quantum naribus vestris*, quas, uti Philosophus noster perhibet (§), *acutas* habetis, *hauriendum foetoris fuerit.*

Verum age! *Wyttenbachi!* e diverticulo redeamus.

(*) Ibid. p. 27.
(†) Ibid. p. 27.
(§) Ibid. p. 624

Digitized by Google

mus in viam, et, quae meis pro *Kantianâ* ratione argumentis oppoſuiſti, aequâ lance ponderemus.

Initium disputationis ab eo duxisti (*), quod tibi non valde te conſentaneum eſſe dixerim, qui *Kantium* propoſuiſſes tamquam hominem, *cui omnis Literarum ſcientia et Philoſophiae hiſtoria défuerit;* et mox iterum, alio ejusdem epiſtolae loco, eumdem *Kantium* ut *univerſae ſcientiâ Philoſophiae excellentem* praedicaſſes. Quam quidem repugnantiae ſuſpicionem a te ita propellis, ut unicuique manifeſto appareat, te germanum eſſe *Sophistam*, qui eumdem hominem, ut et eamdem rem, augere laudando ac vituperando rurſus affligere poſſis. Cauſam igitur tuam ut feliciter tuearis, me, pro more tuo, *et* ignorantiae denuo accuſas Latini ſermonis, *et* veteratoriae calliditatis (†). Scilicet! ignoraverim equidem ſignificationem nominis *univerſus*, quod *frequenter* ſic uſurpari, ut a *ſingulis* distinguatur, vel e Lexicis conſtare dicis. Sed primum, et hoc

(*) Ibid. p. 28, 29.

(†) Ibid. p. 29.

Digitized by Google

hoc vel e Lexicis constare nosti, nomen *universus* saepe permutari cum nomine *totus*. Dic igitur, undenam liqueat, te vocem hanc *illo*, non vero *hoc*, sensu accepisse. Dein, quid ergo his voluisti verbis: „ et fuit sane *Kantius* excellens universae scientiae Philosophiae"? Audiamus te ipsum, tuorum verborum interpretem. „ Universae Philosophiae *generalem* habuit *Kantius* notionem, partes etiam *generaliter* novit, nec tamen *specialiter*, id est interius, omnes perspectas tenuit". Addis et hoc (quod quin in *Kantium* quoque applicari velis, non est dubium): „ unde saepe illud vulgari proverbio notatum accidit: *ex omnibus aliquid, ex toto nihil.* Hunc autem si verborum tuorum sensum esse ponamus, uti impudenter significas: dic nobis, sodes, quem ad modum concinant sequentia: „ exercitatus metaphysicarum tractatione rerum, singularis acumine", etc. Fierine potest, ut qui vir sit singulari acumine, rerumque metaphysicarum tractatione exercitatus, simul tam sit ignarus, ut non nisi *generalem* quamdam Philosophiae habeat notionem, et vulgare, quod dicis, istud in eum conveniat proverbium? Viden', bone vir! ut tua haec nominis *universus* interpretatio secum ipsa pugnet? Quaquaversum enim te convertas, et quo tandem cunque modo te torqueas, hic iterum, ut persae-

pe alibi, laqueis te ipſe tuis irretiisti. — At *veteratoriae* me accuſas *calliditatis*. Bona verba quaeſo! Igitur cedo argumenta. Ecce, inquis: „ paginae numerum non ſignificasti, *ut impune immutare locum poſſes!* Hoc ain' profecto? Sed cur paginae ſignificationem deſideras, praeter eam, quam ipſe appoſui? Illa quippe, unde tua verba citavi, paginae ſignificatio a me est addita. Praecesſerant enim proxime haec: „ cui viro, quod novitatis et admirabilitatis captatio adfuit, Literarum ſcientia et Philoſophiae historia défuit, nil ei obfuit" etc. Et quid jam illud est, quod a me in verbis tuis immutatum clamas? Lectores nostros, quibus rurſus imponere tentas, etiam atque etiam rogatos velim, ut tua cum meis verbis conferant: quod ſi fecerint, tuam, eamque incredibilem, in calumniando et mentiendo mirabuntur audaciam, dicam an inſaniam. — Porro, „ me non cogitasſe ſcribis, te *Philoſophiam* ab *historiâ Philoſophiae* distinguere: quod et ipſe ubique inculcem". Sic est: distinguo, et distinguendi neceſsitatem ubique inculco. Tu vero distinguis, ubi tua interesſe putas, veluti in hoc loco: plerumque vero has notiones, ut jam alibi indicavi, peſsime confundis. Sed vereor, ô bone! ut tua haec distinctio tibi multum proſit. Videamus. „ Et fuit, inquis, ſane *Kantius*

tius excellens universae scientiâ Philosophiae, exercitatus metaphysicarum tractatione rationum", etc. At ante dixeras: „ omnino ultra quam Philosophum decet, Literae ei défuerunt: ut in historiâ Philosophiae vix supra *Spinozae* et *Cartesii* aetatem progressus videatur": id est, uti loco laudato scripseras: „ Literarum ei scientia et Philosophiae historia défuit". Dic igitur, sodes, quomodo haec inter se cohaereant, ut, cui *omnino* désint Literae ac Philosophiae historia, idem scientiâ Philosophiae ita excellat, ut rationum metaphysicarum tractatione exercitatus esse. jure dicatur. Quamvis enim *Philosophia* ab ejusdem *historiâ* multum plurimumque differat, et *philosophico*, quod vocant, ingenio praeditus quisquam esse ac valere queat, cui tamen Literae omnino désint, ut fere nec de *Cartesio*, nec *Spinozâ*, unquam audierit: certum nihilominus et hoc est, neminem, in Literis et Philosophiae historiâ plane hospitem, inque illis tam peregrinum, quam tua malevolentia fecit *Kantium*, notionem universae Philosophiae generalem habere, nedum rationum metaphysicarum tractatione exercitatum esse posse.

Sed ohe! jam diu satis in hoc luto tuo haesi!

Digitized by Google

Succedat alia, quam excitas (*), tragoedia. Quereris nimirum, me ubique *clamare*, te dicta *Kantii* haud intelligere. Hoc quicumque *clamat*, nec *probat*, eum fateor nihil efficere, dignumque esse, quem rideant eruditi. Ita ridemus te omnes, quod ubique *clamas*, me *Latine* nescire, et dein, rem *probaturus*, tuo te ipse gladio jugulas, et literatissimos quosque Viros, imo vero te ipsum ignorantiae Latinitatis accusas. Hoc utique perquam est ridiculum! Verum tuam Philosophiae *Kantianae* ignorantiam non *clamavit*, sed *probavit*, *Scipio* ille *Nodosus*, quem vocas: *probavi* et ego; et firmissimis porro argumentis *probabit* uterque nostrum, suo quisque loco, *ille* in *Theatro Oeconomico-Literario*, *ego* in hac epistolâ. Quod si autem quaeras, qûi fiat, ut tu *Kantium* non intelligas, alii vero, te non sagaciores, intelligant: dicam, quod sentio, et tuis fere ipsius verbis dicam (†). Infectus nimirum praejudicatâ opinione, falsam esse *Kantii* doctrinam, ad eam *qualitercumque* cognoscendam accessisti, *partim et cursim quaedam cap-*

(*) Ibid. p. 30.

(†) Ibid. p. 31, 32.

Digitized by Google

tans (*), *quasi canes è Nilo lambentes, nihilque viâ et considerate tractans.* Inde factum, ut tibi persuaseris, te Philosophiam, quam ne vix quidem primoribus labris degustâras, intelligere; nec fieri posse, ut alii eam intelligentes non pro falsâ habeant: in hac enim unum opus esse, et intelligere et improbare. Et vero perplacuit tibi cogitatio, falsam esse *Kantii* doctrinam, ne scilicet operam ipse tuam, quam in conscribendis de Philosophiâ libellis olim navaras, perdidisse videreris. Atque ita judicium tuum inquisitionem veri non secutum est, sed pueriliter praecessit, κενοδοξίᾳ atque invidiâ roboratum, nec non insuper auctum *cùm* vocabulorum, quae a *Kantio* usurpari debuere, novitate, *tum* insigni labore, quocum intelligentia hujus Philosophiae, βαθός τι ἔχοντος παντάπασι γεννᾶιον, necessario est conjuncta. Igitur, ô bone! si *Kantium* intelligere serio velis, do tibi consilium, quod isti datur apud *Lucianum* (†) Philosopho: „ depone *habitum* primum; nam multa sunt et ridicula sub pallio tuo abscondita, velut inanis *ostentatio*

(*) Ibid. p. 75.

(†) Opp. T. I. p. 368 seqq. Ed. *Hemsterh.*

Digitized by Google

tio (ἀλαζονεία), *vana gloria*, *inutilis labor*, *nugae non paucae*, *et quisquiliae*, *ac minutae disceptatiunculae*, *quin et*, *per* Jovem, *impudentia*, *ira*, *mendacium*, *inflata arrogantia*, *eaque de te opinio*, *quaſi melior ſis aliis*. Haec omnia primum depone: neque enim ea homines fallunt, quantumcumque ſtudioſe praetegas. Tum porro depone *barbam*, gravem ſane et hirtam; et tandem porrige *ſupercilia*, ut partem ſaltem de iis aliquam demamus". Haec igitur omnia ſi depoſueris, *Kantium* intelliges, et fortaſſe tibi *vera* videbuntur, quae nunc parum intellecta pro *falſis* habes, atque inepte derides.

Caeterum, *Wyttenbachi!* quod de ſcriptore *Lexici Encyclopaedeutici Philoſophiae Criticae* notare tibi libuit, ad ea quidem non eſt, quod reſpondeam. Mea enim non refert, quid ille Theologus ſcripſerit. Nollem tamen, veteranus cum ſis *Logices* Profeſſor, ex unius hominis minus probabili dicto, communem *Kantianorum* cauſam dijudicaſſes. Denique et hoc nollem tibi excidiſſet, quod in fine *ſegmenti octavi* ſcripſiſti (*): „ *et* in *Theologiâ*, *et* in *Philoſophiâ*, me-

(*) φιλομαθ. p. 33.

Digitized by Google

meum judicium inquisitionem praecessisse." Haec enim, si quae alia, criminatio ejusmodi est, ut omnibus, qui me et res meas norunt, risum moveat. In *Philosophiâ* certe, tantum abest, ut, quod ais (*), χανδὸν, id est fauce hiante, *Kantii* oracula hauserim, ut, contra, *primus*, quod sciam, dubia quaedam, modeste atque ἀνωνύμως, adversus ea in lucem emiserim (†). Et de meo quidem *Theologiae* studio non opus est dicere, quoniam illis, quae in alio φιλομαθίας loco (§) de me in chartas conjecisti, hanc ipse criminationem satis confutasti: ut hinc igitur rursus appareat, quam parum tibi constes, et quam male rem tuam agas, semper praepostere incedens.

Progredior tecum ad distributionem Philosophorum (*). Tu veterem laudas *Sexti Empirici*, in *Dogmaticos*, *Negantes*, et *Scepticos*: ego recentiorem sequor, in *Dogmaticos*, *Scepticos*, et *Criticos*. Et duplici quidem potissimum de causâ hanc illi divisionem praefero. Qui enim, ut se-

(*) Ibid. p. 144.
(†) Epist. ad *Wyttenb.* p. 42.
(§) φιλομαθ. p. 144, 145.
(*) Ibid. p. 33.

Digitized by Google

ſecundae tertiaeque Philoſophi Academiae, omnino negant verum cognosci poſſe, hi tamen *decretum aliquod ſtatuunt:* non minus atque illi, qui, cum *Peripateticis*, *Stoicis*, atque *Epicuraeis*, et eſſe, et percipi poſſe, verum pronuntiant, ab illis eo tantum differentes, quod horum decretum ſit *negans*, illorum *ajens*. Quod quum ita ſit, nondum video, *Negantes*, rem ſi exigas, cur *Dogmaticorum* eximendi ſint numero. Quin potius dicendum videtur, et *ajentes* et *negantes*, diverſa quamvis ſint claſſis et quaſi forma, ad idem *Dogmaticorum* genus referri et poſſe, et vero etiam debere. Deinde, et *Critici*, qui hodie κατ' ἐξοχὴν dicuntur, neque ad *Scepticos* referri poſſunt, neque ad alterutram, quam dixi, *Dogmaticorum* formam: ut igitur hi, niſi quis adeo velit iniquus eſſe, ut omnem illis inter Philoſophos locum deneget, alia eaque nova Philoſophorum forma et habendi ſint et dicendi.

Hanc autem distributionem tu variis impugnationibus. Primum, ad historiae fidem provocas. Perperam, me judice. Non enim negavi unquam, ſed, contra, diſertis verbis faſſus ſum, veteribus eam, quam tu ſequendam putas, diviſionem placuiſſe. Sed hoc dixi ad rem nihil fa-

Digitized by Google

facere: neque enim *auctoritatis* nos, *sed rationis* momenta quaerere. Ne et hoc addam, *criticam* Philosophiam, nostrâ demum aetate natam, Veteribus non innotuisse, et nostram adeo distributionem illis in mentem venire haudquaquam potuisse. Dein contendis, absurdum esse, omne dogma ejurantibus tamen dogma obtrudere velle: unde efficis, *Academicos*, negantes quidquam percipi posse, et ne ipsum quidem illud statuentes posse percipi, *nihil percipi posse*, summâ injuriâ a me in *Dogmaticorum* censeri numero. At vero historia Philosophiae ipsa nos docet, et ipse confiteris, a *Dogmaticis* reprehensos *Academicos* fuisse, quum prorsus nihil percipi posse dicerent: quoniam hoc saltem decretum, quo hi nihil percipi posse statuebant, excipi debet. Et sane merito suo a *Dogmaticis* reprehensi sunt. Nugatur enim et puerorum more effugium quaerit, quicumque, nil percipi posse statuens, ne id ipsum quidem, *nihil posse percipi*, excipi velit. Et ex locis *Tullii*, a te ipso citatis, satis apparet, *effugii* loco illud *Academicorum* responsum habendum esse, quo, a *Dogmaticis* ad angustias redacti, et quasi pressi, uterentur, ut sibi quodammodo saltem viderentur constare. *Viderentur*, inquam. Ita enim pronunciantes, sibi re verâ nequaquam constabant. Unde praeclare *Ci-*

ce-

Digitized by Google

cero, paulo post verba, quae citasti (*): „ Hoc igitur modo potius erat ab his postulandum, ut hoc unum saltem, percipi nihil posse, perceptum esse dicerent. Sed de *inconstantiâ* totius illorum sententiae, si ulla *sententia* cujusquam esse potest nihil approbantis, sicut opinor, dictum satis". At inquis, si *Negantes* ad *Dogmaticos* referas, quidni etiam *Scepticos*, imo et *Criticos*, qui *Kantium* sequuntur? et illi enim, et hi ipsi, aliquid statuunt. Fateor equidem, nullam proprie esse, aut esse posse, Philosophorum familiam, quae ab omni prorsus dogmate abstineat, atque idcirco, si quis ita ludere velit, *Dogmaticis* annumerari omnes posse. Sed vero nihil hoc aliud est, quam quod vulgo dicunt, in re *seriâ* jocari: quod et tibi facere collibitum est, *duas* universe Philosophorum *sectas* fingenti, alteram *loquentem*, *tacentem* alteram. Verum, missis his, ad fundamentum distinctionis attendamus: ut appareat, *Scepticos* et *Criticos* ad *Dogmaticorum* genus referri nequaquam posse. Habebat, fateor, vetus Σκέψις suas negandi formulas, sive, ut loquitur *Sextus Empiricus* (†), σκεπτικὰς ἀποφάσεις:

(*) Academ. II. 9.

(†) Pyrrhonic. Hypot. I. 2.

Digitized by Google

σεις: quare et *Scepticorum* Philosophia nonnullis jam olim eadem esse putabatur, quae *Academicorum*, sive *Dogmaticorum negantium*. Sed hanc confusionem de industriâ refutavit *Sextus*, cujus haec in primis verba notari velim (*): οἱ δὲ ἀπὸ τῆς νέας Ἀκαδημίας, εἰ καὶ ἀκαταληπτίαν εἶναι πάντα φασί, διαφέρουσι τῶν Σκεπτικῶν. ἴσως μὲν καὶ κατὰ αὐτὸ τὸ λέγειν, πάντα εἶναι ἀκατάληπτα. διαβεβαιοῦνται γὰρ περὶ τούτου. ὁ δὲ Σκεπτικὸς ἐνδέχεσθαι καὶ καταληφθῆναί τινα προσδοκᾷ. *Sceptici* igitur non negabant, aliquid percipi posse, quod a *Dogmaticis negantibus* fiebat: sed renunciabant omni obfirmatae negationi pariter atque affirmationi: de re quâcunque nihil in utramvis partem certi sibi constare, sed *quaerere* se ac *dubitare* (ζητεῖν καὶ ἀπορεῖν), necdum *invenisse verum*, professi, locum tamen inventioni relinquentes: quâ in re quantum ab *Academicis*, sive *negantibus Dogmaticis*, distarent, non est quod pluribus ostendam. Multo minus autem *Kantii* Philosophia *Critica* ad alterutram, quos dixi, *Dogmaticorum* classem potest referri. Neque enim affirmat haec, neque negat, antea quam ani-

(*) Ibid. I. 33.

Digitized by Google

animi humani facultates, rerumque cognoscendarum materiam, suis circumscripserit finibus, atque illâ finium designatione manifestum reddiderit, quo usque cognoscendarum rerum materia pateat, et humana facultas pervenire possit. Apparet igitur, quid ad tuam responderi quaestionem debeat: „ quid vero *Critici*, id est *Kantiani*, nonne et hi aliquid *statuunt*"? Omnino *aliquid*, et *multa quidem*, ut recte aïs: sed (quod retices) *nihil*, *nisi finibus*, intra quos ingenii humani facultas concluſa sit, *antea rite designatis*, et ex ipsâ solâque intelligentis animi naturâ erutis: quâ quidem in re, quae sane maxima est, omnibusque ante *Kantium* Philosophis impervia, hujus in primis Philosophiae κριτήριον est positum. Unde simul elucere necessitatem existimo, in Philosophorum distributione, huic maxime rationi *Criticae* singularem concedendi locum.

Verum haec *Kantio* tributa laus quam male te hominem φίλαυτον, qui in hujus societatem laudis venire nequis, habere soleat, facile est ad existimandum. Rem igitur ipsam, quae tua est impudentia dicam an ignorantia, inficiaris (*). Fi-

(*) Φιλομαθ. p. 37.

Digitized by Google

Finium quippe desiguationem a multis tentatam, a nemine, ne *Kantio* quidem, effectam esse clamas; *multa* insuper *me deblaterare* dicens, sed *rationis nihil afferre.* Verum tu, si sapis, ô Philosophe! dic tandem, quid proprie velis, ut tibi, quantum possim, satisfaciam. Vin' igitur, rationem viamque tibi monstrem, quâ *Kantius* totum hoc gravissimum negotium, accuratam puta, ac veluti circulo centroque circumscriptam, finium designationem perfecerit? Atqui haec, mehercule! injusta est et molesta petitio, quoniam Opus illud philosophicum, in quo hoc fecit Vir summus, omnium in manibus, etiam *tuis*, ut ais, versatur. Quin tu ergo *tuas* potius cedo rationes, quae, quominus *Kantii Criticae* assensum praebeas, impediant: ut tandem, quaenam illa sint quae desideres, cognoscamus. At vero, ne oleum rursus atque operam disputando perdas, fac, sodes, ut, prius quam animum ad scribendum appellas, rem, de quâ agere velis, cognoscas melius, et quid KANTIO *designatio* sit *finium*, intelligas. Est enim profecto, si quid aliud, perquam ridiculum, de re, in quâ hospes plane rudisque es, te acriter disputantem, refellentem, disceptantem audire: idque eo magis est ridiculum, tibique turpe, quo altiores sint cothurni, quos tibi sumseris,

et

et quibus placeat incedere. Puerum quippe, personam *Herculis* et cothurnos sibi aptare volentem, quis non rideat?

Itaque, ô bone! probe attendas animum ad ea, quae tibi nunc, quam potero, clare ac perspicue conabor proponere. Et primum quidem scias, *Kantium*, humanae cognitionis *fines* designaturum se professum, nequaquam intellexisse, neque intelligere potuisse, quos hodie vulgo appellant, *fines objectivos*. De his enim, ut alibi jam dixi, nulla esse potest aut cogitatio, aut quaestio, simul ac perspectum exploratumque sit, cognitionem nostram, quod posuit *Kantius*, et quod tu *Kantio* concedis, non nisi *subjectivam* esse posse, intelligentiaeque humanae imperviam omnino esse scientiam, quid tandem qualesve res sint, a nostro percipiendi modo nostrisque sejunctae intuendi formis. Ipsa appellatio *finium* te hoc docere potest. Quis enim sanae mentis vir *fines* se designaturum profiteatur rerum, ad quas humanae intelligentiae nullus pateat aditus? Et sunt profecto *fines*, de quibus agimus, nil aliud quam ipsae *conditiones*, a quibus nostra pendet cognitio, quibus ea tamquam fundamentis innititur, et sine quibus nulla in animis nostris cognitio aut existere, aut ul-

ullâ esse ratione potest. Hunc tamen foedissimum errorem, *Kantium* nempe *objectivos* fines intellexisse, in Epistolâ ad *Lyndenum* errasti, eumdemque adhuc, quod pejus est, in tuo Καθαρσίῳ defendis. Igitur fieri nequit, quin, ut *olim*, sit et *nunc* denuo, non contra *Kantium*, quem *petis*, sed contra imagines, à te effictas, sive aegrae mentis somnia, pugnes, teque adeo ipsum deridendum praebeas. Et principium quidem tui erroris in eo quaerendum esse censeo, quod *veros* fines cum *objectivis* turpiter confundis: quasi finibus, quos vocant *subjectivos*, veritas non insit, et quae *subjectiva*, eadem, hoc ipso, falsa sit cognitio. Atque hic error vide ut in animo tuo alium errorem pepererit! Eo enim imbutus principio, putas *Kantium*, qui cognitionem humanam statuit esse *subjectivam*, si sibi constare ac consentaneus esse voluisset, ne conari quidem unquam debuisse, veros cognitionis designare fines: hanc afferens dictatorii edicti rationem, quod is, qui fines cognitionis humanae se nobis designaturum profiteatur, *veros fines* intelligat, et fines adeo, *qui sunt*, *non qui videntur tantummodo*, *objectivos*, *non vero subjectivos*, praestare debeat. Sed, mihi crede! omnium Virorum optime! rem, contra quam disputas, sane nihil intelligis, et errores committis,

qui in tirone, in eo certe, qui non ipſe tiro ſit, ſed tirones olim Philoſophiam docuerit, graviſſimam habeant offenſionem. Utut enim *ſubjectivos* fines, *veros* tamen deſignavit *Kantius*. Atque ipſo hoc, quod cognitionem noſtram ſtatuit *ſubjectivam* eſſe, ita ut ſenſuum viſa percipiamus, non qualia re ipſâ ſint, ſed qualia in formis ingenii ac ſenſibilis intuitionis videantur formata, hoc igitur ipſo, cognitionis humanae *veros certosque* fines deſignare *Kantius* potuit, et re verâ deſignavit: quod utique nec feciſſet, nec facere potuiſſet, ſi cognitionem noſtram ſtatuiſſet *objectivam* eſſe, et ab *objectis*, ſive a rebus, extra noſtrum percipiendi modum noſtrasque intuendi formas poſitis, pendere. Dein, et hoc ſcias, ô bone! et firmiter animo teneas, *ſubjectivum* nobis nequaquam idem eſſe ac *dubium*, neque *objectivum* idem ac *certum*. Totâ igitur denuo viâ erras, cum ſcribis (*): „ ego vero istius reprehenſionis anſam non dediſſem, ſi pro *ſubjectivo* poſuiſſem *dubium*, pro *objectivo certum*". Omnino falleris, Philoſophe veterane! Nec dubito, quin vox *opinabilis*, quâ, e *Ciceronе*

(*) Ibid. p. 43.

ne haustâ, ne quid tua *Latinitas* detrimenti caperet, aliquoties usus es, te in hunc errorem conjecerit. At, si quo par est studio scripta legisses *Kantii*, ignorare nequaquam posses, *subjectivum* huic Philosopho longe aliud quid esse, atque *opinabile Tullio;* neque in epistolâ ad *Lyndenum* scripsisses, *Kantium* humanam cognitionem *a scientiâ et veritate ad opinionem ac speciem traduxisse.* Si tibi lubet, voces et notiones ita confundere, per me licet: sed cave mentiaris, Lectoribusque persuadeas *Kantium* eo usque delirasse. Ipsi profecto *subjectivum* neque est, neque esse potest, *dubium*, *incertum*, *opinabile;* nec magis *objectivum* idem ac certum. Quid? cujus nulla nobis esse possit cognitio, quod ne quidem num, aut quale sit, *sciamus*, idem tamen dicamus nobis *certum* esse; et, contra, quod cognoscere queamus, quippe legibus formisve humani congruens ingenii, atque in illis fundatum, id nobis *dubium incertumque* sit! Et praeclaram hancce doctrinam nobis tradiderit *Kantius*, singulari, quod omnes confitentur, Vir acumine praeditus! Quid? quod *subjectivum* et *objectivum* memorans, ne cogitare quidem de *dubio* ac *certo* Philosophus potuit: quippe quae notiones *Logicae* qualitates exprimunt nostrorum judiciorum, de rebus, humanae intelligentiae non

Digitized by Google

imperviis: de *imperviis* enim nulla esse potest aut cogitatio, aut quaestio. Quapropter, *Wyttenbachiole!* ne tuae te poeniteat, quam jactas (*), *nimiae liberalitatis*, *quâ* scilicet! *nomenclationi Kantianae indulgere* volueris! Imo pudeat te potius *ignorantiae* tuae, quam *liberalitatis* specie quâdam frustra tegere tentas: pudeat et *impudentiae*, quarum utra major sit, dubius haereo!

Quod reliquum est tuorum de *objectivo* ac *subjectivo* deliramentorum, intactum equidem relinquo: quoniam quae e falsis principiis sunt ducta, et ipsa omnia falsa sint necesse est. In tuis tamen, quas hic, ut vulgo soles, largâ manu Lectori projicis quisquiliis, est aliquid, quod quin animadvertam facere non possum, ne tibi impune mentiri et calumniari ipse videare. Nimirum, ut ridendi habeas materiam, mea, pro more tuo, saepius jam castigato, turpiter pervertis et distorques verba. „ *En*, ita exclamas (†), *mirum Horrearii acumen! omnis*, inquit, *finium cog-*

(*) Ibid. p. 43.

(†) Ibid. p. 43.

Digitized by Google

cognitio est subjectiva; ergo fines omnes sunt subjectivi. Nil vidi minus. — Quis sanus non rideat?" Et ego nil minus video. Sed scin' quid videam? Quamvis *oculos* mihi *lippos* ac *natantes* tribuas (*), video tamen clare ac distincte hominem rarae atque incredibilis impudentiae, et mendaciis deditum. Neque enim hoc, quod mihi tribuis, neque hujus simile quid, a me dictum unquam est; quin ne in somno quidem istiusmodi cogitavi stultitiam, ut à re cognitâ ad aliam plane incognitam et imperviam concluderem. *Risum* igitur tuum omnino *ineptum* esse dico; et tibi illud objicio *Catulli:*

risu inepto res ineptior nulla est.

Ex eodem impudentiae genere est, quod in responsione ad quartam *criminationem*, quam vocas, arripuisti effugium (†). Narraveras nimirum, in epistolâ ad *Lyndenum*, ostendisse *Kantium*, Metaphysices materiam notiones esse intelligibiles, antiquiores notionibus sensibilibus, ab experientiâ per sensus corporis in animum illatis. Deinceps a me rogatus, in quonam *Kantii* libro il-

(*) Ibid. p. 44.
(†) Ibid. p. 37.

Digitized by Google

illud legisses παράδοξον, mox *Kantium* relinquis, atque ad eos provolas, quos *Kantianos* dicis; et, velati puër vapulans, *non*, inquis (*), *narro*, Kantium *hoc ostendisse: sed dixi*, Kantianos *narrare*, Kantium *hoc ostendisse*. Verum, ô bone! novimus has technas, nec falli nos eis sinimus. Et ad rem, quam agis, majore non solum astutiâ, sed et memoriâ opus est. Fallaciam enim tuam ipse prodis, dicens: *haec est, si recte memini, summa doctrinae*. Cujusnam igitur, *Kantii*, an *Kantianorum*, doctrinae? Tua ipsius verba responsum ferunt: dicis enim, *doctrinam hanc ab Auctore (Kantio) subtiliter ac fuse esse explicitam*; sive, quod tuus iste *Critobulus* quasi per ἐπανόρθωσιν adjicit, *implicite et contorte, multis et acuminibus compactam et spinis contextam!* Quae verba, quot sunt numero, totidem fere tuae praebent documenta fallaciae. Et ecce! paucis interjectis paginis (†), oblitus id quod ante posueras, *Kantianos* denuo relinquis, et ad *Kantium*, ut haereseos auctorem, resilis! Atque eo quidem hic procedis impudentiae, ut,

per

(*) Ibid. p. 37.

(†) Ibid. p. 64.

Digitized by Google

per *Philaletham* tuum, disertis verbis dicere non verearis, KANTIUM, *ubi de hoc argumento loquitur*, UBIQUE *significare*, *Metaphysicam meris constare notionibus intelligibilibus*, etc. Itaque, quod de *Kantio* primum negaveras, et in *Kantianos*, nescio *quos*, conjeceras, ab his rursus aufers, et in illum rejicis! Adeo verum est, *mendacem memorem esse oportere*, ne alia aliam trudat fallacia! Et praeterea, vix credi posse videtur, tantam in animo hominis, etiam maxime φιλαύτου, impudentiam esse posse, ut plane contrarium ejus, quod apud scriptorem quemdam invénit, invenisse se profiteatur, et loca audacter citet, quae, simul ac vel levissimâ attentione inspiciantur, citantem continuo mendacii, aut certe summae ignorantiae ac stupiditatis, manifesto arguant. Quod cum dico, de duobus loquor locis, quibus tuum de *Kantio* commentum stabilire et confirmare velle videris (*). Ejusmodi enim haec sunt, ut veteris *Metaphysicae*, puris superstructae notionibus intelligibilibus, inanitatem et fallaciam ostendant, eumdemque adeo ad scopum collineënt, quo omnia reliqua, in KANTII *Criti-*

(*) Ibid. p. 64.

Digitized by Google

ticâ rationis purae. Caeterum, quod Lectoribus perſuadere vis (*), me, ignorantiâ Latinitatis, non intellexiſſe, quid ſit *ſumma*, et quid *paucisſimis punctis notata*, est illud profecto cum ridiculum, tum fallaciae et calliditatis plenum. Tua enim probe intellexi verba, quae perſpicua ſunt, et nihil habent dubii. Sed meam mentem a te video non intellectam eſſe. Ita certe *ſimulas*. Velim igitur ſcias, me haudquaquam te ideo riſiſſe, quod *ſummam* tantum doctrinae *Kantianae* tradideris, multasque partes ejus intactas reliqueris, ſed quod eas, quas tangere velles, partes perverſiſſime propoſueris, atque ita quidem, ut in *paucisſimis* iis, quae notares, punctis, plane contrarium dixeris eorum, quae à *Kantio* fuere dicta. *Tu ergo, Vir perite!* (ſic enim tua tibi verba referre mihi liceat) *habes quod te ipſe rideas, deſignare vim atque conſilium doctrinae* volentem, cujus ne prima quidem intellexisti principia.

Hoc autem ne quis forte à me ex invidiâ dictum putet, animum porro paulisper attendat ad ea, quae

(*) Ibid. p. 38.

Digitized by Google

quae meis tuorum argumentorum reprehenſionibus reponere tibi deinceps placuit.

Quinta criminatio, inquis (*), Lectoribus *verba dat*, arguens me *Kantii* illud opus *Metaphyſicam* vocaſſe, quod *Critica purae Rationis* dicatur et dicendum ſit." Igitur, te judice, haec duo nomina, *Metaphyſica* et *Critica Rationis purae*, ſynonyma ſunt: quare et, alio Καθαρσίου loco (†), meam nominis tui *Metaphyſicae* reprehenſionem *ſophisma* appellas! Quamvis autem, ut tibi quidem videtur, *ſophisma* ſit, operae tamen pretium duxisti, (perinde ac ſi non eſſet *ſophisma*, ſed *justa* reprehenſio) nomen *Metaphyſicae*, à te adhibitum, defendere, aut certe defendere conari. Age! videamus quid tentes, et quam tibi, hac etiam in parte, ſis conſentaneus.

Primum igitur, ut pateat te non *erraſſe*, ad duo provocas loca epistolae tuae ad *Lyndenum*, in quibus ipſe dixeris, *Criticam Rationis purae*, ſecundum *Kantii* conſilium atque affirmationem, non

(*) Ibid. p. 38.
(†) Ibid. p. 64.

Digitized by Google

non esse compendium aliquod, vel systema *metaphysicum*. Dein addis: „et tamen *vulgo*, à *Kantianis* adeo, subinde appellatur nomine *Metaphysicae Kantianae*." Tum et hoc defendis, jure eam sic dici, illius siquidem materiâ metaphysica sit! Quae tria si essent vera, consequerentur haec duo: alterum: reprehensionem meam permutati nominis *Criticae* et *Metaphysicae* minime habendam esse *sophisma*, quod tu tamen contendis: alterum: *Kantium* nesciisse quid velit, seque ipsum haudquaquam intellexisse; sed homines acutiores, in quibus tu ipse sis! Viri mentem melius perspexisse: ut igitur non è *Kantio*, sed è te ipso, istisque, quos tu *Kantianos* vocas, vim et consilium doctrinae *Criticae* discere oporteat! quo nihil arrogantius, nihil absurdius.

Sane aliquoties professus est *Kantius*, suam *Criticam* neque esse, neque esse posse, *systema metaphysicum*, sed *censuram* potius *Rationis puras*, suas ipsius vires explorantis, *notitiarumque* ab eâ proficiscentium, ac propterea velle se dumtaxat inquirere, num in humani ingenii facultatem *Metaphysica* cadere possit. Ipse hoc, inquam, aliquoties atque aperte professus est *Kantius*. Neque tu, ad *Lyndenum* scribens, illud ig-

ignorasti: quapropter et ego, tibi respondens (*), ad tuam hujus rei scientiam provocavi, et omnino mirandum esse dixi, te in errore versari, qui ipsis *Kantii* verbis profligari facile queat. Tu tamen antiquum obtines, et, quod doctrinae *Criticae*, à te non intellectae, semel tribuere tibi libuit, *Metaphysicae* nomen invito *Kantio* obtrudis, obtrusumque defendere contumaciter pergis. Ne vero huic tuae contumaciae omnis desit species, primum ad *Kantianos* provocas, quos nobis narras *Criticam Rationis purae* cum *Metaphysicâ* vulgo confundere: dein, audacius atque adseverantius progrediens, *Criticae* materiam ipsam *metaphysicam* esse arguis. *Kantianos* autem quod attinet, istos quidem, quos *tu* dicis, nihil prorsus curo. Si qui enim forsasse sint fuerintve, qui *Metaphysicae* nomine *Criticam* aliquando dixerint, eos in eâdem tecum *Kantianae* doctrinae ignoratione versari, tam certum est, quam quod certissimum. Verum, qui id fecerint, *multos* esse, et *vulgo*, ut *tu* quidem narras, à *Kantianis* Criticam purae Rationis *Metaphysicae* nomine appellari, est illud profecto com-

(*) Epistola ad *Wyttenbachium*. p. 26.

Digitized by Google

commentum ridiculum, ſive, ut mitiore utar eâque *Tullianâ* dictione, *optantis est, non docentis:* niſi *Kantianos* forte eſſe velis minutos tui generis philoſophos, doctrinae *Kantianae*, haudquaquam intellectae vehementerque inviſae, acriter ac faſtidioſe obſtrepentes! Quod tandem nobis perſuadere tentas, materiam *Criticae Kantianae* eſſe *metaphyſicam*, nullamque idcirco cauſam eſſe, cur, loco *Metaphyſicae*, ubique *Critica* ponatur, et nomenclatura *Kantii* ſancte conſtanterque ſervetur; hoc utique ejusmodi est, ut primum legens vix oculis ipſe meis crederem, et mihi etiamnum videatur turpisſimae ignorantiae documentum. Quid enim? dicemusne *Metaphyſicam* et habendam et vocandam eſſe illam doctrinam, quae, omni prior Philoſophiâ, docet quo modo, et ad quem terminum, justa inſtituatur notionum analyſis, ut de ſuo cujusque doctrinae loco et pretio conſtet? Eamne dicemus *Metaphyſicam* eſſe, quae, notionum amplitudinem atque uſum patefaciens, caute anquirit, num eo valeat humani ingenii vis ac facultas, ut in eam cadere *Metaphyſica* poſſit; et quae, inſtituto examine legitimo, eo certe, quo olim putabatur, ſenſu, *Metaphyſicam* rem nullius eſſe pretii demonſtrat? Re verâ ineptis, *Wyttenbachi!* mentisque

Digitized by Google

que caligine graviore laboras. *Cimmeriis* quidem (ut hoc in te adhibeam *Ciceronis*) *Cimmeriis*, quibus adſpectum ſolis ſive Deus aliquis, ſive Natura ademerat, ſive ejus loci, quem incolebant, ſitus, ignes tamen aderant, quorum illis uti lumine licebat: tibi autem, istisque, quos tu probas, tantae ſunt offuſae tenebrae, ut ne ſcintilla quidem ulla ad adſpiciendum relicta ſit.

In eâdem hac ſtuporis atque ignorantiae caligine ea est defenſio, quae libelli tui ſegmento decimo tertio continetur (*). Locum ibi adducis *Kantii*, quo evincere anniteris, hujus Philoſopi ſententiam recte à te et intellectam et propoſitam fuisſe, measque adeo tuae argumentationis reprehenſiones nil niſi *vanas* esſe *captiones*. Miſeret me ſane tui, ô Philoſophe veterane, qui pro *Junone* nubem amplexus es! Locus autem, quem citas, ita ſe habet ex tuâ verſione, quam, niſi elegantem, certe *fidelem* esſe dicis: „ itaque puras notiones usque ad earum (†) ſemina et *fundamenta* in intel-

(*) Φιλομαθ. p. 39—41.

(†) Legitur apud *Wyttenbachium eorum*, pro *earum*. Quod mendum esſe typographicum arbitror, qualia in ejus

tellectu humano perſequemur, in quibus praeparatae jacent, donec tandem occaſione experientiae enucleëntur, et per eumdem intellectum adhaerescentibus ad eas conditionibus empiricis liberentur, et ſuâ in puritate proponantur." In cujus quidem loci verſione nihil reprehendendum est, praeter hoc unum: pro voce *Kantii* Germanicâ (*), quam tu *fundamenta* reddidisti, ſcribendum potius fuiſſe *primas lineas*, aut ſimile quid, quippe quod et voci, à *Kantio* adhibitae, et loci doctrinaeque conſilio accomodatius ſit. Verum hoc obiter. Videamus de re ipſâ. Tuo igitur judicio, haec *Kantii* verba docent, notiones mere intelligibiles in animo humano eſſe abditas, quae per notiones ſenſibiles enucleëntur, et per quas (†) experientia ſenſibiles notitias, id est, ſenſuum viſa, ſive intuitiones ſenſibiles, ſuscipiat atque in formas *categoriarum*

---

ejus libro ſunt multa: quae auctori nolo tribui, quamvis ea, quae meus commiſit typotheta, mihi vitio det.

(*) *Anlage.*

(†) Apud *Wyttenbachium*, φιλομαθ. p. 40, pro *quas* legitur *quae:* quod quin rurſus mendum ſit typographicum, equidem dubitare nolo.

Digitized by Google

rum inferat. Et hanc ipsam doctrinam, quam, ut puto, à *pistricibus* tuis *tabernariis* accepisti, tu *Kantio* affingis; imo impudenter affirmas, nisi iisdem verbis, certe iis, quae tantumdem valeant, à *Kantio* tradi, et in eo, quem citasti, loco *paene iisdem verbis* legi. Quapropter et vehementissime in me inveheris, mihique conviciaris, quod *ille* me locus *Kantii* fugerit, et *quid Propheta ibi dixerit nesciverim!* Verum, ô bone! nec fugit me locus, nec continet aliquid, quod non aliis in locis bene multis occurrat. Tu vero, mihi crede, locum non intellexisti, et hic iterum contrarium ejus, quod a *Kantio* dicitur, dictum putasti. Quare tibi auctor sum, ut animum sedulo attendas, nasoque impositâ dioptrâ citatum locum relegas, et deinceps ad hunc fere modum tecum ipse deliberes. „Dixi ego *Daniël Wyttenbachius*, sententiam expositurus *Kantii*, notitias sensibiles, illo judice, suscipi ab experientiâ, et in *categoriarum* formas ab eâ inferri. Hanc ipsam putavi *Kantii* esse doctrinam, quam, ut imagine quâdam illustrarem Lectoribusque simul deridendam proponerem, festivus esse volens, cum negotio *pistricium tabernariarum* comparavi. Uti enim hae mulierculae, quotidie in foris et compitis sedentes, popana coquunt in farragini-

ni-

nibus, per complures receptaculorum ordines distinctis, quorum singulis infundunt massam liquidam, cyatho ex cratere haustam: sic mihi pistrix videbatur *experientia*, cyatho *spatii* ac *temporis*, ex cratere rerum sensibilium, corporeas hauriens notitias, easque in singula duodecim *categoriarum* receptacula infundens, coquens, animoque apponens. Nec dubitavi, quin hujus imaginis cum festivitatem, tum *dilucidam* et vere *Socraticam* rationem, admirarentur Lectores, atque adeo *Kantii* placita riderent. Verum, proh dolor! res aliter cecidit. Insanire me omnes dixerunt, meamque argumentationem cum *pistricium garritu* contulerunt. Rem igitur mecum denuo expendam! *Pistricem* feci *experientiam.* Verum enim vero, quid est *experientia?* Formatur, ut ipse dixi (*), ab intellectu, ex illatis extrinsecus sensuum visis. Itaque complectitur experientia sensuum visa, eorumque quasi coacervatio est et comprehensio. Hoc autem si verum sit, consequitur, a *Kantio* statui non posse, notitias sensibi-

(*) Φιλομαθ. p. 41, ubi rursus, per mendum typographicum, pro *ab intellectu*, legitur *ab intellecta.* — Sed piget plura menda in *Wyttenbachii* libello notare.

Digitized by Google

biles ab *experientiâ* ſuscipi, arque in formas *categoriarum* inferri. *Experientia* enim eas jam ſusceptas formisque aptatas ponit; eâque conditione ſolâ existere experientia potest. Quod mihi quo magis pateat, age! animum ad *categorias* advertam. Sunt illae *Kantio* ſeminales conceptus intellectûs puri, conditiones omnium notitiarum abſolutae, ſine quibus nulla esſe posſit aut cogitatio, aut cognitio. Eis igitur, in ſenſuum viſis, eorumque coacervatione, quae *experientia* dicitur, ita opus est, ut ſine illis nihil efficere intellectus valeat. Quid ergo? *Experientia* non ſuscipit, neque infert notitias ſenſibiles in *categoriarum* formas; et male proinde eam à me cum *pistrice tabernariâ* comparatam fuisſe, perſpicere incipio. Sed vero *experientia* ipſa à *categoriis* ſuscipitur, illarumque accomodatur formis. Et hoc, ſi jam quid video, ipſum illud est, quod *Kantius* ubique docuit. *Primae*, ut ita dicam, *lineae* notitiarum, in humano abditae intellectu, et in eo quaſi praeparatae, *occaſione experientiae* evolvuntur atque enucleantur; et dein à Philoſopho, qui eas investigare *purasque* ſibi proponere velit, adhaerescentibus ad illas *empiricis* conditionibus liberantur. *Experientia* igitur notionibus principibus et ſeminalibus *occaſionem* praebet ſeſe evolvendi; ſiquidem *experientia*, ut *opus*, *quod in-*

Digitized by Google

tellectus efficit, rudem visorum, à sensibus allatorum, tractat materiam, quam intellectûs suscipiant *categoriae*, unaquaeque visa in suas inferentes formas. Quapropter, nec sine causâ, cognitio humana proficisci à sensibus atque experientiâ dicitur."

Hem *Wyttenbachi!* quid ais? Neque enim dubito, quin meum hoc ipse consilium probes. Fateor, *pistricis* imaginem, quae tibi valde cordi est, derelinquere debes: in id quippe loci te redactum sentis, ut cum illâ quid agas ignores. Et mehercule doleo tecum flebilem *pistricis* casum: nam erat mulieris imago perpulcra, et, ut tibi videbatur ipsi (*), *dilucida* et *Socratica!* Sed necessitati cedendum esse nosti. Interim, ne animum quaeso despondeas: etenim, si consilio obsequaris meo, nae ego vanissimus omnium sim promissor, nisi brevi multum plurimumque sis lucraturus. Te nempe, ut rerum, de quibus disceptare cupis, rudem plane imperitumque, Philosophi in posterum jam non amplius ridebunt: sed

(*) Epist. ad *Lyndenum*, Biblioth. Crit. Vol. III. P. IV. p. 39.

Digitized by Google

ſed praecepta *Kantiana* à te probe intelligi, omnes fatebuntur. Quibus intellectis, auguror fore, ut utrumque libellum, à te compoſitum, Καθάρσιον dico atque ad *Lyndenum* epiſtolam, ſummae monumenta ignorantiae, tuis ipſe manibus in ignem conjicias, et *Catulli* repetas verſiculos:

„ *At vos interea venite in ignem,*
Infelicibus ustulanda lignis
— — — — *c . . . . . charta!*

Non equidem ignoro, tibi valde ingratum ac durum eſſe, hanc providere et quaſi praeſentire tuorum ſortem libellorum. Nec mirum: ſiquidem tu (modo vera narras) Philoſophiae *Kantianae* intelligendae operam jam dudum dediſti, et *ante hos quatuor et viginti annos, quo tempore ego fortaſſe, ut ais, ne nomen quidem* KANTII *fando audiviſſem, cum Criticâ Rationis purae* aliquam familiaritatem jam contraxisti (*). Sed animum erige, mi homo! et lacrymas mitte, quibus, ad minuenda mala, nihil quidquam proficitur. Et, etiam ſi verum quodammodo ſit, *Kantii* Cri-

(*) Biblioth. Crit. l. l. p. 19 et φιλομαθ. p. 47.

Criticam à te jam tum lectam fuisse, quum *ego de* KANTIO *nondum suspicaret*, hoc ipsum tamen, nisi prorsus desipias, noli quâvis occasione narrando repetere, ne tuae ignorantiae turpitudinem augeas. In ipso enim illo loco, quo hoc rursus jactas, ignorantiam simul rursus prodis; Rationem, quam *theoreticam* vocant, cum *practicâ* confundens, et quas *huic* leges aeternas atque immutabiles *Kantius* tribuit, *illi* temere perverseque *Kantii* affingens nomine. Memini quidem, locum aliquem, quo te tuearis, ex praefatione *Criticae Rationis purae* à te productum esse. Sed facere non possum, quin eamdem rursus cantem cantilenam, locumque à te festinantius ac negligentius esse inspectum, aut certe male *intellectum*, dicam. Scripsit videlicet *Kantius*, „ postulari à Ratione, ut tribunal ipsa instituat, quod illius postulata justa quidem tueatur, injusta repudiet, non dictatoriis edictis, sed secundum suas ipsius aeternas atque immutabiles leges." Non loquitur autem Philosophus hoc loco de alterutrâ Rationis *formâ*, quam hodie vulgo *speciem* vocant, et quam duplicem esse, *theoreticam* et *practicam*, novimus: sed de Ratione *generatim*, sive *universe*, agit: et recte quidem, quoniam in *praefatione* versatur operis sui, et brevi adeo in conspectu totum ponere vult *Criticae*

Digitized by Google

Rationis officium. Et *generatim* de Ratione agens *Kantius*, necesse est, ut hîc ad *utramque* spectet Rationis *formam*, id est, ut usum Rationis, et *practicum*, et *theoreticum*, indicet et quasi è longinquo monstret, rem ipsam deinceps, in utriusque Rationis *Criticâ*, copiosius explicaturus. Quamvis enim utraque pars, *theoretica* et *practica*, ad *eamdem* pertineat Rationem, *theoreticae* tamen, quid *verum* sit inquirentis, alium esse usum, itemque alias leges, ac *practicae*, quid *honestum* sit videntis, idque supremâ auctoritate nobis praecipientis, facile intelligitur. Tu autem, *Wyttenbachi!* contra nexum consiliumque verborum, nec non contra mentem et sententiam scriptoris, ea quae proxime ad *formam* Rationis *practicam* pertinent, ad *theoreticam* retulisti. Viden' igitur, nec dixisse id *Kantium*, quod tu, ut ab eo dictum, posuisti, nec de *theoreticâ* Ratione dixisse, et locum adeo, quem nactus magnifice te jactasti, à te haudquaquam fuisse intellectum? Eamdem igitur reprehensionem, quamvis tibi videatur *incredibiter ridicula* (*), hic repetendam esse judico.

Spre-

(*) φιλομαθ. p. 44 et 48.

Digitized by Google

Spretâ porro doctrinâ *Criticâ*, cujus quippe *initia* contendis *ficta esse*, *verumque exitum habere non posse*, pergis ad laudes tuendas atque amplificandas, quas veteri olim *Metaphysicae* tribueras (*). Hic vero nihil novi video, praeter convicia quaedam in *Kantium*, et dictatoria edicta: quibus accedit scholam redolens loquacitas, et repetitio eorumdem argumentorum in laudandâ atque inculcandâ veteris *Metaphysicae*, prae novâ *Kantii* criticâ ratione, praestantiâ. Nolo autem diu haerere in hoc luto, omnesque cophinos foetidissimos ex hoc *Augiae* stabulo egerere. Speciminis tantum causâ, e verbosâ lutulentae dictionis farragine paucula quaedam hic proferam. Sic, exempli gratiâ, *Kantius* tibi *malus* est *pistor*, *qui fruges corruperit*, *panemque fecerit parum salubrem et esculentum.* Tuo scilicet delicato palato *cibus Kantianus durior est atque acerbior.* Hujus Philosophi doctrina expers est *principum Metaphysicae partium*, *Dei*, *immortalitatis*, *ac libertatis.* Imo vero gravissima haec rerum capita, ad *practicam rejecta Philosophiam*, *verbis à* KANTIO *relinquuntur*, *re ipsâ*

(*) Ibid. p. 48—51.

Digitized by Google

ſâ tolluntur., etc. Et hanc quidem contumeliam in *Kantium* effundis! Mihi vero inſcitiam, cum *Latinitatis*, tum *rerum*, multiplicem exprobras. *Ignorem* ſcilicet *vim nominis ſcientiae, quae est evidentia mathematica, opponiturque evidentiae morali, quae dicitur univerſe probabilitas; et nesciam, quod nemo nesciat, Metaphyſicae quidem initia vim habere ſcientiae, id est, mathematicam evidentiam: progreſſus autem ſaepe exire in probabilitatem; et quo magis ab univerſali ad peculiare procedamus, eo magis vim minui evidentiae.* Sed ohe! jam ſatis est:

Plura pudet recitare et nugis addere pondus.

Unum hoc dumtaxat notari velim: nimirum haud alio argumento magis, quam ipſâ hac tuâ de veteri *Metaphyſicâ* disputatione, ejusdem inanitatem ac fallaciam demonſtrari poſſe, atque à *Kantio* demonſtratam eſſe in loco, quem non intellexisti, de *antinomiis*. Etenim, ſi recte dicis, *Metaphyſicae* quidem initia *mathematicâ* valere evidentiâ; *progreſſus* vero (ſine quibus nobis *initia*, quantumvis evidentia, nihil proſunt) in *probabilitatem* exire, ut, quo magis ab initiis ad exitus procedamus, eo magis evidentiae minuatur vis: ſi igitur hoc, quod tu ipſe dicis, verum est; adeone es ſtupidus, quin videas, tuo temet gladio te

Digitized by Google

caedere, hac *probabilitatis* viâ, ad gravisſimorum demonſtrationem dogmatum, et ad res, quae ſenſibus attingi nequeant, progredi cupientem? Si enim ejusmodi est *Metaphyſica*, ut nihil habeat praeter bona *initia*: quae tandem dementia est, hoc uti inſtrumento velle, ad cognitionem amplificandam, et res dijudicandas ſenſibus impervias! Et hic valet illud Poëtae:

— — *cum ſis nihilo ſapientior, ex quo plenior es, tamen utéris monitoribus isdem!*

An vero putas, *Wyttenbachi!* cognitionem noſtram *probabilitate* abſolvi? Si ajas, ô Philoſophe! cave, tibi cognitionem vel minimam philoſophicam arroges. Quin tu in castra potius *Sceptico-rum* transcurris, qui τὴν ἐποχὴν in omnibus laudabant, et ſe τοῖς φαινομένοις προσέχεσθαι dicebant: aut, ſi mavis, *Tireſiae*, apud *Lucianum* (*), conſilium ſequeris, qui ὁ, inquit, τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος καὶ σωφρονέστερος. ὡς τῆς ἀφροσύνης παυσάμενος τοῦ μετεωρολογεῖν, καὶ τέλη καὶ ἀρχὰς ἐπισκοπεῖν, καὶ καταπλύσας τῶν σοφῶν τούτων συλλογισμῶν, καὶ τὰ τοιαῦτα λῆρον ἡγησάμενος, τοῦτο μόνον ἐξ ἅπαντος θηράζῃ, ὅπως, τὸ πα-

(*) *Necyomant.* Opp. T. I. p. 485.

Digitized by Google

παρὸν ἓν θέμενος, παραδράμῃς γελῶν τὰ πολλὰ, καὶ περὶ μηδὲν ἐσπουδακὼς.

Atque ita ipſe neſcius ad *Criticam* KANTII viam muniviſti. Illis enim, qui plane deſiſtere à philoſophando nolunt, nihil ſuperest, niſi ut vel ad hanc confugiant veteris *Metaphyſicae* expultricem, vel ut *Scepticismum*, qui dicitur, amplectantur. Quod posterius, ſi non verbis, certe re ipſâ, faciunt, quotquot, à philoſophando deſiſtere nolentes, tecum ſtatuunt, *Metaphyſicam*, ejus licet *pleraeque partes firmitate careant*, ejusdemque *progreſſus* in meram *probabilitatem exeant*, et eſſe tamen, et eſſe debere, totius matrem Philoſophiae, et hanc rurſus tam infirmae matris filiolam, vicisſim, omnium caeterarum ſcientiarum eſſe matrem, earumque continere ſemina ac fundamenta: id quod totidem verbis à te ſcriptum olim, et nunc denuo poſitum confirmatumque est. Quo et illud ſpectat, quod postea dicis (*), *Kantium* nempe et ſe et alios in eo decepiſſe, quod in *Metaphyſicâ* non niſi *mathematicam* evidentiam voluerit, neque ejus gradus

(*) φιλομαθ. p. 57.

Digitized by Google

dus distinxerit. *Probabilitatem*, fateor, *Kantius*, nec mirum, e *Philosophiâ* exulare voluit: eam quamvis, ut omnes caeteri homines, in vitâ communi sequeretur, ejusque gradus recte distinguere atque aestimare valeret. Nec tamen, ut tu indicas, cognitionem *mathematicam* in *Philosophiam* intrudere voluit, aut utramque cognitionem commiscuit. Quae accusatio summam denuo arguit ignorantiam. Nam, juxta *Kantium*, *mathematica* cognitio in facultate *spatium temposque intuendi* fundamentum habet, atque ad eas omnes se extendit formas, quas *spatii temporisque* natura fert. Latius vero *philosophica* patet cognitio, quae leges formasque, quibus animus noster, in *intuendo*, *comprehendendo*, *ratiocinia nectendo*, adstrictus est, indagat atque ex ejusdem animi naturâ eruit, eâque ratione *phaenomenorum* indolem congeriemque explicat, ordinat, informat.

Dixi modo, *Wyttenbachi!* te *Kantii* de *antinomiis* locum non intellexisse. Imo vero tanta in te est ignorántia, ut eas cum veterum Dialecticorum ἀντιστρέφουσι eodem habeas loco, ac plane confundas. Hoc utique facere haud potuisses, si vim ac rationem *Kantianarum antinomiarum* animo recte percepisses. Hae enim

cum

Digitized by Google

cum istis hoc quidem habent commune, ut in utramque partem de utrisque enunciari disputarique posſit. At vero in eo maxime ab ἀντιστρέφουσι differunt *antinomiae*, quod neutra harum pars alterâ plus habeat evidentiae: ut, quod tibi verum videatur, mihi, ne quid maxume quidem probabile ſit, occurrat, et contrariarum rationum paria eſſe momenta videantur. At in ἀντιστρέφουσι (quod recte dicis) videndum, quânam in parte plus ſit probabilitatis, eaque ſuo gradu juste est aestimanda. Haec autem differentia te fugit, ut lectores *Kantii* leves ac volaticos fugere ſolet. Et hinc quoque *antinomias vana* eſſe clamas (*) *ſophismata*, et *captiunculas*, *quibus infatuatus magistri effatis discipulus capiatur*, *teneatur*, *haereat*. Quae verba ſunt non viri, rem de quâ disputat intelligentis, ſed magistri, quem ſua infatuavit, eaque vanisſima, *philautia*. Erant profecto Veterum illa ἀντιστρέφοντα *inanes captiunculae*, in quibus alteruter numerus pondusque rationum, ſive probantium, ſive improbantium, alterum probabilitate vincebat. Ast in *antinomiis* res longe aliter habere deprehenditur. In illis enim,

(*) Ibid. p. 56, 57.

Digitized by Google

enim, quas *Kantius* propoſuit, quaestionibus, in quibus *antinomiarum* vis cernitur, aequalis est numerus pondusque, nec probantium numero ac pondere, (quod tibi dictatoriâ auctoritate ſcribere placet) numerus ac pondus ſuperatur improbantium, ut probabilitas existat veritati proxima. In *antinomiis* quippe certat ſecum ipſa Ratio, vim atque indolem ſuarum facultatum neque distinguens, neque cognitam perſpectamque habens. Atque est illud certamen ejusmodi, ut κατὰ νόμον, *ſecundum legem*, humano intellectui praeſcriptam, decurrat, nec niſi facultatum inſtitutâ ſecretione ad exitum perduci poſſit. Tantum igitur abest, ut *theſis antitheſi*, aut haec illâ ſit evidentior, ut aequalem, contra, veritatis ſpeciem utraque prae ſe ferat, et victoria, ut ita dicam, *cedat primum occupanti*, eumque qui partem tueatur oppoſitam aggredienti. Haec autem omnia à *Kantio*, aliisque qui eum hac in re ducem ſequuntur, tam fuſe et perſpicue ſunt expoſita, ut riſu videantur digni eſſe, quicumque tecum jactent (*), tres illas quaestiones, de *Deo*, *immortalitate*, *ac libertate*, *in omnibus metaphyſicis commentariis et com-*

(*) Ibid. p. 56.

Digitized by Google

compendiis traditas (*), *et multo melius demonstratas, quam à* KANTIO *aliisque oppugnatas es-*

(*) Summus ille dicendi magister *Wyttenbachius*, qui meam acerrime reprehendit *Latinitatem*, et in quâvis fere mei libelli dictione ulcera et barbarismos venatur, hoc loco *ter* peccat contra prima *Grammatices* praecepta. Scribit enim homo vanissimus: *tres illas quaestiones esse* TRADITA, DEMONSTRATA — OPPUGNATA. Atqui nomen substantivum *quaestio* est generis feminini; et regula vult, ut *adjectivum* et *substantivum* conveniant in *genere*, *numero*, et *casu!!* Ita cum errant, ignoscitur pueris, ferulae nondum subductis: aetate provectis vix ignoscitur: omnium minime, morosо doctori umbratico, syllabarum aucupi acerbissimo, in Literarum opprobrium nato Grammatistae. Sed forte dicat quis, et haec *tria* verba, quamvis juxta se invicem posita, mendis tamen esse typographicis accensenda. Credat quicumque possit! Mihi quidem secus videtur. Quod si verba anxie scrutari vellem, non dubito quin plures *barbarismos* in *Wyttenbachiano* libello invenirem. Ita, exempli gratiâ, scribit p. 21 *conviciati ab aliis:* quod plane *barbarum* est et ferulâ dignum. Scilicet *pariendi celeritas*, de quâ noster homo p. 74. aniliter arguatur, ipsi à Naturâ videtur negata esse. Lento gradu, ni vacillare ac labi velit, ipsi incedendum est. Eam tamen *celeritatem*, ne *tardus* videretur *bubulcus*, assequi scribens cupivit, librumque edidit levem ac volaticum, cujus sibi nec *ratio* constat, neque *oratio*.

Digitized by Google

esse. Ridemus hodie, ut non semel dixi, ejusmodi edicta dictatoria, et ludibrio explodimus. Neque *auctoritatis*, sed *rationis momenta* quaerimus. Et sane risum vix teneo, videns (*) te à me postulare, ut ostendam, *illustres illas Kantii antinomias justas esse argumentationes.* Cur tandem, ô optime! vis faciam, quod ab ipso *Kantio* ejusque interpretibus quam plurimis satis satisque factum est? Ne dicam, à me jam dudum (†), et multo melius ab aliis (§), ipsum *id* quod postulas, esse factum. Quapropter, Philosophe! tu potius, siquidem disputare velis, totum de *antinomiis* locum attento sedatoque animo lege, et, si quid tibi in eo reprehendendum videatur, missis ambagibus, et argutiis, et edictis *dictatoriis*, perspicue propone: dein, dilucide, si quid possis, proba, patere re verâ humanae Rationi aditum ad notiones et demonstrationes *Dei*, *immortalitatis*, *libertatis:* proba, nihili esse ea om-

(*) Ibid. p. 56.

(†) In *elementis Philosophiae Kantianae*, patrio sermone conscriptis Tom. III.

(§) In meo *Horreo Critico.* Ubi in primis legi velim dissertationem Viri amicissimi consultissimi, *Joannis Kinkeri.* T. II. Part. II.

Digitized by Google

omnia, quibus à *Kantio* effectum est, demonstrationes à Philosophis hactenus usitatas, tibique adeo laudatas, vana esse sophismata, nec magis evinci eis posse, illa dogmata vera quam falsa esse!

Caeterum, mi *Wyttenbachiole!* recte dicis (*), me certe consentientem habes, „ παραδοξότατον esse et ὕστερον πρότερον, *theoretica dogmata ex practico ducere.* Verum, ô bone! male facis, quod hanc παραδοξίαν ad *Kantium* trahas! Ex illius enim doctrinâ, haec *postulata* sunt *practica*, nequaquam dogmata *theoretica*; quod non ignorares, nisi in nostris literis plane hospes ac peregrinus esses. Et sunt profecto reliqua, quae in hoc segmento garriisti, omnia ὕστερα πρότερα, et *admirabilitatis incredibilitatisque*, non *Kantianae*, ut *tu* dicis, sed *Wyttenbachianae* referta, accomodata quidem ad risum, non ad rei veritatem. Piget sane taedetque, quae hujus generis sunt, omnia censere. Hoc igitur exemplum sufficiat (†). „ *Kantius*, ita scribis, argumentum hoc

(*) Φιλομαθ. p. 57.
(†) Ibid. p. 57.

Digitized by Google

hoc primus concluſit: *recte agere debeo; ergo est Deus:* caeteri omnes naturam et rationem ſequentes ſic: *Deus est; ergo recte agere debeo.* An igitur illud ratione concluſum est?" Primum, Vir mirifice! e *Kantio*, ut ita dicam, *ſaltatorem* facis *Logicum*, ſeu *Dialecticum*, qui neſciat, lege cautum eſſe, ne *per ſaltum* fiat disputatio. At, mihi crede! *ſaltavit* nunquam *Kantius*, et abeſſe plurimum debere à *ſaltatore Philoſophum*, ipſe docuit. Deinde, argumentum hoc: *Deus est; ergo recte agere debeo:* tibi videtur rationi congruens. Nec miror, *tibi* hoc ita videri. Veris tamen Philoſophis ſecus videtur, et jam olim ſecus viſum est. Communem quidem hominum naturam e contemplatione hujus mundi notionem ſuſcipere *Dei*, et ex hac *Dei*, ut *Legislatoris*, notione *neceſſitatem recte vivendi*, quam *moralem* hodie appellant, ducere ſolere, res est notiſſima, quam nemo inficietur. Verum non quaerimus, quid vulgus opinetur, ſed quid Philoſophis videatur, et rationi ſit conſentaneum. Ne autem de *Kantio* aliisque recentioribus hic dicam, in quos invidiam, indignationem, et de trivio convicia evomere ſoles, provocare ad divinum *Socratem* licet. Hic enim, apud *Platonem*, in aureo *Euthyphronis* dialogo, hanc propo-

Digitized by Google

ponit egregiam quaestionem: ἆρα τὸ ὅσιον, ὅτι θεοφιλὲς ἐστι, φιλεῖται ὑπὸ τῶν θεῶν, ἢ ὅτι φιλεῖται, ὅσιόν ἐστι; quam quidem quaestionem sagacissimi Vir ingenii ita tractat, ut tandem quid verum sit appareat; efficiaturque, tuum hoc argumentum: *Deus est; ergo recte agere debemus:* etsi vulgari hominum opinioni, sapientiae tamen ac rationi consentaneum non esse; sed notionem *sancti* et *recti*, itemque *officii*, notione *Dei* priorem esse atque antiquiorem.

Restat ut locum, qui est de *categoriis Kantianis*, denuo tangam, eumque contra captiones tuas defendam. Sed plures nolo e tuae Philosophiae, sive potius tuorum deliramentorum, stabulo egerere cophinos. Et est profecto haec tuae disputationis pars adeo confusa, et perturbata, et inscitiae plena, ut colophonem quasi omni reliquae dementiae imponere videatur. Unum proferam exemplum, quo de caeteris judicetur. In epistolâ ad *Lyndenum*, tanquam de *Kantio* triumphans, stulte exclamâras: *jam ipsa categoria spatii quam mire conformata est!* Incredibilem hanc cum ignorantiam, tum proterviam, in meâ ad te scriptâ epistolâ reprehenderam; dixeramque, te prorsus nescire, *et* quid *Kantius* per *categorias* intelli-

gat, *et* quo fundamento illarum distributio quadripartita nitatur, *et* quid differant à *formis intuitionum sensibilium*. Ad quae verba tu nunc quidem ita respondes (*): „ in eo, quod dizimus, *categoriam spatii*, noluimus nomenclaturam *Kantianam* sequi; et de *spatio* locuti sumus, ut de notione, quae item, ut caeterae *categoriae*, in hoc gradu censuque habenda, et ab *Aristotele* in *categoriis* numerata fuisset!" Disertioribus verbis, ni fallor, ignorantiam atque impudentiam testari non potuisses. Voluisti igitur *Kantium* ex *Aristotele* interpretari, et utriusque Philosophi placita turpiter confundere! Putas forte, ut ille philosophus, qui *duobus obolis* vendebatur, apud Lucianum (†): *οὐδὲν καλύει θαυμάσιον εἶναι, ἢν μόνον ἡ ἀναίδεια, καὶ τὸ θράσος παρῇ, καὶ λοιδορεῖσθαι καλῶς ἐκμάθῃς.*

Quod reliquum est, id *Scipio* meus, qui eodem, quo ego, in te est animo, tractabit. Facturum enim recepit, et faciet libenter. Me quidem dudum piget tuam profligare ignorantiam. Nunc igi-

(*) Ibid. p. 54.
(†) Opp. T. I. p. 551.

igitur labore defatigatus vires paulisper reficiam, et ad id, quod reliquum est, taedium animum firmabo. Vale.

Scripsi Amstelodami, d. 9 Februarii, a. MDCCCX.

*

Digitized by Google

EPISTOLA TERTIA.

PAULUS HEMERTIUS

S. D.

DANIËLI WYTTENBACHIO.

Quanti, ô bone! tuum illud Καθάρσιον, cum in Literis, tum in Philoſophiâ valeat, ſatis, ni fallor, apparuit. Sed vero et alias libellus tuus, easque praeſtantisſimas, habet virtutes, de quarum praecipuis (omnes enim quis recenſeat?) exponendum eſſe intelligo: ut Lectores tandem pernoscant, quam vere, in tui initio libelli, aſſeveraveris, te utramque virtutem, alteram recte ſentiendi, bene faciendi alteram, *in omni vitâ, omnibus tuis in actionibus, ſtudiis, ſcriptionibus, et in hac maxime* φιλομαθίας *ſcriptione, fuiſſe ſecutum.*

Ea autem, quae hic dicenda habeo, nec numero ſunt pauca, neque ejusdem omnia generis. Qua-

Digitized by Google

Quapropter subveneor, ne hujus argumentum epistolae varium nimis ac multiplex videatur. Nec tamen aliter fieri posse arbitror, nisi praecipuas καθαρσίων tui dotes virtutesque praeterire inactas velim: quod, etiamsi tu forte aequo ferres animo, apud Lectores certe nostros nullam prorsus excusationem haberet. Itaque spectandum te proponam, modo jocantem fabulasque festive narrantem; modo te ipsum contra meas reprehensiones defendentem; modo praedicatione te et gloriando efferentem; modo rursus aliud quid sedulo consectantem.

Age igitur! initium ducamus ab iis, quae ad defendendam nominis tui famam in medium a te prolata esse video. Neque tamen et haec unius sunt generis: alia enim tuam spectant Literarum scientiam, alia voluntatem animi. De hisce, ut gravioribus, primum videamus, et rem, siquidem tribus fieri verbis potest, paulo repetamus altius.

Meministi, *Wyttenbachiole!* te, in epistolâ ad *Lyndenum*, Virum nobilissimum, de me rebusque meis multa narrare, quae plane sint falsa, quorum ego, in meo ad istam epistolam responso, ut nosti, longum contexui catalogum. Ex

Digitized by Google

duplex quidem eorum, quae de me commentus es, mendaciorum notavi genus: alterum illorum, quae famae meae bonaeque existimationi non admodum noceant, certe eam, etiam si essent vera, non lacerent: alterum eorum, quae famae omnino noceant, imo vero mihi infonti turpitudinis inurant stigma. In *his* duo potissimum animadvertenda duxi. Alterum spectat *obsequium*, quo me senem nostrum *Meerschium* narrasti olim *demulsisse*; alterum stomachum atque iracundiam, quâ me exarsisse dixisti, quod nulla me unquam Academia acciverit. Quemadmodum autem reliquas universe criminationes omnes a me repuli, ut falsissimas: ita *hanc* atque *illam* in primis; quippe quâ utrâque nil odiosius, et a naturâ moribusque meis alienum magis disjunctumque sit: *foedumque* idcirco te *calumniatorem* ad probanda, quae in me conjeceras, *convicia* et *mendacia* provocavi. Quid vero tu, ad haec omnia, quae falso a te accusatus es scripsi, et scribere debui, in hoc Καθαρσίῳ respondisti? Nihil prorsus! Unice illud, quod de meo erga *Meerschium* obsequio narraveras, tetigisti. Caetera, *ridiculum* tibi videri (*) *putidumque esse dixisti*, *te*, *contra*

(*) Φιλομαθ. p. 124.

ra Horrearii crimina, mores tuos, vitam, et facta defendere: quamquam, ut simul significes, *disertus esse possis, si contra ista dicere velles!* Quibus verbis nescio equidem quid excogitari *putidius* magis *ridiculumque* possit.

Itaque *in eo solum*, quod ad illa spectat, quae de meo erga *Moerschium* obsequio in chartas conjeceras, *calumniae* infamiam a te repellere annisus es. Age igitur! audiamus, in hac tui defensione quam *fis disertus*, sive potius, quam artificiosâ dissimulatione Lectores deludere, facumque illis facere conaris.

„ Rursus, inquis (*), ignorantiam Horrearius prodit Latini sermonis, per quam aliquot deinceps paginas indignatur ac debacchatur, quod se *adulationis* insimulaverim: quae tragoedia ex parum intellecto nomine *obsequii* ortae sunt, quod ille perperam putat idem esse atque *adulationem:* potest enim illud cum hac esse conjunctum, potest etiam abesse." Et paulo post scribis, *obsequium* nomen esse *medium*, *neque in malam par-*

(*) Ibid. p. 108 et 131.

Digitized by Google

partem a te adhibitum. Lectoribus igitur persuadere vis, vocem hanc, a te, in *bonam*, aut certe in *mediam*, partem esse adhibitam! *Haud stulte sapis; siquidem id sapere est, velle te id, quod non potest, contingere!* Verborum enim tuorum contextus ipse tibi obest, mentemque tuam satis declarat, ut omnis tollatur dubitatio. *Senem nostrum* MEERSCHIUM (ita de me, in Epistolâ ad *Lyndenum*, scripseras) *obsequio demulcens, hujus commendatione cathedram obtinuit.* Quid, quaeso, *obsequium*, hoc sensu positum, praeter *assentationem* quamdam atque *adulationem*, significare potest? Et phrasis integra, *obsequio aliquem demulcere*, nonne tantumdem valet, quantum *blandis mellitisque verbis aliquem ducere?* Rem ipsam expressit *Terentius*, in *Andriâ.* Quem locum hic describam, meo quippe consilio perquam opportunum. Ibi ita *Simo* (*):

„ Sic vita erat: facile omneis perferre ac pati;
Cum quibus erat cumque una, iis sese dedere,
Eorum *obsequi* studiis, advorsus nemini:
Nunquam praeponens se illis. Ita facillime
Sine invidiâ laudem invenias, et amicos pares."

Ad

(*) L. 1. 35–41.

Ad quae respondet *Sosia*:

„ Sapienter vitam instituit: namque hoc tempore *Obsequium amicos, veritas odium parit.*"

Improbatur, inquit *Donatus* (*), a Sapientibus haec sententia. Nam *obsequium* asſentator debet, *veritatem* amicus." *Obsequium*, inquit *Willichius* (†), est *obsecundatio*, *asſensus*, et *indulgentia ad cujuslibet arbitrium atque voluntatem, nullâ honestatis ratione habitâ.* Ecce igitur, quid *obsequium* usu vulgari significet! Provocabis forte ad *Ciceronem*, cujus haec sunt in *Laelio* (§) verba: „ in *obsequio* autem (quoniam *Terentiano* verbo lubenter utimur) comitas adsit: *asſentatio*, *vitiorum adjutrix*, *procul amovea-tur.*" Sed ne hic quidem locus te juvat. Paulo enim ante dixerat *Cicero:* „ Molesta *veritas.* — Sed *obsequium* multo molestius, quod peccatis indulgens praecipitem ferri amicum sinit." *Vulgo* igitur *obsequium* cum *adulatione* est conjunctum; et hinc idem ille *Cicero* prudenter monuit, omni hac in re habendam esse rationem ac diligentiam, ut

(*) Ad hunc locum.

(†) In notis Variorum ad h. l.

(§) c. 24.

Digitized by Google

ut ab *obsequio* procul amoveatur *assentatio*, virusque adeo ſuum prorſus illud amittat. Quid plura? Ipſe enim, *Wyttenbachi!* verbo uſus *demulcere*, mentem tuam ſatis explicuisti: ut, ſi nomen *obſequii* dubitationem habere aliquam videatur, eam continuo additum hoc verbum *dispellat*.

Itaque, quamvis, etiam hic, ubi *te contra meam criminationem defendere tentas*, tuo modo *diſertus ſis*, manes tamen,

λιγυς περ ἐων ἀγορητης,

in eodem, quo te accuſavi, crimine, quo neque tua quantulacumque eloquentia, nec doctrina, nec callidum *Sophistae* ingenium, ullâ te ratione liberet. Etenim, quod ait Poëta (*):

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἑφυ,
Κοὐ ποικίλων δεῖ τὰ δίκῃ ἑρμηνευμάτων,
Ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρὸν· ὁ δ' ἄδικος λόγος
Νοσῶν ἐν αὐτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

Imo vero non tantum *diſertus* es, verum etiam *callidus*, et *callide mendax*, Lectoribus narrans, me dixiſſe, *adulationem* tantum eſſe ſcelus, quantum *fana ſpoliare*, *virgines ſtuprare*, *patriam* au-

(*) *Euripid.* in *Phoeniſſ.* v. 472.

auro vendere (*). Equidem ſane nunquam dixi, me (quod veteres ſtatuebant *Stoici*) *omnia peccata* habere *paria*, adeoque *adulationem* tantum eſſe flagitium, quantum *homicidam eſſe*, *aut aliud quodpiam facinus horrendum patrare* (*). Sed hoc fere est quod ſignificavi! „ ſi nimirum impune *adulationis* infimulare inſontes liceat, ad alia eaque graviora iisdem affingenda crimina, hominum facile proterviam progredi. Cauſam igitur me deridendi plane habes nullam: eamque ne tum quidem haberes, ſi *Stoicorum* profeſſus placitum fuiſſem, ſententiaeque ſubſcripſiſſem, quae in TULLII *Paradoxis* hoc modo legitur (*): „ in quo peccatur, id potest aliud alio majus eſſe, aut minus: ipſum quidem illud *peccare*, quoquo verteris, unum est. Auri navem everat gubernator, an paleae: in re aliquantulum, in gubernatoris inſcitiâ nihil interest. Lapſa est illius libido in muliere ignotâ (addere liceat, aut in puellâ quâdam obſcurâ, v. c. *ancillâ domesticâ* (*)): dolor ad pauciores pertinet, quam

(*) φιλομαθ. p. 108 et 131.

(†) Ibid. p. 108.

(§) Paradox. III. 1.

(*) *Perſpicuitatis* cauſâ, haec verba adjeci, ut tandem

quam si petulans fuisset in aliquâ generosâ ac nobili virgine: peccavit vero nihilominus, si quidem est *peccare* tamquam transilire lineas" etc. — Nec profecto minus est callidum, cum tuum *Critobulum* de me ita facis loquentem (*): „nos autem vicissim Horreario perpetuum *calumniatoris* nomen denunciamus, nisi *demonstraverit, nos tibi adulari:* quod in epistolâ ausus est dicere." Imo vero *ausus sum*, Viri praeclari! et adhuc audeo. Et quidni auderem? siquidem aut nullum unquam *adulationis* exemplum literis consignatum fuit, aut, si fuit, in singulis fere utriusque vestri dialogi paginis, certissimis monstrari indiciis *adulatio* potest. Sed vide! mi *Wyttenbachi!* quam tui haec *Critobuli* festiva sit denunciatio! Quis enim is est, qui me provocet? Nomina lego *Critobuli* cujusdam et *Philalethis.* Enim vero quinam isti sunt homines? Atrine, an albi? quid agunt? ubi terrarum degunt? Etsi enim probe novi, quos rumor sub his circumferat simulatis nominibus: rumoribus tamen quis adeo

---

dem *Wyttenbachius* mentem meam recte capiat. Et ipse multa, ut ait, *perspicuitatis* tantum *causâ*, suo libello inseruit.

(*) Φιλομαθ. p. 131.

Digitized by Google

adeo fidat? Itaque hoc nobile par fratrum suum quisque producat *verum* nomen: ut sciam, quibuscum mihi, siquidem id volunt, decertandum sit. Et eâ quidem lege continuo ostendam, ipsos (modo ea, aut similia, quae illis tribuis, fuerint locuti) *adulationem*, *blanditiam*, *assentationem amare*, quibus, quod à *Tullio* recte dicitur, *nulla in amicitiis pestis esse major possit.* Producat certe nomen suum nasutus iste et garrulus veterator, *Critobulus*, tuus jam olim *Amstelodami* habitantis sodalis, quem satis designasti. Huic quippe anilis et scurrilis animi viro, ad labores literarios pigerrimo, suas, in tuis contra me factitandis libellis, partes fuisse impulsoris, incensoris, famigeratoris, non unâ de causâ persuasissimum mihi est. Nimirum, ut olim *Romae*, ita nunc Leidae,

„ *est ardelionum quaedam — natio,*
trepide concursans, occupata in otio,
gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
sibi molesta, et aliis odiosissima."

Philalethi vero, sive Seni, ad quem tu spectas, cum animi tum ingenii dotibus conspicuo ac venerabili, doctâ disputatione de *anthropologiâ Stoicorum* claro, partes, in tuis de me dialogis conficiendis, nullae, ut puto, fuere. Praeterquam enim, quod hic Vir omnem habet humanitatis vim,

et

Digitized by Google

et licet perfacetus, sine ullâ tamen offensione atque acerbitate, imo vero cum summae benevolentiae significatione amabilis, et in omni congressu urbanus jucundusque est; ipse ego praeterea illum, anno proxime *praeterlapso*, mense, ni fallor, *Aprili* in finem vergente, oram multis viris honestissimis, quibus sodalibus aç familiaribus utor, hac ipsâ in Urbe, ingenue aperteque fatentem audivi, se sermones istiusmodi, quales in epistolâ ad *Lyndenium* commentus es, tecum nunquam habuisse. Quapropter et vehementer dubito, num illa, quam humanissimo huic Viro imposuisti, aliena persona grata ipsi vel aliquo modo sit atque accepta. Certe, *Wyttenbachiole!* non male facisses, si, ante tuorum de me libellorum editionem, ad hunc Virum spectatissimum scripsisses, quod olim ad *Varronem* scripsit *Cicero* (*): „ Puto fore, ut, cum legeris, mirere, nos id locutos esse inter nos, *quod nunquam locuti sumus.* Sed nosti morem dialogorum."

Et ista quidem hactenus. Caetera autem, quae de me effuciisti, mendacia ne vel *probare* conatus es, neque ausus *dissimulare*: estque adeo hoc ip-

(*) L. IX. Ep. 8. T. II. p. 21. Ed. *Graev.*

ipsum, de meo erga *Mearschium* obsequio, prorsus unicum, quod, quamvis infeliciſſimo successu, callide tamen doloseque dissimulare et quasi velare tentasti. Manes igitur, *Wyttenbachi!* in eodem, quo se accusavi, crimine, et *passimi calumniatoris* nomen tibi rursus, palamque denuncio.

Sed veniamus ad alia; quae tibi, in nominis tui defensione, angingere placuit. Pupugisse te cum maxime videor, bilemque tibi vehementer movisse, quod, ex oratione *Ruhnkenii* elegantissimâ de *doctore umbratico*, meae aulus fui epistolae praemittere quaedam verba, quibus Vir ille praestantissimus, cujus frequenti commemoratione tu, in omnibus fere scriptis, laudem tibi famaeque incrementum quaeritare soles, *hominum umbraticorum*, et ab omni convictu ac consuetudine civili remotorum, vanitatem et, ut dicitur, *pedantismum* sapienter acuteque derisit. Hujus equidem Viri verba simpliciter retinui, et quasi loco teserae, epistolio praeposuerim. Tu vero (*tanta est conscientiae vis!* (*)) eadem in te ip-

(*) Ita de me *Wyttenbachius*, φιλομαθ. p. 133.

ipſe accomodas (*): dein, ac ſi ego diſertis verbis ea in te accomodaſſem, quaelibet in me evomis convicia, et coelum terramque moves, ut *pedantismi* a te amoliaris ſuſpicionem, eamque in me ipſum conjicias. Age autem! (nam profecto festivum est ſpectaculum) videamus quomodo te torqueas, ut Lectoribus, ſi qui ſint ſatis credduli, perſuadeas, orationem illam *Ruhnkenii* politiſſimam ad te moresque tuos nequaquam pertinere, imo ne vel aliquâ pertinere ratione *poſſe*. Et in primo jam id ſpectaveras libri ingreſſu (†). Ibi enim narras, *te ſolere post meridiem extra hortulum ſpatiari, aliquando etiam longius ad mare excurrere, teque in litore et collibus, largiore proſpectu et recenti aurâ recreare*. etc. Quae verba (de quorum veritate quis dubitet eorum, qui tuam norint vivendi rationem?) cum legerem, mecum ad hunc fere modum commentabar: „ nolite existimare, Lectores! me in doctoribus eſſe *umbraticis*, qui, (ut dixit *Ruhnkenius* in oratione) ſive naturae moroſitate, ſive ſuperbiâ et aliorum contemtu, ſive

(*) Ibid. p. 10—16.
(†) Ibid. p. 2.

Digitized by Google

ſive nimiâ literarum aviditate, ſive quâcunque aliâ cauſâ, in muſei umbrâ ita ſe literis abdant, ut rei publicae lucem hominumque conſuetudinem fugiant, iisque nullâ re ſimiles eſſe velint, ſic demum, ſtulte credentes, ſe graviorem augustioremque ſpeciem habituros. Contra, illis potius me annumerate, qui, etſi vulgi congreſſum ac fori ſtrepitum fugiant, lucis tamen atque amicorum ducantur ſtudio." Sic, inquam, tuorum ſenſum verborum interpretabar; neque falſum me fuiſſe interpretem, ex iis colligo, quibus ſuſpicionem *pedantismi* deinceps a te propellere anniſus es. Postquam enim dixeras, me illam RUHNKENII *nactum* ſententiam, gaudio exſultaſſe ac triumphaſſe, neque animadvertiſſe, eam potius in me *miſerum* valere, Lectorem doces, *Ruhnkenium*, laudatâ oratione, non *Profeſſores Academiarum*, ſed *minores Doctores* et *Scholarum Rectores* ſignificaſſe! Quod, ſi quis, unde ſcias, quaerat, cum Vir cl. *univerſe* de omnibus loquatur, qui literas profitentur humaniores; hanc reddis plane egregiam rationem, quod nimirum *Ruhnkenius ipſe, fuit Profeſſor!!!* Tum praeterea et hoc impudenter addis, *Ruhnkenium* tempori magis quam veritati fuiſſe obſecutum! quaſi non is fuerit ὁ μακαρίτης, quem, ut inter omnes conſtat, primum natura ipſa, tum multo ma-

gis ratio et doctrina ad *candorem ingenuitatemque* finxisset. Potro tutras, *Ruhnkenium* animam saepe animi tui lenitatem, in semidoctorum judiciis patienter ferendis, reprehendisse; imo vero, eum, si viveret, suamque e me dictionem in *te* conversam videret, vehementer (quoniam scilicet et *tu* Professor es Academiae!) me fuisse objurgaturum. Et, ne quis tibi ita garrienti fidem deneget, ipsa verba exhibes, quibus Vir humanissimus in me invectus fuisset: quorum quidem divinatio tibi, *Ruhnkenii* et ceterorum ingenia hominum ex tuo spectare solito, difficilis non sit. Dein domesticos appellas et contubernales tuos, qui testentur, quam sis alienus a *pedantismi* vitio. Tum ad *Ruhnkenium* rursus provocas, qui, uti, *Philalethis* induta persona, pulcre observas, si istud tibi vitium inesse vidisset, te ante omnes alios, et corripuisset, et sanasset; atque e cujus tecum olim, ut quidem perhibes, habito dialogo quodam fragmentum apponis, utique lepidissimum, quod sic infit (*): „ In te, *Wyttenbachi!* contrarium est *pedantismi* vitium! Aliquanto plus deberes habere illius confidentiae, et, ut vocant, *char-*

la-

(*) Ibid. p. 12, 13.

latanerias, quae doctis etiam saepe utilis est," etc. Qui dialogus quin genuinus sit, et ex ipsius *Ruhnkenii* profectus ingenio, nemo unus est intelligentium, qui dubitet! Tandem, circumsiliens modo huc, modo illuc, contra ipsam *Ruhnkenii*, a me simpliciter positam, sententiam: *Logice* argumentari incipis (*): „ quasi *ego* enuntiatum hoc, sua naturâ particulare: *quidam scholastici sunt arrogantes*: universale fecissem, et dein reciprocassem." Quod incredibiliter omnibus videatur ridiculum; si quidem manifestum est, te cum umbris pugnare, et non *mihi*, quem petis, sed ei, quem *tuum* vocas, *Ruhnkenio* convicium, et in *hunc* potius, tanquam artis Logicae imperium, atque *umbraticorum* arrogantiae hominum risorem, quam in *me*, debacchari. Cogita autem, mi bone! (sic enim verbo, mihi quotidiano à te sine ratione objecto, tibi vicissim cum ratione reponere liceat (†)) cogita *Sophoclis Ajacem flagiferum*, qui, in judicio armorum *Achillis* intersecti, apud concionem Graecorum superatus ab *Ulysse*, ira et furore incensus, in ovium gregem

in-

(*) Ibid. p. 13, 14.
(†) Ibid. p. 134, 135.

irruit, ejus ducem arietem comprehendit et crudeliter flagellat, putans se in Graecorum concionem irruisse, et *Ulysſem* flagellare. Adeo quippe verum est. quod *Ruhnkenius*, in illâ, quam dixi, oratione notavit: *umbraticos homines, in latebris ſuis, ſenſum, qui communis dicitur, perdere; eorumque animis ſtuporem offundi talem, ut, quid verum ſit, ſentire nullo modo queant!* Et profecto, *Wyttenbachiole!* nullâ aliâ ſcriptione magis, quam hoc tuo Καθαρσίου *libello*, hunc prodidisti ſtuporem, teque *umbraticum doctorem* omnino probasti. Ita, mehercule! unusquisque de te ſtatuat, neceſſe est: ſive tuam ſpectet arrogantiam, animique fastum ridiculum, et paedagogicam fatuitatem; ſive inſanum minutiarum ſtudium, atque istud, a te denuo erectum, *Scioppiano* prorſus ſimile tribunal, ad quod, ipſe licet ſaepe labaris, unumquemque, cui infenſus ſis, ſi forte in voculâ ſyllabâve lapſus eſſe videatur, obtorto collo rapias; ſive morositatem tuam, et immanem in me aliosque animadvertendi ſaeviendique libidinem; ſive difficiles nugas atque ineptias, quas narrationibus tuis fabulisque commisces; ſive ſtuporem denique istum, quem animus tuus in umbrâ contraxisse videtur, et quo fit, ut inſcius ſaepe tecum ipſe pugnes, atque argumenta nectas, delirantibus, non iis qui ſapiunt,

unt, dignisſima. Quae omnia cum mecum conſidero, fere adducor ut credam, *Ruhnkenium*, doctorem cum pingeret *umbraticum*, te in primis ante oculos habuiſſe; ſive (ut feſtivitatem (*) imiter *tibi* propriam) tuum Καθάρσιον a te ſcriptum eſſe, *ut impleretur*, *quod* a *Ruhnkenio*, in oratione, adumbratum quaſi et praedictum est.

Non minus, ut video, te pupugit, quod *metricae rationis* tibi objeci *inſcitiam*. Nec miror profecto, hoc te male habere! Nam, cum *hiſtrio*, ut ait *Tullius* (†), *ſi paulum ſe movit extra ordinem*, *aut ſi verſus pronuntiatus est ſyllabâ unâ brevior*, *aut longior*, *exſibilatur et ex-*

(*) Ibid. p. 136. Est tamen haec *Wyttenbachii* feſtivitas reprehenſione quam imitatione dignior. Primum enim, ſine ratione, concionatoribus iterum inſultat. Dein *feſtivum* vocat, quod ſane *feſtivum* non est, quin potius *ſacrum*. Tum porro, per ſummam, in quâ verſatur, rerum ſacrarum ignorantiam, *parcus Deorum cultor* concionatoribus illud tribuit, quod non *his*, ſed *ſacris Literis* tribuendum est. Etenim non *concionatores*, ſed *Literae*, quarum illos esſe decet interpretes, *ſacrae* utuntur hac vel ſimili formulâ: Ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ κ. τ. λ.

(†) Paradox. III.

Digitized by Google

exploditur: quid viro accidat, Literas, atque adeo *poëfin* profitenti, ſi nec numerum metricum ſcire, nec ſyllabarum curare quantitatem deprehendatur? Quapropter non valde mirari me ajo, hac meâ criminatione, certiſſimis demonſtratâ documentis, bilem tibi graviter fuiſſe commotam: id quod unicuique apparet, cum ex maledictis et conviciis, quae hic iterum, pro more tuo, largâ manu in me effundis, tum ex eo etiam, quod non *ſemel*, neque *uno* tantum modo, ſed *tribus diverſis locis modisque* (*), cauſam tuam defendere tentas.

Tria nimirum inſcitiae tuae produxeram exempla. Primum eſt illud *Horatii:*

capſâ porrectus apertâ:

pro quo tu perverſe dederas:

capſaque etc.

Alterum *Propertii:*

quaeſitum nomen ab aevo:

quod tu male mutâras in

nomen quaeſitum etc.

Tertium ex *Anthologiâ* eſt *Planudeâ:*

nul-

(*) Φιλομαθ. p. 83. 101. 127—129.

Digitized by Google

καὶ πᾶσα πρᾶξις τὸν λόγον ἔργον ἔχει:

pro quo tu ſubſtituebas:

καὶ πᾶσα πρᾶξις, ἢ κ. τ. λ.

Videamus igitur, quid, ad hanc ignorantiae tuae deſignationem, reſpondeas, et quibus artibus technisque hanc a te turpitudinem amoliri nitaris. Itaque, quid reſpondes, ô bone! ad illa, quae exhibui, documenta? Parum profecto tuam adjuvat cauſam, quod mihi denuo conviciaris, *ſtultumque* me vocas (*) *et ſtultiorem in commiſcendis argumentis.* Nec me istud magis movet, quam quod alibi affirmas (†), *me de metro judicare, ut puer ſcholaſticus, ludimagiſtri dicta venerans.* Tu vero, ut illo *Terentiano* utar, *rem potius ipſam dic, ac mitte male loqui.*

Quod ad *Latina*, alterum *Horatii*, *Propertii* alterum; ea *operarum* eſſe *vitia* ſignificas (§). *Capſaque* pro *capſâ* igitur mendum est typographicum! Hem! non male hoc a te dicitur. In ſcilicet peccare isti operarii vulgo ſolent, *totas*

(*) Ibid. p. 127.

(†) Ibid. p. 101.

(§) Ibid. p. 127.

Digitized by Google

tas addendo *ſyllabas!* Et *Propertii* illud: *nomen quaeſitum*, pro *quaeſitum nomen*, in eodem eſſe ais mendorum genere! Pol, caput es lepidum! Et tuus iste typotheta non dubito quin in ſemidoctis ſit, atque aliquantulum ſuo modo poëtetur, quod ita ſcriptionem immutare tuam audeat! Imo fere ſuſpicor, eundem eſſe hominem, qui olim, cum tu (ſic certe ſperamus) cum tu ſcilicet! ſcripſiſſes:

magnus ab integro ſeclorum nascitur ordo:

ſuo audacter periculo dedit: NOVUS *ab integro* etc. Tu vero, ſi ſapis, naſuti hominis retunde ſuperbiam, ac maleſanam veteres emendandi Poëtas libidinem; et, quamvis te Muſae manſuetiores *lenem* reddiderint ac *manſuetum animo!* cave tamen (quod te tuus jam monuit *Ruhnkenius* (*)) ne *nimiâ lenitate pecces:* ſed potius graviter operarium verbis increpa: ut ne idem denuo faciat, et te in Poëtarum adducere irriſionem ac reprehenſionem pergat.

Verum quid est, quod te cruciet, ô bone! animum enim tibi pendere ſentio; et videor mihi te

(*) Ibid. p. 12.

Digitized by Google

te videre, chartis impallescentem, atque in illis, qui de arte metricâ exponunt, Grammaticorum Libris, neglectae elisionis exempla anxie et sollicite circumspicientem. Tuum illud *Propertii* putabam equidem *operarum* esse *vitium!* Sic enim ipse dixeras. At vero ad *Ennii* auctoritatem, itemque ad alium *Propertii* locum, te jam confugere video: ut ostendas, *synaloepham* aliquando negligi (*): quod nobis vel ex *Vossio* notum est, qui plura suppeditavit exempla. Profecto, hoc mihi mirum accidit, et rem non satis capio: vix enim, et ne vix quidem, *operarum vitium* cum *Poëtarum auctoritate* uno eodemque consistere loco potest. Sed fortasse, pro tuâ humanitate, typothetam tuum defendere conaris: ne Lectorum aliquis de eo male sentiat, ac si, ut typothetarum plerique, homo esset Literarum et poësios plane ignarus. Sed esto, tuum hunc hominem non sine ratione posuisse: *nomen quaesitum!* nollem tamen eum ita defendisses, cum propterea, quod jam antea *vitium* esse asseveraveras; tum, quod, quamvis aliquando Poëtae *synaloepham* negligant, ut *versus hiet;* hi tamen, hoc

(*) Ibid. p. 101.

Digitized by Google

hoc cum faciunt, *non casu*, *sed consulte* faciunt: quod ab eruditis ostensum est (*): ne et hoc addam, *Ennii* auctoritatem, ad quam provocas, non multum valere (†); et de *Propertii*, quem citas, loco constituendo non unam esse eruditorum sententiam (§).

Restat *Graecum*: καὶ πᾶσα πρᾶξις, ἡ κ. τ. λ. „ Ignoravit, inquis (*), *bonus magister*, (ita me appellas, quem alibi *puerum* dicis *scholasticum*) syllabam ξις, per adspirationem sequentis syllabae ἑ, longam fieri, et omnino adspirationem subinde *instar* consonantis esse, ac positionem efficere." Dein, multos citas scriptores. *Brunckium*, *Burgessium*, alios. „ *Qui libri* (quod perquam humaniter addis) *si Horreario ignoti et doctiores quam*

(*) Vid. *Broukhusius*, nec non *Vulpius*, ad hunc *Propertii* locum, II. 32. 45.

(†) Hinc, aliâ occasione, *Vossius*, Prosod. p. m. 681, postquam locum attulerat *Ennii*: „ sed, inquit, hujusmodi rancida, veternoque oblita, non debent esse pro exemplo."

(§) *Scaliger* e. c. locum ita fulsit: *Haec eadem*, *haec ante illam* etc.

(*) φιλομαθ. p. 84.

Digitized by Google

quam pro ejus modulo ſunt, videat in pueriſi bibliotheçâ" etc. Igitur, quamvis me *magiſtrum* dicas, ignoravi tamen, quod *pueris ſcholaſticis* ignorare nefas! Sed pacè tuâ, Vir optime! rem tuam male agis, quod mea ipſius verba apponis: quae ſi non adſcripſiſſes, dicti tui fidem Lectoribus forsaſſe fecisſes. Nunc vero ſuis ipſi oculis legunt, me rem, ad quam probandam tot cles tamque doctos testes, nequaquam ignorasſe, ſed *rari et rariſſimi exempli* eſſe dixiſſe: quemadmodum diſertis verbis ſcripſeram. Itaque tuum fuerat, probare, exempla adſpirationum, quae conſonantis inſtar poſitionem faciant, minime eſſe *rara*, verum potius *frequentia*. Hoc enim ſolum proprie illud est, quod manifesto poſui. Quod ſi autem hoc ostendere nequeas; mei manet argumenti vis, *temeritatisque*, cujus me accuſas (*), crimen in te ipſum rejicio, quod ad rem provocas, quae *rari exempli* ſit, atque emendationem loci huic lubrico ſuperſtruis fundamento.

Caeterum, quid ſibi vult tuus iste *Critobulus*, qui,

(*) Ibid. p. 84.

Digitized by Google

qui, postquam mihi *malevolentiam* tribuerat *cum pari stupore conjunctam*, *ego*, inquit (*), *intelligo*, *unde id habeat Horrearius?* etc. Manifestum est, huncce *Critobulum* ejusdem tecum istorum esse familiae, quos verissime *Plautus*, in *Trinummo*, pinxit:

qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt: quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt: sciunt id, quod in aurem rex reginae dixerit: sciunt, quod JUNO *fabulata est cum* JOVE: *quae neque futura, neque facta sunt, tamen illi sciunt. Falsón' an vero laudent, culpent, quem velint, non flocci faciunt.* —

Horum autem ego familiae te et *Critobulum* esse aio. *Intelligere* enim se iste tuus famigerator impudenter jactat, me tria illa, quibus rationis metricae ignarum te esse ostendi, exempla *habere ab aliquo*, quem, etsi non aperte nominat, ita tamen designat, ut, ad quem spectet garrulus iste conviciator, existimare haud sit difficile. Itaque quod nec feci, neque in animo habui, illud vos, et factum esse, et a vobis tamquam factum sciri, fingitis. Palam enim aperteque pro-

(*) Ibid. p. 128.

Digitized by Google

profiteor, et professus jam antea fui (*), id, quod dicitis, a me factum numquam esse. Et, si vultis *idem me jurato dicere*, equidem dicam; atque ita dicens, ut monet *Tullius* (†), probe meminero, *Deum me adhibere testem.* Sed quo tandem fundamento tuum istud, o *Wyttenbachi!* sive *Critobuli*, commentum nititur? *nam si exquiratur usque ab stirpe auctoritas, famigeratori res sit cum damno et malo!* Narrat quippe *Critobulus*; „ se, paulo ante editam Horrearii epistolam, hominem nactum esse, qui istos tres versus jactaret, tibique absenti insultaret." Haec igitur narratio Lectoribus scilicet! fidem faciat, *me istos versus habere ab aliquo, qui te aemuletur, et se poëtam ferat* etc.! Quin Tu ipse rerum peritos consulas; et ad unum omnes tibi indicabunt, tua, quae in tribus illis exemplis notavi, παραδείγματα tam crassa esse, tamque manifesta, ut prorsus coecutiat, cui ea non continuo ac quasi sponte in oculos incurrant.

Ve-

(*) In praefatione ad alteram epistolae meae editionem.

(†) De *officiis.* III. 10.

Digitized by Google

Verum pertinet haec accusatio non ad me solum, sed etiam, et praecipue quidem, ad amicum quendam meum, virum integerrimum; olim quoque, ut putabatur, *tuum* amicum, quem et adhuc *tuum* dicere audes, (*) *quocum* certe olim, hac ipsâ in Urbe, *multos modios salis simul edisti*: sed quem, nisi scriptis a te antea editis, in hoc certe κωθωνείῳ, ita tractasti, tamque graviter laesisti, ut te ad quidvis potius aliud, quam ad colendam cum *bonis* hominibus amicitiam, natum esse formatumque appareat. Et profecto, *Wyttenbachi!* ea omnia mecum reputanti, quae de docto illo optimoque sene, scribere non erubuisti, indignatione commoveri animum sentio, ancipitemque haerere me fateor, impudentiamne ego tuam magis mirer, an malevolentiam, animumque suspiciosum. Praeclare *Cicero*: boni esse viri monet, haec duo tenere in amicitiâ: primum, ne quid fictum sit, neve simulatum: aperte enim vel odisse magis ingenui esse, quam fronte occultare sententiam: deinde, non solum ab aliquo allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper ali-

(*) φιλομαθ. p. 145.

Digitized by Google

aliquid existimantem ab amico esse violatum.” Haec atque ejusdem generis alia, sive *Ciceronis*, sive aliorum veterum, bene vivendi praecepta cum lectitas, dic, sodes, *Wyttenbachi!* nunquamne te ipsum circumspicias, summoque pudore suffundi te sentias? Pudet fere e tuo libello exempla proferre, quibus constet, qualem te erga Virum geras, quem *amicum tuum* dicere non erubescis: ut te id ipsum nullo modo piguit facere. *Vide* nimirum *sermonesque* cum illo agis. Eum quippe modo laudas, ubicunque nomen Viri a te disserte exprimitur (*); quin et ipsi velut blandiris, ubi id *e re tua* esse videtur: modo rursus eum proterve rides, vituperas, lacessis, Graeci proverbii, quod ipse citasti (†), immemor: τὸν φίλον εἶναι καὶ ψέγειν, ἀνδρὸς κακοῦ: ut igitur, tuo

(*) φιλομαθ. p. 130. 145. et in Epistola ad eum scripta, *Bibl. Crit.* Vol. III Pars III. ubi in primis notari velim quae occurrunt p. 30. Ea, inquam, *in primis* notari velim, cum ob laudes, quas huic Senf de literis praeclare merito tribuit *Wyttenbachius*, tum et propter phrasin, quam ibi usurpat: *ut cum Catullo loquar:* quam eamdem, a me olim adhibitam, ipsi in belgicismis ponere libuit!! φιλομαθ. p. 92 et 99.

(†) Ibid. p. 15.

mo ipsius judicio, in malis pessimisque viris censendus sis! Et quid indignius excogitari aut acerbius maledicentiusque potest, quam ea fellis plena verba, quae tibi, ore quasi *Critobuli* familiaris tui impurissimo, de illo, *amico tuo* scilicet! effutire libet (*)? Eum nempe *tuum* dicis *aemulum, qui se poëtam ferat, et te poëtas citantem in suum putet regnum invadere; qui, ubi librum edidisti, nil aliud in eo quaerat, quam versus a te citatos aut tentatos, quos scandens relegat, si quid forte in iis reprehendendum inveniat!* Quid impudentius, quam quae sequitur exclamatio: *sunt hi verissimi ludimagistri, recitatores acerbi, aucupes et exactores syllabarum, ubi non nisi sententia agitur!* Quae verba, quoniam in neminem magis quam in te ipsum conveniunt, et impudentissima esse, et simul valde ridicula, existimo. Haeccine igitur *fraternitas* est *animorum*, quam crepas! Hic fructus veteris illius consuetudinis ac benevolentiae! Haec amabilis illa amicitia, quam tibi cum amabilissimo Viro intercessisse, nec contubernii dissolutione biennii solutam minutamve fuisse olim gloriabaris!

Imo

(*) Ibid. p. 128.

Digitized by Google

Imo vero *lupinam* esse *amicitiam* credo, quam Graeci λυκοφιλίαν vocant, et *quâ nihil esse turpius* sapientissimus ille Imperator dixit *Antoninus*. Semper enim, ut in alios omnes, sic et in illum, ad quem spectas, summae integritatis Virum suspicionsus, criminibus cum inferendis delectaris, tum oblatis facillime et sine ullâ ratione credis. Eum scilicet tres istos versus, a me notatos, mihi suggessisse, eumdemque me de Latinitate cujusdam dictionis admonuisse, haud obscure significas. Quae utraque suspicio omni prorsus destituta est fundamento: nam neque Virum hunc in consilium unquam adhibui; nec per tempus illud, quo conscribendâ epistolâ occupabar, oculis eum meis vidi (*), neque etiam tum aliquid epistolarum commercii cum ipso habui. Ne et hoc addam, quam sit abjecti animi documentum, quod narras (†) te *eum*, qui, (quod ipse non

(*) Hic iterum *Wyttenbachius* parum sibi constat, quoniam in fabulâ, quam de me commentus est, inter alia memorat, p. 19, *me novo et inopinato casu* (intelligit suae *Bibliothecae criticae* editionem) *perculsum domi me abdidisse, inde mox in hortulum secessisse, meque inclusisse, istum libellum conscribentem* etc.

(†) φιλημων. p. 105.

Digitized by Google

non diffiteris (*), in te tot olim contulit et officia et beneficia, contra *Latinitatem peccantem*, *saepe admonuisse*. Quod posterius, etiamsi vere dicere posses, palam profiteri equidem turpe atque inimicum duco. Odiosum quippe, ut recte *Cicero*, genus est hominum, officia exprobrantium: quae meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. Quidquid autem id est; amicum tuum certe facis hominem varium ac mobilem, qui sibi minime sit consentaneus, et modo tuam, modo meam causam adjuvet: *tuam*, mihi suadendo, ut ne te offenderem: *meam*, me de Latinitate admonendo cujusdam phraseos, versusque istos mihi suggerendo, atque ita contra te animum meum incitando. Et, (quod multo pejus est, tuamque demum incredibilem mentiendi libidinem atque odiosam probat maledicentiam) optimi Viri bonam fidem apud me aliosque, si qui sint creduli, Lectores in suspicionem adducere tentas, ac si de industriâ, et veteratoriâ quâdam calliditate, modo tibi, modo mihi, arma contra nos invicem suppeditaverit. Oculis vix credere po-

(*) Bibl. Crit. Vol. III. P. III. p. 26, 27.

Digitized by Google

tui, in libello tuo haec legens (*): „ Multos in scriptis tuis homines doctos laesisti. Horum quosdam nominavi in *Bibliothecâ Criticâ*. Quidam me fugerunt. Duorum me addere potuisse nomina, monuit me *amicus meus*, quem tu et *tuum* esse gloriaris etc.“ Possem hic de malitioso dicere consilio, quo huc ea trahis, quae cum nostrâ contentione nihil quidquam habent commune. Possem ostendere, et hic *iterum* aliquem a te laudari virum, quem vehementer a te quondam vituperatum esse *scio*; propterea quod *Hemsterhusium* nesciret de vitâ Apostoli *Pauli* scripsisse, ipsum se de ejusdem vitâ aliquid edituram in lucem, aut jam edidisse, perhibens. Possem et alia tangere, tibi parum honorifica. Sed me contineo: nam odiosa sunt, et Lectoribus formidi ingrata. Hoc vero praeterire silentio nec volo, nec possum, tuam hanc de admonitione amici narrationem turpissimis esse accensendam mendaciis. Illud enim, quod dicis, nunquam eo, quo tu narras, factum est, *consilio*: sed *plane contrario*, nec tibi dubio aut ignoto. Nosti quippe, hominum impudentissime! Virum, pa-

cis

(*) Ibid. p. 145.

Digitized by Google

cis amantisſimum, te admonuiſſe, non ut crimina tua augeres, nomina addendo duorum quorumdam Theologorum; ſed potius, ne me inceſſeres, nec certamen mecum inires, cujus exitum tibi minus glorioſum fore ſagaciter vereque augurabatur.

— — — — φίλον τετιημένος ἦτορ,
νευσάζων κεφαλῇ. δὴ γὰρ κακὸν ὄσσετο θυμῷ.

Scripſit, fateor, ad te, quod nunc didici: „ *Potuiſſes et alia addere nomina, exempli gratiâ.....* Et *mirari ſe* dixit, *virorum illorum nomina*, quae compellaveras, *tibi* cognita eſſe. Quae quo animo conſilioque ad te ſcripſerit, ex addito verſiculo:

Macte tuâ virtute ergo! ſic itur ad aſtra:

tibi ſatis ſuperque apparuit. Quid igitur? *Tecum*, ut ſaepe ſolet, Vir doctus per literas jocatus est, et, quod ſeriis ac perſpicuis verbis, quâ est humanitate, ad te ſcribere noluit, illud per ludum quaſi jocumque ſignificavit.

— — — — *ridendo dicere verum*
Quid vetat?

Viden', me probe callere, quo pacto res ſe habeat: continuo enim, postquam tuam ſcriptionem perlegeram, Amicum, hujus rei quid eſſet, ſedulo percontatus ſum; et nunc, re probe intellectâ atque perſpectâ, Lectoribus eam innotescere velim, ne contingat, ut quispiam de

Ami-

Digitized by Google

Amico meo male ſuſpicetur: nam cum homine, in eam, quam tu moliris, ſuſpicionem adducto, niſi prius de illius innocentiâ conſtiterit, quidquam ſibi negotii eſſe, quis *bonus* velit? Et profecto, niſi fides optimi hujus Senis, falſiſſimâ hac criminatione, à te in ſuſpicionem fuiſſet adducta, totum equidem hunc locum intactum reliquiſſem, propterea quod *aliquam* cum aliorum hominum nominibus, quibus hîc parcendum eſſe cenſeo, conjunctionem habet, atque adeo, ſi uberius a me tractaretur, novis litibus et jurgiis anſam praebere poſſet.

Ex istis autem, quas de tuo *Amico* effutiisti, contumeliis, facili operâ existimare unusquisque potest, quid à te exſpectare alii homines debeant, quibuscum aut nulla prorſus, aut certe non tanta, unquam tibi fuit neceſſitudo. Nec miror proinde, cum pro ludo tibi atque oblectamento ſit convicia et calumnias in *eum* evomere *Amicum*, qui te, quod ipſe faſſus es (*), ita tractavit, *nihil ut amantius excogitari poſſet*, non igitur mi-

(*) Biblioth. Crit. Vol. III. P. III. p. 27.

Digitized by Google

miror, à te, talis cum sis, in meum in primis caput tela vibrari. Non miror, mihi, qui tuam primus ridere auctoritatem, tuae multiplicis ignorantiae, vanitatis, humilitatis specimina promere, tuam petulantiam atque impudentiam compescere sustinuerim, plurima à te affingi, de quibus ne per somnium quidem unquam cogitavi. Videre mihi videor, *Wyttenbachi!* tuos, quibus me ferociter dilaniare velis, dentes caninos, truces istos atque iracundiam spirantes oculos, pectus multorum annorum odio repletum, vindictamque anhelans crudelissimam. Videre videor tuum, Καθαρσιον scribentis, vultum, ad truculentiam et torvitatem, ut solet esse *doctorum umbraticorum*, à longo jam tempore compositum, nunc vero *insolitâ* rabie aestuantem. Vah! ut cor tuum exsultasse credo, uberem amarissimi fellis proventum in me cum effunderes, atque exquisitissima de me meâque vivendi ratione commenta in chartas conjiceres. Sic, exempli causâ, narrasti Lectoribus, *me in antiquis scriptoribus plane esse hospitem; Iliada si forte et Hippolytum, caeteros certe poëtas, historicos, et philosophos non legisse; Latine scribere non posse; et Amstelodamenses quosdam, ex meâ ad te scriptâ epistolâ, Latinitatis vitia eluisse; quos tamen insitos esse lotores, quoniam vitia reliquerint quam plurima:* item, *Graecae lin-*

linguae me prorſus eſſe ignarum, et in Graecis rebus coecutire; utriusque linguae rudimenta mihi fideliter addiscenda eſſe; me Philoſophiae historiam ne à limine quidem ſalutaſſe; tantum abeſſe, ut philoſophus ſim, ut vel ipſo ſenſu communi plane carearn, mentisque alienatione laborem: porro, *involare me in veterum ſcriptorum, cum divinorum, tum humanorum dicta, eaque in falſam torquere ſententiam; pedantismi* (qui dicitur) *vitio graviter laborare, libenterque Profeſſoris titulo ſalutari:* tandem, ne plura congeram, *in celebritate me vivere auditoriorum, circulorum, thermopoliorum, et ſimilium locorum; ambulare per tabernas, in conciliabulis novam venditare doctrinam,* etc.

Atque ita quidem garrire tibi placuit, ſperanti fore quosdam, qui tibi calumniatori fidem habeant, aut certe ex istiusmodi commentis, argute facteque propoſitis, aliquid percipiant voluptatis. Sed vero tibi contrarium evénit. Uti enim tuam omnes rident paedagogici fastûs arrogantiam; ita nemo unus est, quin tuam detestetur mentiendi libidinem ac lacessendi facultatem plane singularem, ſermonesque tuos, qui nihil habent, quod aut definitum ſit, aut probabile, omnes unius aestimandos asſis mecum existimet.

Et ſane, *Wyttenbachi!* fiſus conſcientiâ recti, nec te, nec ſatyras tuas curo. *Ego enim in portu navigo;* nec *tua* mihi obtrectatio, *tuae* calumnia, apud aequos atque honestos cenſores, qui me vel aliquâ ex parte norunt, afferre quidquam detrimenti potest. Itaque me multis verbis non defendam, existimans non tam mihi à te factam injuriam eſſe, quam ab iis, ſi quorum aures fortaſſe ad hanc tuam calumniam garrulitatemque patuerint. Neque idcirco par pari referam; quamvis facillimum mihi ſit, quae ſine ratione in me evomuisti, cum ratione in te ipſum rejicere. Sed nolo puerum agere, et ex alto ferocientem imitari didascalum. Nolo tuam, cum Philoſophiae, tum aliarum Literarum, quam ſane maximam eſſe demonſtravi, ignorantiam oratione meâ verbisque exaggerare, aut tibi tribuere, quae, nec ſuapte vi, neque ingenii tui doctrinaeque reliquae habitâ ratione ullâ, veritatis ſpeciem habeant. Nolo, exempli cauſâ, *Amſtelodamenſibus* istis, nescio quibus, quos malitioſe commentus es, et quos *inſcitos* vocasti *meae Latinitatis lectores*, opponere quosdam, *Kantianae* ignorantiâ *rationis* tui prorſus ſimiles, quos in tui contra me, de Philoſophiâ *Kantii*, anili disputatione in conſilium adhibuiſſe videaris. Nolo, inquam, haec omnia. Sed ſcin' quid velim? Vo-

Volo tecum aperto marte, et non quasi ex insidiis pugnare. Etenim *non mea est simulatio.* Itaque hanc tibi legem scribo, ut, quoniam me petere tibi animus fert, tu quidem, perspicuis verbis, nullâque usus circuitione, si quid in meis moribus tibi reprehendendum videatur, illud omne, quantulumcunque sit, ad publicam perducas notitiam; et ego, vicissim, hoc te eodem genere remunerer. Intellextin', Vir sanctissime? An nondum etiam nè hoc quidem? Audi igitur denuo: quippe pactum propositum repetam. Volo tecum ὀνομαστὶ καμωδεῖν, et, quod ajunt, *scapham scapham dicere.* Tu tandem me dolo circumvenire et quasi e latibulis incessere desines: sed, si quid in meo vitae genere esse censeas, quod ab honestate probisque moribus alienum sit, tu id ad populum referes; ego, vicissim, tibi idem praestabo officium, quae olim feceris, dum aetas ferret, enarrans, et committens ut neque isthic, neque alibi, usquam tibi in me mora sit. Et nunc satis, credo, mentem cepisti meam. Nec dubito, quin tu pactum valde probes, ratumque esse cupias. Fateor quidem, istiusmodi contentionem atque altercationem, à meâ indole prorsus alienam, *tuis pistricibus tabernariis*, me judice, magis convenire, quam viris, operam

Literis navantibus. Verum cum ſubdolo calumniatore non aliâ ratione agendum eſſe arbitror, ut tandem ipſius importunitati anſa praecidatur. Itaque hanc rem velim rectâ viâ reputes, et ambiguis tectisque verbis me pungere atque lacesſere deſinas Sin minus; plorare ego te tuamque jubebo cohortem.

Et haec fere ſunt, mi homo! quae ad te ſcribere conſtitui, ut tuis, aliquâ ſaltem ex parte, injuriis et conviciis reſisterem. Poſſem utique plura, addere. Sed Lectorum ſatietati medendum eſſe existimo. Estque praeterea haec iterum epistola jam verboſior, quam ipſe voluiſſem. Nil igitur ſingillatim dicam de variis, quas avidiſſime captasti, argutiis, feſtivitatibus, ac facetiis, quae, ſi univerſe minus haberent bilis et maledicentiae, itemque plus veritatis, Lectoribus voluptatis plus afferrent. Neque exemplis monſtrabo, magnam tuorum jocorum ſaliumque partem illâ plane caſſam eſſe urbanitate, quam probent homines venuſtiores, et nihil fere aliud repraeſentare, quam, ut ita loquar, naſos cubitales, vel ora facetum in modum distorta, idque genus alia hominibus proletariis grata ſpectacula. Nec magis oſtendam, te quibuslibet verbis rebusque abuti, ne ipſâ quidem exceptâ virtute, cu-

cujus adeo nomine venerabili blandâque ſpecie tuam iracundiam, malignitatem, aliaque exulcerati animi indicia velare et quaſi cohonestare annitéris. Neque in te accommodabo illud *Horatii*:

— — — — : *verbisque decoris*
obvolvas vitium.

Haec, inquam, omnia, ne longior ſim, praetermittam. Unum tamen hoc dicam, et, ne injurius eſſe videar, obiter probabo, fabulosas narrationes, quas, ut legentium animos exhilarares, hic illic animadverſionibus tuis immiscuisti, et quas *romanenſes fabulas* vulgo appellant, magnam partem à veri ſpecie abhorrere. Nosti, ut puto, *Horatii* monitum:

ficta voluptatis cauſâ ſint proxima veris;
nec, quodcumque volet, poscat ſibi fabula credi.

Sed dic, ſodes, ſine veri ſimile, *Idibus Julliis*, hisce in regionibus, praeter ceraſa et baccas, pira jam quoque et poma matura eſſe, atque ad comedendum utilia? Ita tamen tibi fingere lubuit (*). At forsasſis illam frugum fructuumque varietatem, ut ſcitus ille convivator, de quo ipſe narras (†), operâ Neptis tuae, vitae ſociae, con-

(*) φιλομαθ. p. 5.
(†) Ibid. p. 24.

Digitized by Google

condimentis faciendam curaveras. Nisi quis conjicere malit, *crustula*, quae convivis tuis *Pythagoricis* appoſueris, à pistore tuo dulciario, in *pirorum*, *pomorum*, (quidni et *prunorum*, *perſicorum*, *mespilorumque?*) formas affabre pista eleganterque redacta fuisſe! — Dein, et hoc putasne Lectoribus vero videri proximum, te, quem novimus quam ſis iracundus, inexorabilis, acer, ſummeque φίλαυτος, inſpectis mei epistolii titulo, proscriptâ teſserâ, et hic illic aliquot pagellis, libellum continuo ſepoſuisſe, *et quidem* (ſic enim ſcribis (*) *in ejusmodi angulo*, *unde tibi non facile in manus incideret?* Qui tam ſplendide mentiatur, ſeque, etiam cum fabulas narrat, tam magnifice jactet, huic profecto non obeſae naris Lector illud regerat Poëtae:
quodcumque ostendis mihi ſic, *incredulus odi.* — Tum et hoc, quod de natalibus narras tui Καθαρσίου, ne minimam quidem habet veri ſpeciem (†). Scilicet, *Philalethes* totum meam epistolam tibi breviter praelegerit, ita perſpicue, ut nihil te praetervolaret notandum: tu vero eum le-

(*) Ibid. p. 8.
(†) Ibid. p. 18 et 24.

Digitized by Google

legentem, quae notanda putares, monueris: ille autem monitus quodque continuo notaverit, etc!!! Quamquam enim tuus levis est ac volaticus libellus, cujus sibi nec *ratio*, neque *oratio* constat, imo vero qui foedissimis vitiis et barbarismis scatet (*): nolim tamen, neque etiam sine maximâ *stultitiâ* possim, de tuo isthoc perhibere Καθαρσίῳ, quod tu de meâ epistolâ ridicule dixisti (†): *similes libellos plures à non stultissimo quoque unâ insomni nocte fundi posse.* — Sed piget, plura exempla conquirere. *Formam*

si

(*) Duo vitia grammatica Καθαρσίου *Wyttenbachiani* à me jam notata sunt, p. 125, nimirum: *conviciati ab aliis:* et: *quaestiones illas esse traditA, demonstratA, oppugnatA.* Alia vitia non minus foeda, quae me praeterierant, indicavit *Censor etiam Censorum*, cujus pars *nona* voluminis quarti nuperrime ad meam pervenit notitiam. Sic, exempli causâ, scribit *Wyttenbachiolus*, Φιλομαθ. p. 85: *ei suadeam, aliquod Rudimentorum compendium diligenter discere:* pro, *ut — diligenter discat.* p. 106 et 107. *aliis etiam modis, qui — accomodandus est:* pro, *qui accomodandi sunt.* p. 26. *relinquit — ut faceret:* pro, *ut faciat* etc. Et istiusmodi magister vult, ut ego rudimenta discam! *ô quam ridiculum magistrum habemus!* sed, ut alibi scribit p. 102, *fortasse properatio scribentis mentem turbaverit!*

(†) Φιλομαθ. p. 74.

Digitized by Google

si species, fateor lubens, pleraque lepide narrasti: sin vero *materiam*, inepte, atque ita plane, ut, cum in fabulosis narrationibus, tum in reliquâ scriptione, ne extrema quidem veri lineamenta quodammodo servaveris. Diurna quippe mentiendi consuetudo animis hominum obducere callum videtur, quo tandem omnis veritatis sensus prorsus hebescat.

Caeterum, *Wyttenbachi!* vide quam longe absit, ut tuo καθαρσίῳ, quamvis scilicet! praestantissimum sit et vim habeat egregiam, *perpurgatus persanatusque* sim! Tuum igitur est, ô Medicorum Princeps! pro eâ, quâ es humanitate, tuoque in me amore, secundum id quod diserris verbis scripsisti (*), *perpurgandum me persanandumque juvenioribus tuis Medicis tradere.* At vero, hoc si fiat, quid agam miser, aut quo me vertam, nescio! Tu enim, ô bone! (ita certe ipse praedicas (†)) *parce leniterque me reprehendisti, et vere benevoleque admonuisti:* isti vero Medici, *ut juniores et acriores, durius me acerbiusque sunt tractaturi!* Verum heus, mi *Daniellule!*

— au-

(*) Ibid. p. 148.
(†) Ibid. p. 153.

Digitized by Google

—— —— —— —— —— *aufer me vultu terrere: manum ſtomachumque teneto!* Nec te, nec ſatellites tuos, quantumvis habeant bilis ac maledicentiae, pertimeſco. —

μήτι μεν, ήύτε παιδὸς ἀφαυρὸν, πειρήτιζε, ἠὲ γυναικὸς. —

et ego, ut tuis utar verbis (*), *rei publicae cauſâ, caput meum procellae* (ſi qua oriatur) *lübens objicio.* REI, inquam, PUBLICAE cauſâ. Omnes enim vere boni doctique gavisi ſunt gaudentque, tandem exiſtere aliquem, qui tuam intolerabilem refrenet maledicentiam, poenasque ſuperbiae atque inſolentiae à te meritiſſimas exigat. Itaque id tibi affirmo, me, ſi quid unquam à tuis ſatellitibus adverſus me ſcribatur, illud non diobolaribus istis viris, ſed tibi uni, eſſe tributurum, et non ad illos, verum ad te ipſum, dictatorem cohortis, reſcripturum. Intellexine jam, quid dicam, *Wyttenbachiole?* ne postea tibi non praedictum dicas. *Tuum igitur erit*, ni denuo vapulare poenasque impudentiae dare velis, *ab omni hostili dicto, facto, ſcripto, et ipſum abſtinere, et tuos ſatellites praeſtare.* Quo ſenſu autem haec phraſis: *aliquem praeſtare*: hîc accidi-

(*) Ibid. p. 147.

cipienda sit, ne et tu forte ignores, dicam *tuo*, etsi plane *barbaro*, sermone: „ tu, *Daniëlule!* RESPONSABILIS (*) eris pro tuis satellitibus, ne me scripto factove laedant, aut QUAESTIONES purioris Philosophiae, à me TRADITA et DEMONSTRATA, ab ipsis vero OPPUGNATA, in sensum torqueant falsum ac ridiculum. Quin tu potius ipse Philosophiae criticae compendium diligenter disces, idemque satellitibus FACERE SUADEBIS. Saltem hoc efficies, ut hi, quamdiu harum literarum sint rudes atque imperiti, omnino taceant: ne Philosophi, AB IIS rursus CONVICIATI, necesse habeant, se contra istos conviciatores defendere, et MODIS quibuscumque, qui ad suas cujusque rationes ACCOMODANDUS SIT, eos blaterones punire." Vale.

Scripsi Amstelodami, d. 5 Martii, a. MDCCCX.

(*) Eo usque procedit *Wyttenbachii* impudentia et maledicendi libido, ut Lectoribus persuadere conetur, barbaram vocem *responsabilis* à me fuisse usurpatam. vid. p. 148.

ERRATA.

p. 17 pleraque, ut dixi. Lege: pleraque, uti dixi.
ibid. ejusmodi sunt, uti. Lege: ejusmodi sunt, ut etc.
p. 96 nnnc. Lege: nunc.

Digitized by Google

STRENA

PAULI VAN HEMERT,

AD

DANIËLEM WTTENBACH

MISSA

IPSIS KALENDIS JANUARIIS

CIↃIↃCCCXV.

Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

PHAEDRUS.

HAGAE COMITIS, APUD

JOANNEM ALLART,

Bibliopolam.

CIↃIↃCCCXIV.

Digitized by Google

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt. Hos consector: — — — — —
— His ultro arrideo, et eorum ingenia admiror simul.
Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque:
Negat quis, nego: ait, aio: postremo imperavi egomet mihi
Omnia adsentari: is quaestus nunc est multo uberrimus.

TERENTIUS, Eunuch. II. 2. 17.

Digitized by Google

DANIËLI WYTTENBACHIO

S. P. D.

PAULUS HEMERTIUS.

Haec prima est veluti pensio gratiae, quam Tibi, amabilisime *Wyttenbachi*, et dudum debeo, et libenter exsolvo: sperans fore, ut eam non ex meâ orationis jejunitate, verum ex animo, quo glorior, gratisimo aestimes.

Tu quippe, Dulcisime! is es, cui multis ego, eisque maximis, obstrictum me devinctumque beneficiis sentio: quem quidem sensum, quoad vivam, memoriâ meâ dilabi non patiar. Etenim, ne alia memorem, cum diuturno afflictus esem et quasi enervatus morbo, ac, quae *tertianâ* pejor erat, febri, quam Tu *Kantianam* dicis, fere consumtus jacerem; cumque istius febris, ut Tibi videbatur (*), in-

(*) Ipsa *Wyttenbachii* verba, *Philomath.* L. I. pag.

insolentiam ac speciem augeret prava et balbutiens Latinitas: ecce Tu, Vir humanissime! quâ es misericordiâ, meam miseratus sortem, Temet ipse ultro gratuitoque mihi medicum obtulisti, Tuoque in consilium adhibito *Critobulo*, nunc, ut pie credimus, coelestis *Paradisi* cive (*), καθάρσιον mihi praescripsisti, ex Tuo ipsius, nec non *Critobuli*, felle compositum: quo cum maligna febris necdum sat cito pelleretur, alios ad me misisti Medicos, juniores quidem illos, artis tamen peritiâ Tibi suppares, ubereque fellis proventu pares, qui mihi καθάρσιον denuo parandum curarent, suumque ipsi e pleno jecinore fel potui admiscerent amarissimo: cujus aliquamdiu iterato medicamenti usu, tandem (quis credat?) factum est, ut illorum ope Medicorum, ductu tamen inprimis auspicioque Tuo, sensim convalescere, atque ab incitatione nimiâ ad sanitatem redire rationis coeperim.

Tuâ

134, haec sunt: „ Febris est ardens, et mentis alienatio certissima. Est febris *Kantiana*, cujus insolentiam ac speciem auget etiam prava et balbutiens Latinitas."

(*) Non de nihilo hac utor phrasi, etsi non ignoro, poëticae illam quam prosae orationi esse aptiorem.

Digitized by Google

Tuâ igitur operâ, ô Mirifice! et Tui, ut ita dicam, Tuorumque *fellis beneficio*, sanitatem recuperavi, hodieque valeo. Et, siquidem recte dixit Poëta (*);

Non est vivere, sed valere, vita,
Tibi omnia; *ipsamque* adeo *vitam*, debeo.

Tuum autem hoc beneficium cum tantum sit, quantum ab amantissimo patre vix, aut ne vix quidem, exspectari posse videtur, mirum sane nequaquam est; e quo tempore convalescere coepi, in summâ me versatum esse, et adhuc dum versari, mentis sollicitudine, quo tandem pacto ingrati, quem detestor, animi suspicionem a me depellam. Quâ de re mecum denuo deliberanti haud videtur importunum, Tibi, Vir mirifice! hisce ineuntis anni kalendis, offerre *Strenam*, non velut Tuorum, quae sane maxima sunt, in me meritorum pensationem, sive hostimentum, sed ut signum aliquod animi ad gratiam referendam propensissimi, venerationisque et observantiae erga Te, cui tot ac tanta debeo, monumentum et quasi tabellam.

Ve-

(*) *Martialis*, L. VI. Epigr. 70.

Digitized by Google

Verum enim vero quis ego ſum, *custos pauperis horti*, qui Tibi munuſculum donare cupiam, quod neque omnino Te ſit indignum, nec tanto Viro prorſus displiceat! Ex illo enim tempore, quo Nostratium fortunae, ita jubente *Napoleonte* tiranno, diminutionem ſunt pasſae, ipſa ſortis meae tenuitas largiendi voluntatem destituit. Quod cum ita ſit, per *Jovem* ignoro, quas Tibi res, quasve cupedias, *ſtrenae* loco mittam. Aliquid tamen, utut exiguum, mittere deliberatum est..... Quid vero, ô optime! ſi Tibi mellis favos, aut caricas, caryotas, idve genus alia mittam, quae, kalendis Januariis, ut nosti, amicis ſuis *Romani* donare ſolebant, ut eis quaſi fortunam totius anni dulcem ac blandientem augurarentur. *Euge! ut hoc a me pulchre est excogitatum!* Ipſe enim Tu *mellitus* es, velut *Catulli* paſſerculus (*); et *in melle ſita est lingua tua atque oratio* (†)..... Quid vero Tibi mali accidit, ô Optime? Videre enim Te mihi videor capite renuentem, naresque corrugantem..... Hem! intelligo. Me-

(*) Carm. III.

(†) Verba ſunt *Plauti*, paululum immutata, *Truculent.* I. 2. 76. ſeqq.

Digitized by Google

Memini quippe, me saepenumero ex familiaribus Tuis audire, Te *quidquid dulcis est salivae* spernere ac fastidire, nec, nisi quod amarissimum, appetere: non quia, ut denuo *Plautinis* utar (*), tua *corda felle sunt lita atque acerbo aceto*: namque, quod omnes uno quasi ore clamant, *plane mellitus es*: sed quia Tuum ita factum est palatum, ut dulcia respuas..... Quid igitur? Vin' lauri mittam folia? Et hoc, uti non ignoras, veterum *Romanorum* erat in more positum, ut, ineuntis anni kalendis, Principi ac Magistratibus lauri darent folia, quibus valetudinem eis firmam optarent. Ubi enim laurus affixa esset vel reposita, ibi morbo, nec comitiali, nec lymphatico, homines corripi posse credebant. Age igitur! *ita sit factum!* Lauri mittam folia. Tu ita sis felix, atque ab omni morbo, comitiali praesertim ac lymphatico, tutus et immunis!

Qui vero Tibi, ô Literarum nec non Philosophiae Princeps! nil nisi lauri quaedam destinat folia, nae is aut *Irò* sit pauperior, aut meritorum Tuorum amplitudinem famaeque celebri-

(*) Ibidem.

Digitized by Google

bricatem ignoret. Quid ergo? Foliis equidem munusculum addam *chartaceum*, quod, quoniam cum Tui claritate nominis aliquam habet conjunctionem, gratum Tibi acceptumque fore confido. Huic nimirum epistolae, praeter ea, quae dixi, lauri folia, partem subjungam dialogi, sive sermonis, quem, non ita pridem, ipse domi meae cum duobus habui, me visentibus, Amicis: qui, in Literis etsi non prorsus peregrini et Philosophiae amatores, Tibi, quem omnes Philosophi ac Literati suspiciunt, minus favere, et de Te, Tuoque *Mahniolo*, et, quas hic nuper edidit, *Epistolis Sodalium Socraticorum Philomathiae*, male pesimeque opinari videbantur. In illo igitur dialogo, (quod, ut spero, non sine aliquâ voluptate intelliges) Tuam equidem Sodalitumque Tibi carissimorum causam summo egi studio, famamque Tuam et existimationem contra hos ipsos Familiares meos, nec non contra alios quosdam laudis Tuae obtrectatores, quo potui animi fervore, neque, si fas sit dicere, *omnino infeliciter* defendi. Quapropter qualemcunque hunc ad Te mitto dialogum, quo et de meae, quam Tibi debeo, redintegratione sanitatis certior fias, et simul Tibi constet me eo erga Te esse

Digitized by Google

esse animo, eâque pietate ac benevolentiâ, ut parum absit quin

pro te bis patiar mori,
si parcant animae fata superstiti (*)

Quae cum ita sint, valde dubito, an Tibi hodiè jucundius aliquod optabiliusque, sive a me, sive ab alio quoquam ex amicis tuis familiaribusque, quin ab ipso Tuo *Mahniolo*, offerri munusculum possit.

Hanc ergo, Vir insignis! duplicem *strenam* sereno vultu adspicias; et, qui, sive hac ipsâ in epistolâ, sive in subjuncto sermone, Tibi forsasse occurrant, defectus suppleant vota, quae pro Tuâ Sodaliumque salute et quotidie nuncupare soleo, et nuncupare, dum quidem spirare potero, non desinam.

Ac neque haec ipsa duplicis *strenae* missio, qui meus erga Te sit animus, satis declarat. Enimvero et *Tu*, ô Optime! ni me fallant omnia, mei, quem mirifice sanasti, videndi es cupidissimus; Et *ego*, quid enim dissimulem? facere non possum, quin Te, proximâ aestate,

(*) *Horat.* Carm. III. 9.

Digitized by Google

se, salutatum adeam, ipseque Tibi, rure Tuo, quanti Te faciam, verbis non fucatis significem. Hanc igitur mihi des veniam, oro atque obsecro! Quod si feceris, de quo equidem non dubito, adibo Te paulo post *laus Julias:* quo fere tempore *Mahnius* noster, ut audio usu Tuo domestico ac consuetudine aestivas ferias transigere solet. Tu interim hunc quantivis pretii Virum, itemque Neptem Tuam, perdoctam illam amabilemque vitae Sociam, meo nomine plurimâ velim salute impertias.

Caeterum, Vir amabilissime, omniumque, quotquot sunt fueruntque, eruditorum hominum humanissime, vale iterum iterumque! *de me* [illegible] *meruisti, ita vale.* (*)

Hagae Comitis.
Nonis Octobribus.
MDCCCXIV.

(*) *Plaut.* Capt III. 5. 87.

PRIDIE Kalendas *sextiles* cum ex suburbano quodam praedio ad me venissent *Clinias* et *Magillus*, uterque Philosophiae et Literarum probabiliter peritus, itemque amicitiae vetustate mecum conjunctus, ac cum de multis rebus, ut fieri inter familiares solet, essemus confabulati, sequens tandem inter nos habitus est sermo, quem sic fere exorsus est *Clinias*. —

CL. Equidem non dubito, *Hemerti*, quin spississimum volumen legeris, quod *Epistolae Sodalium Socraticorum Pholomathiae* inscriptum est.

EGO. Omnino legi, *Clinia*, maximasque habeo et ago *Sodalibus* gratias.

CL. Pro more tuo jocari te intelligo.

E. Igiturne me adeo esse ingratum putas, qui acceptum a tantis Viris beneficium, idque beneficiorum omnium longe maximum, serio agnoscere nolim?

CL. Ergo dic, sodes, quodnam isti in te beneficium Sodales contulerint.

Digitized by Google

E. Rogas? Illorum igitur librum a te nondum esse lectum suspicor.

Cl. Male suspicaris: librum quippe *Wyttenbachii* totum perlegi, simul atque a *Mahnio* in lucem esset editus.

Meg. Et ego librum legi, paulo post hujus anni initum. *Beneficii* autem in te collati nil quidquam, *maleficia* vero in libro inveni, nec numero pauca, nec pondere levia.

E. Ah! toto coelo errantes vos deprehendo, qui *Wyttenbachio* librum tribuitis, ipso quamvis dignissimum, ab ipso tamen non scriptum; atque illud praeterea, quod verum est et ingens *beneficium*, *maleficium* dicitis.

Meg. Ain' ergo tu, *Danielem Wyttenbachium* libri, ejusdemque geminae Appendicis, auctorem non esse habendum?

E. Ajo, *Megille.* Provinciam nimirum ejusmodi scribendi libros Vir magnus, jam ante aliquot annos, suo tradidit *Mahnio*, omnium quotquot ludis literariis Rectores praesunt, aut praefuerunt unquam, longe clarissimo, aliisque vi-

viris praecipuis, huic cum doctrinae elegantiâ tum humanitate paribus, *partim civibus*, *partim exteris*. Ipsum *Mahnium* appellare testem licet, qui nobis omnem hanc rem, in *Praefatione* libri, copiose, ut solet, fideliterque exposuit.

CL. Imo vero *Mahnii* nomen *Wyttenbachius* callide adhibuit: caeterorum, *Terpsionis*, *Euclidis*, *Antisthenis* nomina finxit. *Wyttenbachium* autem, quae libro continentur, tantum non omnia, ipsamque adeo *Praefationem*, nisi suâ ipse manu scripserit, certe *Mahnio* suppeditasse, *Mahniique* scriptionem reliquam, plerisque in locis, castigasse, mihi quidem tam est certum, quam quod certissimum.

MEG. Nec mihi rem aliter esse visam fateor.

E. Itane vero tam curtam esse *Mahnio* suppellectilem putatis, ut, nisi adjutus, ejusmodi libro scribendo plane sit impar habendus?

CL. Hoc sane est quod putamus.

E. Atqui homo quam sit incredibiliter doctus, quamque doctos olim scripserit libellos, vos quidem

Digitized by Google

dem aut prorſus ignoratis, aut certe nunc non recordamini. Igitur paucis dicam. Aures, quaeſo, animumque attendite. Puer adhuc, ſive adolescentulus, *Guilielmus Leonardus Mahnius* per aliquot annos, non *auditor* tantum, (veluti, proh dolor! ego (*)) verum etiam *diſcipulus* fuit *Wyttenbachii*, atque talem ſe in omnibus praeſtitit, ut caeteros longe antecelleret. Ipſe *ſe ſolum Literis, cum Graecis, tum Latinis, ita ſtudiisſe* testatur (†), *ut illarum aliquando Magister* — Magister! inquam — *fieri poſſet.* Quod *Magistri* de ſe ipſo testimonium quin verisſimum ſit, quis dubitet? cum ſingularem viri modestiam aliunde cognitam habeamus, eamque ſuis in *Epistolis* Sodales praedicent (§); et inprimis, cum *Wyttenbachius* ipſe, antiquae Vir fidei ſpectataeque veracitatis, *Mahnium* ſuum *diſcipulorum, illo tempore, Graecae Latinaeque eruditionis ſtudioſiſſimum, atque in Literarum historiâ prae caeteris verſatum fuiſſe*, testetur (*). Quapropter non

(*) Biblioth. Crit. Vol. III. P. IV. p. 60.
(†) Epist. Sod. Socrat. p. 343.
(§) Ibidem. pag. 108 et alibi.
(*) Biblioth. Crit. Vol. III. P. III. p. 48.

Digitized by Google

non est quod miremur, a tali tantoque Juvene, postea anno 1793, doctam scribi potuisse, et vero scriptam esse, de *Aristoxeno*, Philosopho Peripatetico, *Diatriben*, itemque deinceps, anno 1808, *Epicrisin* quarumdam *Bibliothecae Criticae* censurarum. Quo utroque peregregio libello *Mahnius* ita se *Wyttenbachio* probavit, ut nullus dubitem, quin hic illum, quem officiosissimum amicum valde diligit, in Cathedrâ *Leidensi*, nisi successorem jam designârit, certe sit designaturus, et Academiae Curatoribus, quâ pollet, auctoritate etiam atque etiam commendaturus.

Cl. Egregia sane nobis de hoc tuo Literarum Miraculo narras! Nec tamen, ô bone, ab opinione me meâ dimoves.

Meg. Et ego in meâ persevero sententiâ. Ita nimirum habeo, longe maximam spisi voluminis partem *Mahnio* esse a suo *Wyttenbachio* suggestam; reliqua vero, quae, velut in alterâ Appendice libri, aliisque quibusdam in locis, de suo ille addiderit, a *Wyttenbachio* hic illic nonnihil esse polita: ita tamen, ut quanta sit differentia, *Wyttenbachianam* inter orationem ac *Mahnioli* infantiam, quisque facile persentis-

Digitized by Google

discat. *Aliter*, quippe, ut ait *Plautus* (*); *catuli longe olent, aliter sues.*

CL. Si quid video, recte judicas, *Megille.* Mihi certe ista *Mahniana* legenti, plus semel accidit, ut in memoriam sponte redirent, quae olim *Wyttenbachius*, perhumaniter, ut solet, in communem nostrum Amicum, te dico, *Hemerti*, scripsit (†): „ *uti rusticus recens ab aratro ad militiam vocatus, militaribus quamvis vestibus indutus, tamen habitu et incessu rusticum se prodit: sic homines semilatini, quantumvis ex eorum scriptione maculas tam quam e vestimentis eluas, nihilo minus manent semilatini.*"

E. Enimvero *Mahnium* in semilatinis esse! *Mahnium* dico, quem fere omnes admirantur docti, cum *Amisfurtenses*, tum *Zierizeani! Mahnium*, quem ab eximia orationis facultate ipse commendavit, atque *aliis in exemplum proposuit*, summus Literarum Princeps *Wyttenbachius* (§)!

MEG.

(*) Epidic. IV. 2, 9.
(†) Philomath. L. I. p. 122.
(§) Biblioth. Crit. Vol. III. P. III. p. 52.

Digitized by Google

Mec. Risu fere emorior, *Hemerti*. Ha, ha, ha!.... Quantum tuus iste *Mahnius*, sibi soli relictus, Latinae linguae peritiâ, orationisque cum castitate, tum simplicitate valeat, e *Programmatibus* intelligi quam maxime potest, quae bis quotannis, ut *gymnasii Rector*, in lucem prodire jubet. Forte fortunâ istiusmodi *Programmatis Mahniani*, foedissimis pleni barbarismis, exemplar penes me habeo, quod, nuper *Amisfurti* cum dies aliquot transigerem, nobilissimus mihi dedit *Hermogenes*. Ni vobis molestum sit, praelegam. Sic habet: —

„ BENEVOLIS
VEROQUE PULCHRI ET HONESTI SENSU
IMBUTIS LECTORIBUS
S.
Placuit
Q. D. O. M. B. V.
CLARISSIMIS *atque* MUNIFICENTISSIMIS
Literarum humaniorum disciplinae
publice regundae
QUINQUEVIRIS,
primum
ut
Die Lunae, qui erit IX *Julii*,
(1804.)

in

Digitized by Google

in majore illo prisʼini Hierocomii, cujus
insigne oliae genus est,
ACROATERIO
periclitemur. quantum in Patriae et Paren-
tum spem feliciter et laete succrescens
scholasticae Juventutis examen in doc-
trinarum artiumque humanitate
per hos sex menses pro-
fecerit:
deinde vero
ut
Die Mercurii subsequente;
ex veteri consuetudinis lege in divino
Lutheranorum cultui dedicatâ
DOMINICÂ
Tres egregio discendi studio morumque probi-
tate conspicui adolescentes, qui in Miner-
vae castris haud infelici succesſu
militarunt,
LUDOVICUS VAN BEMMEL;
PETRUS BUYS;
atque
HENDRICUS DE JONGH;
suas declamationes perorent,
hisque rite peractis singulorum ordinum
principes suas gratiarum actiones
deinceps recitent.

Ne

Ne itaque, quod in proverbio dicitur, ſus tubam audiat, ſpero fore, ut ad hanc bonarum artium doctrinarumque mercaturam omnes, qui ultra vulgus ſapiunt, quosque, ut ille ait, „ de meliore luto finxit praecordia Titan," frequentes conveniant, et hoc Programma, invitationis veluti teſſera, ab omnibus Philomuſis benevole excipiatur, quandoquidem illud ipſis ſummâ animi obſervantiâ et religione offertur a me

GUIL. LEONARDO MAHNE

Gymnaſii Rectore."

En hominem, ut ita dicam, *Latiniſſimum*, atque a *Wyttenbachio* aliis in exemplum propoſitum! Ex ungue leonem! Omnia ad verbum literamque praelegi. Tu, *Hemerti*, ſi forte dubites, ipſe, quaeſo, *Programma* inſpice.

CL. Interim ſalvere te jubeo plurimum, egregie *Mahne*, Vir *Latiniſſime*, clariſſime Rector *Zierizeani* Gymnaſii, *cui*, (ſive, ut te

imiter balbutientem) „ *quem* de meliore luto finxit praecordia Titan!!!"

E. Per omnes Deos! Nunquam adducar ut credam, istud Programma ab ipso *Mahnio* esse confectum. „ *In spem Patriae-succrescens scholasticae juventutis examen!*" „ *quosque, ut ille ait, de meliore luto finxit praecordia Titan!*" Phui, phui! Hoc nimio plus est. Non dubito, quin — quin — quin —

MEG. Quid tandem? —

E. Quin aliquis tiro infimae classis, cui rem mandaverat Rector, *Programma* scripserit.

MEG. At tamen Rector vidit, credo, probavitque.

E. Haudquaquam necesse est. *Aquila non captat muscas.*

MEG. Pulchre dicis! sed vero in ipsis his *Sodalium Epistolis* nonnulla sunt, quae ingeniolum quoque produnt *Mahnii*, neque a *Wyttenbachio* castigata esse videntur.

CL.

CL. Operosum illum ac plane ridiculum libri *Indicem* a *solo Mahnio* consarcinatum esse, facile credo.

MED. Ejusdem addatur Epistolium ad *Bosschium* (*).

CL. Sunt et alia, praesertim in alterâ libri Appendice, quae mihi legenti in mentem subinde illud revocabant Poëtae:

Eheu! quam pingui macer est mihi taurus in arvo!

E. Vos quidem vestrae opinioni pertinaciter inhaerere video: ego autem meam firmiter teneo. Etsi enim nequaquam inficior, *Mahnium* caeterosque Sodales, a *Wyttenbachio* ad scribendum impulsos, de conscribendarum *Epistolarum* ratione et materiâ cum hoc viro humanissimo deliberasse, huic tamen, in ipsâ *Epistolarum* scriptione, nullas fuisse partes existimo. Et olim, in adornandâ *Epicrisi*, quae *Mahnii* prae se fert nomen, suas *Wyttenbachio* partes fuisse, temere suspicabatur *Censorum*, qui vulgo dicitur,

(*) Epist. Sod. p. 317.

Digitized by Google

tur, *Censor.* Cui quae praeclarus ille Rector *Mahnius* scite eleganterque repoſuit (*), audiatis: ni forte et haec *Wyttenbachii*, non *Mahnii*, esse verba velitis. „ *Quod si Wyttenbachius*, inquit, *tanti duxisset, Censorum Censorem a sordibus purgare, (nisi forte hoc idem sit atque Aethiopem lavare velle) cur hoc non potius ipse fecisset, quam a me fieri curasset? Utinam hoc Ipsi libuisset! Eodem, Mehercle, modo miser asellus a Wyttenbachio elusus esset, quo Hortensius Caecilium elusurus fuisset, si Verrem accusasset. Sed, ut in proverbio est, Leo non captat muscas. Wyttenbachius istiusmodi pusillos homines nimis contemnit, nec ipse istorum ineptias refutat, nec alios in istis castigandis adjuvat. Sinit potius istos, ut pueros, in arundine equitare.*" Quae verba, vere aurea, scire aveo nihilne vos moveant, inque meam de auctore, sive de auctoribus, Epistolarum pertrahant sententiam.

CL. Omnino movent, *Hemerti!*

MEG. Mihi certe, quod pace tuâ, itemque *Mah-*

(*) Ibidem. p. 313. 314.

Digitized by Google

Mahnii et *Wyttenbachii* dixerim, *riſum movent.*

CL. Et vero mihi.

E. Quid igitur, quaeſo, illud est, quod vobis, in eis, quae attuli, *Mahnii* verbis adeo videatur ridiculum?

MEG. Rogas? Id ſcilicet, quod *Aquila*, ſive (uti tuus iste *Mahnius* proverbium minus recte enuntiat) *Leo* et olim *muscas* libentiſſime *captaverit*, et illas adhucdum *captare* naviter pergat.

E. Quid tibi velis, declara, nihil uſus circuitione: nondum enim ſatis intelligo, quorſum eas.

MEG. Faxo ut intelligas. Audi. Quemadmodum, aliquot abhinc annis, in *Bibliothecae Criticae* ac *Philomathiae* libris, ita nunc denuo, *Sodalium* in *Epistolis*, id unum agit *Wyttenbachius*, ut te, quoad ejus fieri posſit, quibuscunque modis deprimat, omniumque hominum adducat in contemtionem. Quippe ſingulis fere horum librorum paginis te *puſillum* vocat *homi-*

minem; et *febricitantem aegrum*; *mente alienatum*, *insanientem*, *miserandum potius quam refellendum*; *cui non magis sit respondendum, quam cani viatorem allatranti*; et, quae scripsisti, omnia, si formam spectes, *barbara*, si rem, *inania* esse dictitat ac *prorsus ineptа*, et *nil nisi meras nugas*, *ac furiosi deliria*; et *punctionem* tuam (saepius enim lacessitus hominem, quamvis neget, interdum pupugisti) *punctionem* appellat (*) *muscae*, *vel culicis*, *vel pulicis*, ejusve generis parvulorum animalium, quorum quis punctionem fere non sentiat. Ita te, velut *aquila*, sive, ut *Mahnio* placet, veluti *leo*, muscam, ex alto despicit! Et tamen idem iste *Leo*, eadem *Aquila*, omnium ille rex *quadrupedum*, haec omnium regina *volucrum*, te, pusillum animal, et olim captare omni operâ studuit, et adhucdum, ut captet, omnes intendit nervos!

CL. Est omnino, ut dicis. Homo iste sibi nequaquam constat, quasque sibi ipse dedit partes, male agit. *Leo* enim esse haberique cupiens, suum esse intelligit, *muscas non captare*.

Igi-

(*) Ibid. p. 247.

„ Igitur, inquit, non captabo, quia nominor *Leo:* pusillos homines contemnam; istorum ineptias non refutabo, neque alios in istis castigandis adjuvabo." Sic satis bene! Sed ecce! continuo eum poenitet consilii, muscisque captandis se totum dat, *pusillos*, quos ipse vocat, homines refutando, aliosque in iis, si Diis placet, *castigandis* juvando! Hoccine autem, *Hemerti*, nonne tibi, aeque ac nobis, per quam videatur ridiculum?

Meg. Addamus et hoc, *Clinia*, eumdem istum hominem, *Terpsionis* mentitum nomen, eodem in libro (*), ita de se ipso scribere: *neque se indignum duxit, vanorum hominum maledicentiae castigandae aliquid operae ac temporis impendere.* En igitur *Wyttenbachium*, leo quamvis esse velit, muscas captantem, atque ipsam hanc capturam se minime indignam esse judicantem, suumque hoc judicium aperte profitentem! Quid, quaeso, homini facias, sibi eo usque repugnanti, ut modo hoc, modo illud dicat, et quid eandem velit, ipsum se nescire, cum

(*) Ibid. p. 6.

Digitized by Google

cum dictis, tum factis, omnibus palam faciat?

E. Sed vero *principii petitio* quod in scholis dicitur, istud vos vitium ambo committitis. *Wyttenbachium* enim cum Sodalibus, id est, Medicorum Principem cum ipsius alumnis, quos *juniores* ipse vocat medicos, confundentes, ex quibusdam horum dictis illum levitatis atque inconstantiae arguitis.

Meg. Minime, *Hemerti*, istud, quod dicis, vitium committimus, diversum orationis colorem *Wyttenbachianae* et *Mahnianae* satis discernentes. Verum, de auctore libri ne diutius disputemus, illud saltem meridianâ luce est clarius, nostram de eo opinionem, iis, quae tibi adferre placuit, *Mahnii* verbis, nequaquam refelli. Sunt quippe illa mendacii plena, et, quod ajunt juris periti, *protestationem* continent *actui contrariam*. Negari enim nequit, *Wyttenbachium*, etsi te, ut *Leo muscam*, contemnit, tibi tamen, ac si e magnorum esses animalium genere, bellum intulisse, neque ut cum ipso congredereris coëgisse, in libris puta *Bibliothecae* et *Philomathiae*.

E. Quin tu potius, *Megille*, rem dicas *Mah-*

Mahnii verbis (*): „ *Sermonem*, Καθάρσιον *appellatum, et ſcripto conſignatum, in primo libro Philomathiae Wyttenbachius prodidit; nimium quidem Hemerto* (†) *honorem tribuens, reſpondere dignatus; opus autem faciens Literatis gratum, — ipſi Hemerto ſalutare: — leniter eum ut aegrotum tractans*, caet. Hoccine igitur ſit, *mihi bellum inferre!*

CL. Cave *Hemerti*, ne *Sodales Socratici* tibi denuo ſuccenſeant, bellumque inferant. Eos enim modo accuſare videbaris, ac ſi famae *Wyttenbachii* male conſuluiſſent, hunc ut hominem proponendo *varium* ac *mutabilem*.

E. Nil metuo. Sodales me impenſe amant. Hoc probe ſcio; testimonium namque mihi est in manibus, *Epistolas* dico, quarum, uti meus antea praeiverat *Wyttenbachius*, illi me honore enactarunt.

CL.

(*) Ibid. Praefat. p. 36.

(†) Varietatis cauſâ, elegantiſſimus *Mahnius* me modo *Hemertum*, modo *Hemertium* vocat. *Reficit* ſcilicet *ac reparat animos varietas ipſa!* ut ait *Quinctilianus*, Inſt. Orat. I. 12.

Digitized by Google

CL. Macte igitur inhoc tuo honore!

MEG. Hoc tibi fortasse illud est *beneficium*, quod a Sodalibus in te collatum modo praedicabas?

E. Recte conjicis, *Megille*. Estque hoc fane, meo quidem judicio, omnium, quae in me conferri a quoquam mortalium possint, beneficiorum longe maximum.

MEG. Itane vero? Nihil equidem, quod jam fassus sum, in Sodalium Epistolis, *beneficii*, contra vero, mendaciorum et injuriarum, adeoque *maleficii*, inveni plurimum. Quid tu, *Clinia?*

CL. Idem ego fateri cogor. Sed velim, *Hemertius* noster suam ipse mentem nobis explicet, ut illud tandem beneficium cujusnam sit generis cognoscamus.

E. Lubens faciam, ô Optimi. Sciatis igitur, me per integros aliquot annos gravissimo laborasse morbo. — — —

CL. Vah! quid ais? tene tam diu aegrotasse!

E. Ve-

Digitized by Google

E. Vera loquor. Per aliquot annos febri laboravi, neque ſanari a quoquam, per omne illud tempus, perfecte potui, ne ab ipſo quidem *Archigene*, omnium principe Medicorum. Primus quippe hic vir, meam miſeratus ſortem, quâ est ſingulari erga me benevolentiâ, ultro ſe mihi obtulit, et quo ſanari me poſſe putaret, nihil reliquit intentatum, quin imo καθάρσιον mihi praeſcripſit, *ex ſuo ipſius felle* compoſitum, quod meae febri pellendae aptiſſimum eſſe augurabatur. — — —

CL. Atat! *ex ſuo ipſius felle!!* mira narras, *Hemerti*. Et quid porro?

E. Res aliter cecidit! Καθάρσιον ex *Archigenis* praescripto componendum curavi; compoſitum fideliter ſumſi. Nequidquam! Febris manſit. Igitur ad me venerunt Sodales, juniores quidem illi Medici, vetulo tamen *Archigeni*, niſi artis peritiâ, certe ubere raroque felis proventu pares, atque ab ipſo miſſi, ut mihi καθάρσιον denuo parandum curarent, ſuumque ipſi e pleno jecinore fel amariſſimo potui admiſcerent, et ſic, iterato hoc medicamento, mederi meo morbo conarentur. Quod tandem feliciter evenit: horum enim Medicorum ope, duc-

ductu tamen auspicioque *Archigenis*, jam prorsus convalui, et ad pristinam redii sanitatem.

CL. Recuperatam sanitatem, ô bone! tibi etiam atque etiam gratulor.

MEG. Idem hoc a me velim dictum putes. Is autem, quem dicis, *Archigenes* quisnam est? hujus enim viri nomen me vix unquam audire memini.

E. Ita meum, honoris causâ, *Wyttenbachium*, pace vestrâ, posthac appellabo. Cum enim nativum hujus nomen asperum sit ad aures judiciumque hominum *Graece Latineque* doctorum, aegre fert Vir admirabilis, velut ipse indicat (*), majores suos omnes tam fuisse bardos, stupidosque, aut gentilitii certe nominis adeo tenaces, ut ne illorum quidem unus, exempla imitatus veterum eruditorum, de *nominis mutatione* cogitaverit, suive asperitatem nominis ad antiqui soni sermonisque conformaverit elegantiam. Quâ de causâ magno huic Viro, quod gratum ipsi spero fore, novum libenter po-

(*) Philomath. L. I. p. 3.

Digitized by Google

pono; idque *Graecum* et eleganter ſonans; *Archigenis* nomen, clari olim *Romae* ſub *Trajano* Medici, *Syriâ* oriundi, cujus apud *Juvenalem* plus ſemel fit mentio.

CL. Proh ridiculum in istó, quem tu *magnum* dicis, homine vanitatis atque arrogantiae exemplum! Nos autem, quibus, ut credo, aures non adeo ſunt teretes, *Wyttenbachium*, ſi placet, veteri compellemus nomine.

E. Cave, *Clinia*, ne meum *Archigenem* vanitatis atque ſuperbiae inſimules: ipſe enim ſummam profitetur animi modestiam; et hanc illius praestantisſimam virtutem ſummis extollunt Sodales laudibus, aliisque proponunt in exemplum hominibus (*) Quod autem a me petis, ut, quotiescunque, hoc nostro in colloquio, mentio ſit hujus Viri facienda, asperum istud durumque *Wyttenbachii* nomen toties eloquar; est illud, fateor, ſpecie quidem admodum leve: re tamen ipſâ grave. Etenim, ſi tibi hac in parte obſequar, et ad aurēs forte illius hoc meum perveniat obſequium, ecquid, quaeſo, even-

(*) Ep. Sod. p. 294, et alibi.

Digitized by Google

eventurum putas? Ego certe, cui *Archigenes* bene notus, haud dubito, quin hic ita secum: „ Vah! persanatum putabam meum *Hemertu-* „ *lum*. Sed, proh dolor! si sanatum, at non- „ dum persanatum esse video. Ecce! ut meum „ nomen identidem adhibeat, gentilium qui- „ dem illud, at simul barbarum, et *a sono* „ *modoque Latino abhorrens* (*)! Per *Jovem!* „ quidni *Graeco* quodam me appellavit nomine, „ quo delectari me ignorare nequit? nominum „ enim, etsi *propriorum* et *gentilitiorum*, me „ nec ferre posse barbariem, neque ignoscere „ velle, aperte palamque dixi (†)." Et quid, amabo, Vir bonus tum porro faciet? Qui scilicet erga me est benevolentiâ, mei denuo miserius, convocato juniorum medicorum concilio, horum quosdam ad me continuo mittet: qui jam ipsi, si quid meae deësse sanitati deprehenderent, se ad me curandum redituros, sui sponte dixerunt (§). Igitur e re meâ esse arbitror, ab istius nominis barbarie prorsus abstinere. Vos autem, ô Optimi, si ita videatur, priscum Viri nomen usurpetis.

MEG.

(*) Philom. L. I. p. 4.
(†) Ibidem.
(§) Ep. Socr. p. 296.

Digitized by Google

MEG. Enimvero mentem ego tuam nondum satis capere mihi videor. Quid enim? Habetne igitur illud *Wyttenbachii* nomen cum ipsius de tuâ sanitate judicio aliquid commune?

CL. Idem hoc ego quaerere vellem.

E. Non miror; morbum quoniam ignoratis, quo laboravi miser.

CL. Ergo dic, Sodes, qualis fuerit.

E. Pudet fere dicere.

CL. Ne dubites: ad sanitatem enim jam rediisti.

E. Pudet tamen.

MEG. Quid ita, *Hemerti?* Nihil namque, ut speramus, a te commissum est unquam turpe.

E. Nihil, quod quidem sciam.

CL. Itaque mentem quaeso ne nos diutius celes. ἐξάυδα, μὴ κεῦθε. —

E. Quo-

E. Quoniam me urgetis, rem aperiam. Et *Mahnius* etiam, quod tempestive memini, hanc mihi imposuit aperiendi necessitatem.

CL. Hem! quid *Mahnio* cum hac re est commercii?

E. Omnino plurimum. In junioribus quippe *Mahnius* est medicis, atque is, cui sanitatem maxime debeo. Hic autem, cum a me postremum abiret, *supplicio*, inquit (*); *ut te exsolvas, unica est haec, eaque satis tibi facilis via, si aperte fatearis, te insaniisse.*

CL. Siccine vero insaniisti?

E. Aperte fateor, *Clinia*, me mente fuisse alienatum, atque ad eum usque modum insaniisse, ut ipsi *Archigeni*, Philosophorum maximo, oracula sua edenti, palam obloqui, eumque, de *Kantii* placitis, ut solet de omnibus rebus obviis, scite prudenterque judicantem, quodammodo reprehendere sustinuerim.

MEG.

(*) Ibidem. p. 289.

Digitized by Google

MEG. Quid ais? De tuo hoc morbo equidem nil quidquam antea audivi. Sed, Mehercle, nondum video, *Wyttenbachiani* nominis sive elocutio, sive reticentia, ad opinionem de tuâ sanitate quid tandem faciat.

CL. Neque ego rem satis intelligo.

E. Melius intelligetis, si naturam morbi mei cognoveritis. Hanc autem his verbis designavit *Archigenes*, adsensum nutu significantibus reliquis medicis: *febris*, inquit (*), *est ardens et mentis alienatio certissima: febris est Kantiana, cujus insolentiam et speciem auget etiam prava et balbutiens Latinitas.*

MEG. Sane, Pol! mira est morbi species.

CL. Et fortasse in suo genere unica.

E. Non prorsus, *Clinia*. Olim namque, quod *Archigenes* me docuit (†), morbi fuerunt, huic non plane dissimiles, velut febris *Wolfiana*,

(*) Philom. L. I. p. 134.
(†) Biblioth. Crit. Vol. III. P. IV. p. 18.

Digitized by Google

nâ, antea Cartesiana, prius etiam alia atque alia. Ex ipse *Archigenes* se adolescentulum, *nec vehementer tamen, nec diu, Wolfianâ febri laborasse* testatur (*). Ista autem, quod mireris, *Kantiana* febris hoc sibi inprimis proprium habere videtur, ut *fere novos atque imperitos invadat, peritos doctosque fugiat:* quae ejusdem *Archigenis* exquisitissima notatio est (†).

CL. Nil miror, tuum hominem, etsi paulisper *Wolfianâ*, nunquam *Kantianâ*, correptum fuisse febri!

MEG. Igitur ipse *Kantius* in *novis* atque *imperitis* fuerit, necesse est.

E. Fateor quidem, me olim secus sensisse, quamdiu nempe funestâ febri laborarem. *Kantium* quippe, ejusque multiplices variosque Philosophiae libros, stultus ego semper plurimi feci. Postea vero me meus monuit *Archigenes* (§), *ultra quam Philosophum decet, Kantio lite-*

(*) Ibid. p. 13.
(†) Ibidem.
(§) Ibid. p. 45.

Digitized by Google

literas defuisse: ut in historiâ Philosophiae vix supra Spinozae et Cartesii aetatem progressus videatur. Quod cum ita sit, mirum sane nequaquam est, *Kantium*, quamvis *magna polliceretur*, *parum praestitisse*, et (quae ipsa sunt summi *Archigenis* verba (*)) *opus protulisse*, *Cimmeriis tenebris et boreali glacie concretum*, *in quo consequentia argumentorum desit*, *et pleraque temere ac sine demonstratione ponantur*, *neque ad probabilitatem explicentur.* Qui de causâ haud immerito ab *Archigene* illud *Kantio* objectum est *Horatianum* (†):
Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?
Parturient montes. caet.

C L. Est profecto tuus iste *Archigenes* aequissimus rerum aestimator, et, quemadmodum in universâ Philosophiâ nemini secundus, ita *Kantianae* rationis peritissimus: quod et novissime a Censore quodam peracuto praeclare demonstratum est (§)!

E. Est

(*) Ibid. p. 24, 25.
(†) Ibid. p. 21.
(§) Cens. etiam Censorum N. VI. P. VII. p. 282—298.

Digitized by Google

E. Est omnino *Archigenes* Philosophorum Deus quidam! Nec mirum! *Suam* enim, id est *germanam*, *Philosophiam* e scriptis hausit Veterum, unico Philosophiae fonte: *Kantii* vero *deliria* ex *Mellini Lexico encyclopaedeutico Philosophiae criticae* (*), quod quin obscuris *Kantii* libris multo sit praestantius, nemo unus dubitat!

Meg. Ista autem febris *Kantiana* habetne sibi revera hoc privum propriumque, ut, quos invadit, eos infatuet, illorumque capita furore quodam instinguat? Etenim, si recte memini, praeclaros in arte medica viros ad eum fere modum de ista febri audivi disserentes.

E. Hoc plane idem est, quod meus dixit *Archigenes*, lepida, ut solet, rem involvens fabula (†).

Meg. Dic porro, ista febris, simul atque hominum capita furore instinxit, illorumne etiam continuo corripiat linguas, ut bulbutiant *Latine* loquentes.

E. Ita

(*) Epist. Sod. p. 101. 103. et Philom. L. I. p. 32.
(†) Philomath. L. I. p. 27.

E. Ita ferè rem explicandam esse censeo.

Meg. Nec tamen intelligo, quâ fieri ratione possit, ut *prava et balbutiens Latinitas insolentiam* hujus morbi *augeat*, ejusque speciem acuat atque exasperet: quod, ni fallor, a tuo dictum est admirabili *Archigene* (*)

E. Neque ego intelligo: sed nec multum laboro. Αὐτὸς ἔφα: hoc mihi sufficit. Caeterum, laetor, mentis agitationem, *Kantianâ* nuper febri laborantis, ope cum mei *Archigenis*, tum inprimis *Sodalium Socraticorum*, hujus persequentium vestigia, a nimiâ incitatione ad sanitatem esse rationis redactam.

Meg. Tibi denuo gratulor, o bone! de restitutâ sanitate.

Cl. Item ego, etiam atque etiam.

E. Sic tandem, ut spero, virorum Optimi, intelligitis, cur priscum *Archigenis* nomen sermonibus ego meis scriptisve usurpare amplius non audeam.

Meg.

(*) Vid. supra. p. 33.

MEG. Ne sic quidem ego satis: ni forte velis, *Wyttenbachiani* nominis elocutionem pravae esse et balbutientis Latinitatis.

E. Tune igitur adhuc dubitas, nomen istud an sit barbarum? Imo plane horridum esse sono, neque hominum venustiorum auribus ferendum, quis tam est plumbeus, toto quin animo persentiscat?

CL. Revera manifestum est, *Hemerti*, te nunc quidem, e morbo, quo laborasti, penitus convaluisse!

MEG. Itaque ab isthoc nomine, *barbaro* scilicet, te nunc in posterum, eâ maxime de causâ, abstinere velle putem, ne quid tibi veteris morbi adhaerere videatur. Dic, sodes, mentemne ego tuam recte jam ceperim.

E. *Rem*, quod ajunt, *acu tetigisti.*

MEG. At vero ista maligna febris, quam *Wyttenbachius Kantianam* dicit, adeone te affecit vehementer, ut, simul ac quid dicere *Latine* velles, continuo *pravâ Latinitate* balbutires?

E. *Pra-*

Digitized by Google

E. *Pravâ?* Imo vero *pessimâ:* ut *plane barbarus* viderer! Et, quod magis mireris, *Megilla*, in *loquendo* non solum, verum etiam in *scribendo*, a dictionis barbariè temperare non poteram.

CL. Mirificissimum profecto!

MEG. Nec tamen ita balbutiisse videris, quin a *Wyttenbachio*, ejusque ministris, Sodalibus, quos in ipso Latio cunctos esse natos reor, satis superque intelligereris?

E. Nimirum hi, diuturnâ consuetudine meae adsueti infantiae, pro eâ, quâ valent, singulari sagacitate, mentem haud difficulter divinabant, et, quae dicere vellem, conjecturâ quasi praecipiebant.

CL. Ô Praeclaram Sodalium in divinando solertiam!

MEG. Age vero, *Hemerti!* ni tibi grave molestumque sit, cedo quaedam tuae balbutientis infantiae exempla. Adeo enim, quam narras, res est mira, ut omnem fere fidem exsuperet.

E. *Infandum*, Megille, *jubes renovare dolorem!*

MEG. Ah! Aequo ſis animo precor: priſtinam quippe barbariem jam penitus excuſiſti.

CL. Facias, obſecro te, quod *Megillus* a te petit: quo enim rarioris exempli res eſt, quam tibi ais evenisſe, ad investigandum eo ſumus curioſiores.

E. Igitur, quoniam ſic vultis, quaedam ex illis, quae ſcripſi, delibabo.

CL. Pergratum nobis feceris.

E. Hanc autem vobis legem ſcribo, ut me βαρβαρίζοντα καὶ σολοικίζοντα ne rideatis.

CL. Equidem pactum probo.

MEG. Atque ego ratum cupio.

E. Verum enim vero unde incipiam neſcio. Adeo quippe, quae *Latine* ſcripſi, cuncta barbarismis et ſoloecismis ſcatent, ut, quod jam

Digitized by Google

Jam meus me monuit *Archigenes* (*), *paucae sint sine ulcere paginae!* Ecce, verbi causâ, primam, quam ad huncce scripsi, Virorum maximum, epistolam! In illâ solâ quot ab *Archigene* notata esse vitia putatis?

CL. Conjicere equidem non ausim.

E. Me vero pudet dicere: est enim horribile, atque incredibile simul!

CL. Dic tamen, obsecro.

E. At ne quis alius audiat! — — *Centum quinquaginta octo.*

CL. Hem! quid ais? Pol! hoc nimio plus est. *Centum quinquaginta et octo Latinitatis menda*, eaque *uno* in epistolio cuncta!

E. Ah! *Clinia*, *Clinia!* nescis, ut totus mihi suffundatur *pudore* animus. Hei mihi! Quo me vertam nescio.

MEG.

(*) Philomath. L. I. p. 86.

Digitized by Google

Meg. Qui autem tu nosti, ô Optime, tot ineſse epistolio vitia?

E. Certo novi certius: etenim tot ipſe vitia notavit *Archigenes*: et praeterea *Terpſion* (*) omnia abs *Archigene* notata quam accuratisſime computavit.

Cl. Errores putem commisſos esſe in calculo.

E. Nihil vero minus. Sodales namque, ut in caeteris artibus, ſic in *Arithmeticâ*, et in illâ inprimis ejusdem parte, quae vulgo *additio* appellatur, magistrum ſuum aemulantur *Archigenem*, quem ferunt hujus artis esſe peritisſimum.

Cl. Ergo *Wyttenbachium* tuum, aut, ſi placet, *Terpſionem*, tecum fuisſe cavillatum putem, per ludum jocumque, *quae non ſunt*, vitia fingendo.

E. Atqui in re ſeriâ, qualis est *alienatae men-*

(*) Epist. Sod. Socrat. p. 5.

mentis fanatico, jocis locus esse potest nullus.

MEG. Scin', quid *ego* putem, *Hemarti*?

E. Si dixeris, sciam.

MEG. Te nimirum vesparum aut crabronum nidum aliquem digitis contigisse.

E. Non intelligo, quid sibi haec verba velint.

MEG. Igitur rem dicam lucidius. Existimo scilicet, *Danielem Wyttenbachium*, cujus tu primus auctoritatem pontificalem infringere superbiamque retundere intolerabilem ausus es, per inveteratum multorum annorum odium, atque insanam, quâ ex illo inde tempore totus flagrat, vindictae cupiditatem, tibi, *quae non sunt*, vitia affinxisse, et, quae fortasse levia ac levissima commisisti, acrius ea quam recta vidisse.

E. Ah! *Megille*, nescis quo dolore haec tua verba animum meum percutiant! Tu quidem, mihi crede, nunquam in omni vitâ a vero longius aberrasti. Quid? *Archigeni*, apud quem ego gratiâ plurimum valeo, odium in me acerbis-

bisſimum et furioſam tribuis malevolentiam? Profecto non tribueres, ſi epistolam recordareris, quam Vir mei amantisſimus ad me olim ſcripſit, et in aeternum benivolentiae, quâ me complectitur, monumentum in lucem prodire juſſit (*): de quâ magni Viri epistolâ quoties-cunque cogito, (cogito autem ſaepisſime) toties lacrymis ſuffundi meos oculos ſentio. — ô *Megille!* ſi quis alius his in terris, meus certe *Archigenes* indulgentisſimi vir est ingenii: ut nihil ego unquam viderim ipſo mitius, nihil lenius, nihil manſuetius, nihil verecundius, placabilius nihil, aut amabilius! Quam ſingularem animi aequabilitatem atque praestantiam et ipſe de ſe, quamvis modeste, ſaepisſime praedicat (†), et praeterea, ne abs aliquo mortalium in dubium res unquam vocetur, ſummis efferunt Sodales laudibus. Quin imo — cur enim diffitear? — *pro feroci ac truculento*, quo aegrotus olim eram, *animo*, nimia humanisſimi *Archigenis* erga me fuit indulgentia! Hoc ſci-

(*) Philom. L. I. p. 142—153.

(†) Ibid. p. 12. et Biblioth. Crit. Vol. III. P. IV. p. 71, aliisque in locis.

Digitized by Google

ſcilicet judicium, idque veriſimum, meus tulit *Mahnius*, qui me, quo tamen plus neminem diligit aut plus amat, illo tempore, *magis fuiſſe factum* dicit (*) *ad σκῆπτρον Ulyſſis ſentiendum, quam ad Archigenis percipiendam humanitatem urbanitatemque.* Et vero tantum abest, *Megille*, ut, quod tu putas, justo ſeverius de me judicaverit *Archigenes*, ut, contra, quod ab humaniſſimo *Terpſione* indicatum est (†), *multo plura Latinitatis menda notare idem potuiſſet, ſi dictiones addidiſſet Belgicas, a me ad verbum*, ut ait! *redditas.* Ne et hoc addam — quae ejusdem est *Terpſionis* animadverſio (§) — praeter barbarismos, cum verborum, tum dictionum, *nexum orationis meae et habitum*, per totam epistolam, *fuiſſe barbarum: ut, etiamſi menda emendarentur omnia, ſemper tamen appareret homo ſemilatinus, durus, inficetus; ſenſu, cogitatione, ſono abhorrens ab hominis Latine docti perſonâ.* Quid plura? Clementiſſime mecum egit *Archigenes*, ut *aegrum leniter me tractans, et parce*, ſi quid pec-

(*) Epist. Sod. Socr. Praefat. p. 45.
(†) Ep. Sod. Socr. pag. 5 et 6.
(§) Ibidem.

Digitized by Google

peccarem, *me reprehendens* (*). Cum enim, eodem *Terpſione* teste (†), *epiſtolae meae quot verba, tot ſint ulcera*, ecce! optimus *Archigenes* — tanta viri est humanitas, tamque incredibilis indulgentia — non plus notavit, quam *centum quinquaginta et octo!!!*

CL. Esto, quem tu dicis *Archigenem*, et *Mahnium*, Rectorem gymnaſii celeberrimum, et, ſi qui ſint, caeteros Sodales tibi omnes bene cupere, et defaecati esſe tam *animi*, quam *ingenii* viros! — Mittamus vero paulisper istorum hominum de tuâ Latine ſcribendi facultate judicium; ipſumque te audiamus balbutientem, et pravae Latinitatis, ex tuis ad *Wyttenbachium* epistolis, ſpecimina afferentem: hoc enim, ut nosti, illud est quod facturum in te recepisti.

E. Ohe! *Clinia*, infinitum ſit omnia producere.

CL. Neque hoc a te requirimus.

Mec;

(*) Philomath. L. I. p. 135.
(†) Ep. Sod. p. 9.

Digitized by Google

Meg. Nisi *multa*, modo *aliqua* prome: ut de tuâ ipsi infantiâ judicium ferre valeamus.

E. Profecto nimis estis increduli.

Meg. Reum te debiti tenemus.

E. Vah! molesti exactores!

Meg. Tu modo solve, nec diutius nos morare.

E. Igitur, quoniam me urgetis, initium vobis praelegam istius ad *Archigenem* epistolae, in quâ hic ipse Vir *centum quinquaginta octo* notare menda dignatus est, et in cujus *primo statim ingressu*, ut ipse dixit (*), *ter offendi*.

Meg. Utcunque feceris, modo facias, sidemque liberes, bene est.

E. Quam dixi, epistola sic infit: „ Vixdum quatuordecim praeterlapsi erant dies a morte Filii mei dilectissimi, natu maximi, cum libellum.

(*) Philomath. L. I. p. 86.

Digitized by Google

lum tuum, qui partem conſtituit *Bibliothecae Criticae* ultimam, a Bibliopolâ miſſum accepi. Erat illo tempore animus recentiſſimo acerbiſſimoque dolore, ex tantâ tam cari Capitis amiſſione orto, laceratus adeo atque confectus, ut eum ad ſcriptionem tuam legendam intelligendamque neque erigere, neque erectum attendere, ſatis poſſem. Libri tamen proœmium, quod epiſtolam continet, ad *Lyndenum*, Virum nobiliſſimum, a te ſcriptam, hic illic evolvebam oculisque luſtrabam. E quo cum fere intelligerem, quid molireris, quamque contumelioſe mecum ageres, librum continuo de manibus poſui, efficere nolens ut ad praeſentis et neceſſarii doloris vehementiam novus velut ultro quaeſiti doloris cumulus accederet." — Ecce! vobis plus quam dimidiam primae paginae partem praelegi; idque eo conſilio, ut non tantum, quam mea *dictio* ſit *barbara*, verum etiam, *nexus orationis meae totusque habitus* quam ſit plane *barbarus*, *durus*, atque *inficetus*, uterque vestrum intelligat.

Meg. Ego tamen nihil istiusmodi deprehendo.

Digitized by Google

Cl. Nec me aliquid offendit, ad singula quamvis animum enixe attenderim.

E. Papae! quam estis hodie ambo stupidi!

Cl. Tu igitur, quaeso, nostro succurras stupori.

E. Quod *totam orationis meae nexum habitumque ab hominis Latine docti persona abhorrere* dixit *Archigenes*, verissimum quidem illud (velut omnia, quae ab ipso dicuntur): sed tamen simul ejusmodi est, ut quasi digito monstrari aegre possit. Ultro id sentiunt elegantioris ingenii viri, quales mei sunt *Archigenes*, *Mahnius*, caeterique Sodales: vulgares homines non sentiunt. *Barbarae* vero *dictionis* alia est ratio: ad hanc enim *vitia* pertinent *Latinitatis*, qualia, *in primo statim Epistolae ingressu*, a me commissa, numero *tria*, sul ipse manu magnus notavit *Archigenes*. Scire autem velim, an ne haec quidem *tria* vitia, quae vobis praelegi, ipsi deprehenderitis.

Meg. Nihil equidem sane.

Cl. Neque ego: verum ea cognoscere aveo.

E. Igitur repetam: „ *Vixdum quatuordecim praeterlapsi erant dies:*" Ecce! in quinque verbis, duo vitia! Primum, *quatuordecim dies:* tum, *praeterlapsi.* Phui! quam hîc omnia sunt barbara et prorsus inficeta! Denique, quod paucis interjectis sequitur: *qui partem constituit Bibliothecae:* tertium est pravae Latinitatis specimen.

Mec. Quid? Igiturne *Latine* dici nequit: *quatuordecim dies erant praeterlapsi?*

E. Non nisi *semilatini* nec *barbari* ita loquuntur.

Cl. Per *Jovem!* istud quidem ego in vita unquam audivi.

Mec. Memini me legere alicubi apud *Seaphanium* (*), quosdam eorum, qui religiosi circa *Latinae* linguae usum esse volunt, in ridiculam incidere superstitionem; et illorum duo potissimum esse genera: alios enim in unius scriptoris, aut in duorum vel trium, Latinitatem

(*) In Praefat. quam praemisit Libro *de Latinitate falso suspecta.*

tem ita jurare, ut reliquam omnem ejurent; alios vero, etsi non tam angustos cancellos Latinitati circumdant, suae ita memoriae suoque judicio confidere, ut, quoties controversia de vocabulo quopiam aut dictione oritur, memoriae duntaxat arbitrio stare velint. Unde fieri ait, ut multas voces phrasesque falso barbariei habeant suspectas, et *illos cives Romanos* (quos vero ipsi tales esse ignorant) non Urbe solum, sed toto etiam Latio, procul in exilium pellant. — —

E. Per omnes Deos juro, meum *Archigenem* ex isthoc genere nequaquam esse.

Meg. At tu nos quaeso doceas, quemadmodum *Latine* dicendum sit: *quatuordecim dies erant praeterlapsi.*

E. Tune hoc vero nescis, *Megille?*

Meg. Noli me tam doctum putare, quam tuum *Archigenem*, aut *Mahnium*, literarum miraculo utrumque venerabilem.

Cl. Et ego, qui dicendum sit, cum ignarissimis ignoro.

E. Ergo aures animumque attendite! Dicendum ſcilicet est: „ *dimidiatus menſis praeterierat*, ſive *abierat*, *interceſſerat*."

Cl. Pol! quam haec dictio est bene Latina! Et quam eleganter verba ſonant: *Vixdum dimidiatus menſis praeterierat!*

E. Ita dicendum eſſe, ipſe me docuit *Archigenes*, in *Catharſio* (*), quod, *ut me mentis linguaeque ſordibus purgaret* (†), Vir optimus mihi adhibuit. Cum vero deinceps, in meâ ad *Archigenem Epistolarum Triade* (§), ſtultus ego (quippe tunc temporis nondum *ſanatus*, nedum *perſanatus*) humaniſſimo monitori obſtrepuiſſem, meamque dictionem barbaram defendiſſem, eandem monitionem meus repetiit *Mahnius* (*).

Meg. Placuitne autem hisce Duumviris, ſui rationem decreti reddere, quâ intelligatur, tuam,

(*) p. 86.
(†) Epist. Sod. p. 13.
(§) p. 7—15.
(*) Epist. Sod. p. 126—138.

Digitized by Google

tiam, quam improbant, dictionem revera esse *barbaram*, Latinisque minime ferendam auribus?

E. Quamquam, me judice, hi Viri, de Latinitate pronunciantes, etiam si nullas plane decretis suis rationes addant, fidem omnino merentur, addiderunt tamen, *Archigenes* aliquas, plures *Mahnius*.

Meg. Ecquid igitur rationis *Wyttenbachius* attulit? Hunc enim, ut Gregis ducem, primum audire fas est.

E. Pauca quidem, sed plane egregia. Librum ad manum habeo. Si vacat audire, locum vobis praelegam. „ Primum, inquit, *quatuordecim dies* genus loquendi novitium. Si *Gallus* fuisset, dixisset *quindecim* dies: ergo est ille *Belgicismus*, ut hic *Gallicismus*. Rectius: *dimidiatus mensis*. Tum *praeterlapsi*. Nil frequentius hodie, nec tamen Latinum. *Praeterlabitur* fluvius, rivus: nos *praeterlabimur* navigantes locum. *Labi* tempus dicitur: *praeterlabi* posse dici, si nullo cum fructu nostro praeterit. Rectius hoc ipsum ponitur, *praeterire*, *abire*, *intercedere*."

Meg. In memoriam mihi jam redigis, quae nonnihil excesserant, eaque simul revocas, quibus tu hanc *Wyttenbachianam*, nasuti hominis, reprehensionem *confutasti*.

E. Au! *Megille*, quid ais? Egone homuncylus tantum Virum, tamque omni modo admirabilem, *confutaverim!* Imo vero *confutare* male *conatus* sum, *Kantianâ* febri delirioque correptus! Recordare, quaeso, omnia, quae nuper reposuit *Mahnius*, qui summi *Archigenis* partes contra me baronem atque idiotam suscepit defendendas. En ipsum ejusdem librum! Vin tu, et *hunc*, quem specto, locum praelegam? Est enim fane egregius.

Meg. Non opus est, ô Optime; si quidem satis memini.

E. Ni longior esset, tamen praelegerem: est namque vere aureus.

Cl. Ne facias, quaeso. Me enim quod attinet, quae huc spectant, omnia quoque jam memini me legere, et simul *Wyttenbachii*, seu, si mavelis, *Mahnii* veneratoriam admirari calliditatem.

E. Quin

E. Quin tu, si sapias, potius dic, *Mahnii* prudentiam doctrinamque multiplicem.

MEG. *Veteratoriam calliditatem* rectissime dicit *Clinias*, cum in aliis, tum in eis maxime conspicuam, quae ab ipso afferuntur, ut ostendat, tua verba, *quatuordecim dies*, *Belgicismi* esse adnumeranda. Primum enim aperte mentitur *Mahnius*, cum scribere non vereatur, *Wyttenbachium* haud negasse, *quatuordecim*, si *definite hunc numerum significet*, Latine recte dici; et *diserte affirmasse*, *quatuordecim dies*, *indefinite pro tempore circiter dimidii mensis*, *non bonae esse Latinitatis*, *sed hodiernae consuetudinis*, *ut Gallicum quindecim dies* (*) Ipse locum inspice, modo a te praelectum; et hominem invenies *totum ex fraude et mendacio factum.* Etenim ne verbum quidem eorum, quae dicit, ibi legitur. Universe quippe sancivit *Wyttenbachius*, novus iste in regno *Literarum*, nec non, si Diis placet! *Philosophiae*, Legislator, *quatuordecim dies genus esse loquendi novitium*, *et Belgicismum!* Deinde vero, tua monitus refutatione, ipse ni-

(*) Ibid. p. 126.

nimio hoc esse plus intellexit. Igitur, hoc intellecto, errorem suum, ut solent istiusmodi farinae homines, mendacio tegere quam confiteri mavult, suumque jubet *Mahniolum* hoc mendacium, praeter alia complura, impudenter effutire, ac Lectoribus, modo sint creduli, persuadere, suum magistrum *diserte dixisse*, quod *non* dixit, sed dicere, si quid vellet, *debuerat*. — Tum et hoc versutissimi esse veteratoris existimo, quod *Wyttenbachius*, sive *Mahnius* (horum enim utrumlibet colluforum nominatim dicas, perinde est) quod igitur istorum alteruter, tibi sermonis *Gallici* objiciens ignorantiam, ad ejusdem linguae lexica te contumelioſe amandat, ut scilicet ex illis id discas, quod totidem ipse verbis, eisque maxime perspicuis, tute antea scripseras. Age! *Hemerti*, operae enim pretium est, fallaciam detegere, age! cedo, sodes, *tuam*, si praesto sit, *Epistolarum Triada*, ut locum praelegam.

E. En librum! Verum obsecro te! Amice — —

Meg. Ita se habet locus (*): „ Primum, in

(*) Triad. Epist. p. 9 et 10.

inquo, te judice, offenderim, hoc est, quod scripsi: *quatuordecim dies.* Nescivi, fateor, hoc minus esse *Latinum*, et in *Belgicismis* reponendum. Sed ne nunc quidem credo; nec video, cur hoc ita tibi fancire lubeat. Dicis, me, si *Gallus* fuissem, scripturum: *quindecim dies.* Verum, pace tuâ, bone Vir! hoc non fecissem, si *Gallice* scripsissem. *Dimidiatum fere mensem* significaturi, dicunt *Galli: une quinzaine de jours:* hoc probe novi. Sed ita non loquuntur, cum *definite quatuordecim dies*, nec plures, nec pauciores, indicare volunt. Ego igitur, si quidem *definite quatuordecim dies*, *non vero plures*, significare volebam, ipsique illi dies nondum plene preterierant, haudquaquam scripsissem: *à peine une quinzaine de jours s'était écoulée:* sed, *à peine quatorze jours s'étaient écoulés:* atque ita, si nescis, linguarum Magister! scribendum Gallice fuisset." Igitur quid tandem illud est, quod *Mahnius* iste, e lexicis quibusdam *Gallicis*, te docere velle videatur? Nil profecto aliud, praeter id, quod tu contra *Wyttenbachium* ipse disputaveras, et quod hicce omnium magistrorum nasutissimus aut nesciisse, aut saltem non accurate novisse videtur. — Dein et hoc veteratoriae calliditatis et simul effrenatae esse impu-

Digitized by Google

dentiae reor, quod mendacissimus iste *Mahnius*, e suo ipsius ingenio alios spectare solitus, tibi, ac si tu *quoque* homo esses nequam, mendacium impingere audet. Quamvis enim sancte adseverasses, te *definite quatuordecim dies* significare voluisse, atque addidisses, ipsos illos dies, tunc, cum libellum *Wyttenbachianum* acciperes, *nondum plene praeteriisse*, iste tamen, *nemo*, inquit (*), *tibi credet, te desiisse loqui voluisse!* Quo quid dici possit aut inhumanius, aut stolidius; equidem ignoro. Nihil enim a probabilitate et similitudine veri minus est disjunctum, quam si dicas, patrem, qui carissimi filii recentissimam mortem lugeat, omnes ab eâ morte lapsos dies sollicite secum enumerare, et cunctarum fere horarum, ut ita dicam, rationem habere accuratissimam. At hoc mirum accidat necesse est homini immanitate barbaro, cui, quoniam humanitatem prorsus exuisse videtur, illud *Nasonis* objicere licet:

natus es e scopulis, nutritus lacte ferino,
et dicam silices pectus habere tuum.

Mahnius certe, quali tandem cumque sit animo,

(*) Ibid. p. 127.

mò, sic scribere haud erubescit (*): *in istius-modi re, quam tu* NARRAS, *nemo curat, nec refert scire, utrum omnino et absolute tot dies, an uno alteroque pauciores pluresve fuerint!* — Denique et hoc pessimi prodit, veteratoris animum, quod te, in usu particulae *vix dum, lapsum esse* clamat *in Latinitate, atque a Belgicismo ad Soloecismum confugisse.* Haec enim, si ipsum audias (†), particula significat, *eam rem, de quâ dicitur, jam plene praeteriisse;* tu vero, proh negligentiam paene incredibilem ac paedagogi dignissimam ferulâ!! *quatuordecim illos dies* indicaveras *nondum plene praeteriisse.* Quâ sane perquam frivolâ et futuli cavillatione, illud homo nugator efficere callide studet, ut, nisi denuo *soloecismi* notam ab ipso tibi inuri malis, *impudentissimi* te convincat *mendacii:* quasi vero nequaquam, *definite*, (quod *tu* dixeras) *quatuordecim dies*, sed (quod *ipse* vult) *dimidiatum fere mensem*, significare voluisses.

E. Quae disputas, *Megille*, tanto, mihi cre-

(*) Ibid. p. 127.

(*) Ibid. p. 128.

Digitized by Google

crede, animum pavore percellunt, ut ecce! omnibus artubus contremiscam, et vox fere faucibus haereat.

MEG. Heu, heu! Quid ita paves, ô bone?

E. Equidem non mei, verum tui, causâ paveo, *Megille:* ne scilicet meus *Archigenes*, aut Sodalium quispiam Medicorum, de hoc tuo sermone, aliquid, vel minimum, resciscat.

MEG. Num quid igitur mihi inde venturum mali putas?

E. Sane quam plurimum. Quos nimirum aliquoties, ut resipiscerem, expertus sum *Archigenis* mei lacertos, eosdem ne tu quoque serius ocyus sentias, valde metuo.

MEG. Ha, ha, ha! Ne cures, *Hemeri!* Tu quidem, quod nunc persanatus ipse confiteris, per aliquot annos, ad *insaniam* usque delirasti; eâque de causâ, nempe *ut sanior fieres*, *Wyttenbachii lacertos sentire te oportuit!* quod tibi, ut probe nosti, disertis verbis

bis a tuo dictum est *Mahnio* (*). Mihi autem, ita me omnes Dii Deaeque ament! sanum est sinciput.

E. Pace tamen tuâ subdubito, an *prorsus* sanum.

MEG. Quid ais?

E. Me dubitare — — —

MEG. Cur tandem? Dic, sodes.

E. Quoniam meo *Archigeni* amplissimoque Sodalium collegio contradicere non vereris.

MEG. Quicunque igitur *Wyttenbachio*, istiusve Actuario seu Scribae, *Mahnio*, ejusque Gregalibus obloquatur, eumne tu serio putas mentis non esse compotem?

E. Vero: saltem nisi parcissime id atque inprimis modestissime faciat, horumque adeo Duumvirorum auctoritatem, certe *Archigenis*, eamquam cujusdam Dei, revereatur.

MEG.

(*) Ibid. p. 131.

Digitized by Google

MEG. Ha, ha! Sane hoc perquam pulchre dicis! Neque ullus dubito, quin germanum sit *Wyttenbachii* placitum. Quod si tenuisset *Tittmannus*, Vir clarissimus, prae metu scilicet ne mente haberetur ipse captus, *Wyttenbachium*, credo, aperte criminari non fuisset ausus. At vero novi hujus ignarus placiti, eum haud ita pridem, in quâdam ad *Heynium* Epistolâ (*), ut *foedissimum calumniatorem*, *mendacissimumque obtrectatorem*, omnium bonorum justissimae expositi vituperationi.

E. Proh *Jupiter!* hominis protervitatem! Quid? Meusne nuper vapulavit *Archigenes*? Heu, heu! *edepol*, *mortales malos* (†)! Miseret me sane Viri optimi. —

MEG. Atqui crura quidem *Tittmanni* ipsi non suffregit. Literam tantum, *quam omnes odimus* (§), ei vehementer ad caput adfixit.

CL.

(*) Praefixit eam *Tittmannus* Epistolis, a se ipso editis, *Ruhnkenii*, *Valckenarii*, et aliorum, ad *Joh. Aug. Ernestium*. Lipsiae. 1812.

(†) *Plaut.* Poenul. III. 2. 26.

(§) Inurebatur, apud Romanos, frons calumniatorum aliquâ infamiae notâ, exempli causâ, litera C vel K, quâ ca-

Cl. Cur autem dicis, *Megille*, novum isud *Wyttenbachii* placitum a *Tittmanno* forsasse ignoratum fuisse? Putem potius, hunc Virum minime fuisse sollicitum, *sanusne* an *aeger* abs isthoc homine diceretur.

Meg. Forte nil impedit, quominus haec tua suspicio vera sit.

E. Quid vero isti fuit *Tittmanno* causae, cur meo *Archigeni*, immaculato honestissimoque Viro, nescio quid sceleris flagitiique exprobraret? Quam enim memoras, ad *Heynium* Epistolam nondum vidi, sed propediem arcessam.

Meg. — — — ἡ μάλα λυγρῆς
Πεύσεαι ἀγγελίης. — — —
Κεῖται Ἀρχιγένης (*). *Wyttenbachius* nimirum, in vitâ, quam olim edidit, *Davidis Ruhnkenii*, Viri clarissimi, memoriam fuerat calumniatus *Joannis Augusti Ernestii*, ejusdemque Viri *magni*, quem

calumniator, sive, ut scribebant Veteres, *kalumniator* indicabatur. Conf. interpretes ad *Ciceronis* Orationes, T. I. P. 1. p. 152. Ed. *Graev.*

(*) Iliad. XVIII. 18.

Digitized by Google

quem vivum fuerat adulatus, mortui nomen ſtringere, quin exſcindere ſtuduerat. Ita ſaltem *Tittmanno* viſum est. Quare hic, tantum aegre ferens inhumanitatis portentum, violatos *Ernestii* manes vindicavit, tuoque *Wyttenbachiolo*, qui ſibi omnia licere, ſeque ſolum doctum, ſolum beatum putat, ſtigma tandem inuſſit, quod dudum promeruiſſe obtrectator cenſetur, et quod, ut ait Poëta *Martialis* (*),

— — — „ nec vafra delebit *Cinnamus* arte."

Cl. *Tandem*? ſtigma inuſſit! Quid *tandem*? Quaſi nunquam ante abs aliis *Wyttenbachius* vapulaſſet!

Meg. Quantum quidem ſciam, a *Tittmanno* aliisve exteris, nunquam: a Nostratibus autem plus ſemel, et recentisſime quidem: at non niſi ſermone patrio.

Cl. Igitur oblitus eſſe, *Megille*, videris, quam fuerit *Wyttenbachius* multatus ante hos jam fere quadraginta et tres annos, cum adhuc adoleſcens et recens creatus Profeſſor, ſe jam

alie-

(*) Epigr. VI. 64.

aliquid criticae facultatis adſecutum eſſe ratus, *Plutarchi* libellum, de *ferâ Numinis vindictâ*, in lucem emiſiſſet, ſuis ſcilicet ornatum animadverſionibus.

MEG. Aha! jam probe memini. *Epiſtolam*, puto, intelligis *Criticam*, quam anonymus quidam *Philellen*, ad alium, quem *Philoglottum* vocat, de istâ *Plutarchei* libelli editione *Wyttenbachianâ* Latine perſcripſit. Proh *Jupiter!* quot homini ab illo *Philellene* ſpecimina exprobrantur vanitatis atque ignorantiae! *Nulla*, inquit (*), *eſt pagina, nulla fere linea, quae non exhibeat inſcitiae, incuriae, ignaviae indicia, omnium in oculos incurrentia.*

CL. Recte meministi, *Megille!* Miſere vapulat ab illo *Wyttenbachiolus* noster, ut *interpres*, ut *criticus*, ut *philoſophus* (†)

MEG. Probe ſcio. Idemque *barbarismos* ipſi exprobrat, et neſcio quos *Gallicismos*.

CL.

(*) Epist. Crit. p. 6.
(†) Ibid. p. 25.

Digitized by Google

Cl. Quin, *Anticyram*, inquit (*), *mittatur, ut ibi barbariei monstra sternutationibus evomat.*

Meg. Et ignarum esse probat *Wyttenbachium poësios rerumque metricarum* (†).

Cl. Et *furti* illum, sive *plagii*, reum agit (§).

Meg. Et nasuti hominis ridet *arrogantiam*, atque *insanum ardorem* Veterum loca *citandi*, eaque, quamvis maxime sana, *corrigendi*, id est conspurcandi corrumpendique (*). Di boni! quot — — —

E. Ohe! *Megille*, apage istiusmodi sermones. Abeat iste *Philellen* ἐς κόρακας!

Meg. Imo vero jam dudum, credo, abiit — ἐς μακάρων εὐωχίαν.

E. Iste

(*) Ibid. p. 5
(†) Ibid. p. 24. 25. 54. 59.
(§) Ibid. p. 66 77.
(*) Ibid. p. 32. 36. 44. 66.

Digitized by Google

E. Iste vero *Tittmannus* esne adhuc in vivis?

MEG. Vivit, spero, valetque.

E. Iste autem voluitne serio probare, meum *Archigenem Ernestio*, quem, uti perhibet, vellicaverat mortuum, eidem vivo fuisse blanditum?

MEG. Rem paucis dicam. Epistolam videlicet *Tittmannus* protulit, caeterisque, quas edidit, adjunxit epistolis, verborum lenocinio blanditiisque refertam (*), quam noster *Daniel Wyttenbachius* anno 1776 ipse ad *Ernestium* perscripserat. — — —

E. Phui! hoc ego ut credam adducar nunquam. Olim, fateor (nec tamen sine lacrymis ac singultu, ut videris) olim, cum febri laborarem *Kantiana*, istiusmodi quid in bonum optimumque *Archigenem* cadere posse, quin aliquando cecidisse, in animum ipse induxi. Atque eo quidem, proh pudor! prolapsus sum te-

(*) Vid. *Tittmanni* libellus p. 83. Epist. XXXI.

temeritatis ac dementiae, ut ad illum hoc modo scribere non dubitaverim (*): „ Pudet fere, *Wyttenbachi!* e tuo libello exempla proferre, quibus constet, qualem te erga *Bosschium* geras, quem *amicum tuum* dicere non erubescis: at te id ipsum nullo modo piget facere. Ficte nimirum simulateqne cum illo agis. Eum quippe modo laudas, ubicunque scilicet nomen Viri a te diserte expromitur; quin et ipsi velut blandiris, ubi illud *e re esse tua* videtur: modo rursus eum proterve rides, vituperas, lacesis, *Graeci*, quod citas, *proverbii* immemor: τὸν ἀυτὸν ἀινεῖν καὶ ψέγειν, ἀνδρὸς πακοῦ; ut igitur, tuo ipsius judicio, *in malis pessimisque viris censendus sis.*" caet. Sic, inquam, stultus ego olim, proh dolor! scripsitavi. Nunc vero persanatus *ejusdem hominis laudationem et vituperationem*, omnemque adeo cum *adulationem*, tum *obtrectationem*, ab *Archigenis* mei indole atque natura tam esse alienam tamque disjunctam ajo, quam quod maxime. Quapropter duplicem istam criminationem summae esse reor in *Titmanno* documentum insaniae: neque ullus dubito, quin aut ip-

(*) Triad. Epist. p. 159.

ipse *Archigenes*, aut, qui ipsi est ab actis, ejusdem futurus successor *Mahnius*, in isthoc homine Professorio exemplum sit editurus, eique tanquam aegrotanti ac plane deliro καθάρσιον propediem paraturus amarissimum, quo ad sanam mentem redeat.

Meg. Non credo, *Hemerti*. Etiamsi enim istiusmodi καθάρσιον, quâ est humanitate, parare tuus vellet *Archigenes*, eidem tamen, nisi me omnia fallant, dissuaderet facunda hujus vitae Socia, Parentem suum ne faceret obtundens, eique illud assidue occentans *Martialis* (*):

— *Miserere tui, rabido nec perditus ore*
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.
(Quin potius) *vacuâ dentes in pelle fatiges,*
Et tacitus quaeras quam possis rodere carnem.

Cl. Etsi vero, ut ad rem redeamus, tuam, *Hemerti*, in defendendo *Archigene*, non prorsus improbo pietatem, vereor tamen, ne in hac re aliquanto sis nimius, nimiumque conando nihil efficias. Fando enim quis audivit unquam,

(*) l. l. Epigr. VI. 64.

Digitized by Google

quam, *Wyttenbachio*, istive, qui huic ab actis est, homunculo, quicunque obloquantur, insanire censendos esse?

E. Illud neque ego plus nimio esse inficior. Hoc autem mihi tantum volo, non nisi parce modesteque his esse Duumviris contradicendum, et focus qui faciant, insanos videri.

CL. Quid igitur impedit, *Hemerti*, quominus, veluti in aliis, ita quoque hac ipsâ in re, *Wyttenbachii* persequamur vestigia? Hic enim, uti palam profitetur (*), *parce te leniterque reprehendit, et vere benevoleque admonuit.* Quod quin sincere dixerit, quis dubitet? Non enim is est tuus ille *Archigenes*, qui, quod dixit *Persius* (†),

astutam vapido servet sub pectore vulpem:

nec magis dubitandum, quin, quae hîc scripsit, eorum sensum verborum satis ipse intellexerit. Quid enim? Qui, veluti gloriatur (§), *jam a patre suo edoctus τὸ ἐν ζῷον*, quas dudum profes-

(*) Philomath. L. I. p. 153.
(†) Sat. V. versu 117.
(§) Biblioth. Crit. Vol. III. P. IV. p. 5.

Digitized by Google

fessus est, *humaniorum literarum a puero fuit amantissimus, quemque Musae lenem reddiderunt mansuetumque*, is igitur ignoret, quid illa sibi velit *animi*, quam laudat, *lenitas*, quid *benevolentia*, quid reliquae, quas tantopere praedicat, humanitatis virtutes! imo vero omnem illarum vim suo nobis ipse exemplo Vir humanissimus explicuisse censendus est; quo magis constaret, quanto glorietur jure(*), se duas virtutes praecipuas, *alteram recte sentiendi, bene faciendi alteram, in omni vitâ, omnibus in actionibus, studiis, scriptionibus*, atque in eo potissimum, quod contra te scripsit, primo *Philomathiae* volumine, *secutum esse!!!* Quapropter, *Hemerti*, tanti tamque humani Viri nos quidem imitemur exemplum, eique, sicubi opus esse videatur, et res illud aut ratio postulet, ad *eundem*, quem nos ipse docuit, *lenitatis ac benivolentiae modum* libere contradicamus, sua Homini beneficia grati rependentes, nec, sani ab ipso, dicamur an aegri, multum curantes.

MEG. Recte sane ac tempestive mones, *Clinia.*

(*) Philomath. L. I. p. 1. Conf. p. 126. 127.

nia! Sua enim quisque exempla debet aequo animo pati (*). Ad eundem quippe hunc *lenitatis benivolentiaeque* modum, *Wyttenbachio* oblocuti sunt multi, ab insaniâ quam longissime remoti, cum *cives*, tum *exteri*; et ad eundem quoque modum, huic ipse Viro contradixi, tua verba *quatuordecim dies*, tamquam barbara, vellicanti; atque ita in posterum, quotiescunque opus erit, dicere pergam.

E. Esto autem, *Megille*, quae adhibueram, verba *quatuordecim dies* non tam esse barbara, quam pro acerrimo, quo valet, purioris Latinitatis sensu judicavit *Archigenes!* reliqua tamen, quae ab ipso reprehenduntur, ejusmodi sunt vitia, ut ne ullâ quidem ratione excusari, nedum defendi, posse videantur.

Meg. Severissime profecto de te ipse judicas, ô bone! Ad ea tamen vitia nequaquam, ut puto, illud refers *praeterlapsi erant:* quod, cum tu adhibuisses pro *praeterierant*, a *Wyttenbachio*, ac si *minus Latinum* esset, notatum est; quamquam et, *eodem plane sensu*, na-

(*) *Phaedr.* I. 25.

Digitized by Google

nasutus iste censor hoc ipse verbo antea fuerat usus, et praeterea *Sluiterum*, virum Cl., verbo usum *elabi*, reprehenderat jusseratque substituere *praeterlabi*, utpote quod, uti *tuno* quidem garriebat, *probum* sit, idemque cum verbo *praeterire*.

Cl. *ô Admirabilem disciplinam! ô Felices tanto doctore discipulos!* Haec enim *Wyttenbachii* verba ipsi hîc referre licet (*). Ha, ha, ha! Quod hicce Latinitatis magister ipse *prius* posuit, et dictatoriâ auctoritate alios ponere jussit, ipsum hoc in te, *Hemerti*, ut vitium, *postea* reprehendit!! Mirum sane, nî, istiusmodi legens censuras, studiosa Cohors exclamet: „ *ô quam ridiculum habemus Professorem*," sive, ut ipsius denuo utar *Wyttenbachii*, vel Sodalium verbis (†): „ *ô idoneum adolescentiae ducem elegantiaeque magistrum!!!*"

Meg. Dignissimus certe est istiusmodi magister, qui ab omnibus risu cachinnisque excl-

(*) Epist. Sod. p. 8.
(†) Ibid. p. 9.

Digitized by Google

cipiatur! Tam verum est, quod vulgo dicitur: *mendacem, aeque ac mendacem, memorem esse oportere!*

E. Atqui neuter Vestrum meminisse videtur eorum, quae mihi, verba *praeterlapsi* erant defendere male conanti, *Archigenes*, hem! *Mahnius*, *Mahnius* inquam, ejus vicarius, reposuit, in *Epistolis Sodalium*.

CL. Equidem probe memini, hunc miserum veteratorem se in omnes partes torquere, et permulta garrire inania prorsus atque inepta.

MEG. Ego item satis memini; hominisque demiror singularem impudentiam, ne communis quidem verecundiae finibus contineri se patientis. — — —

E. Ah! ne meum, quaeso, *Mahnielum* objurgetis, sicubi forte *Archigenem* vobis videatur minus recte vereque defendere! Officia enim, quae *Archigeni* praestare *Mahnius debet*, nostis esse difficillima, ac propterea ab aliis, *Mahnio* minus officiosis, eidem *Archigeni* petenti, instanti, flagitanti, prorsus negata. — — At fortasse hoc inprimis vos offendit, quod me

me *furem* vocat *Mahnius*, si quidem verbum *praeterlabi*, ab ipso olim *Archigene* usurpatum, eodem, quo ille, sensu adhibueram. *Qui sam multa*, inquit (*), *ex Philomathis scriptis compilavit, hac* praeterlabi *etiam inde susce-pit. — Itaque ipse imprudens se furti arguit!* Hoc vero, ô Optimi! non est quod vos offendat: est enim, si nesciatis, *ironia* quaedam, *Archigeni* Sodaliumque Collegio propria, eaque e lepidissimarum genere, quibus mirum quantum delectantur lectores, quotquot ipsi ingenio valent ac lepore et venustate affluunt. Cujusmodi leporibus ac festivitatibus refertae sunt Sodalium epistolae. Sic, exempla si vultis, *Archigenes*, hem! *Antisthenes* inquam, me vocat *Paulum furem* (†), nec non *Paulum Virgilium*, itemque *Paulum Jovem Tragoedum*. *Salve*, inquit (§), *Paule Virgili! salve, Paule Jupiter Tragoede!* Quam festivitatem imitatus admirabilis *Mahnius*, *salve*, inquit (*) *vir alienae a tali conditione indolis!!!* et, quem

(*) Ep. Sod. p. 131. 132.
(†) Ibid. p. 66.
(§) Ibid. p. 55 et 66.
(*) Ibid. p. 254.

Digitized by Google

dixi, *Antisthenes*, ex *Paulo Hemertulo*, quo me compellat perblando nomine, ingenioſe facit (*) Παῦλον τὸν ἁμαρτωλὸν, id est (ſi paulisper voce liceat uti barbarâ) *Paulum Peccatorem*: quo fere modo olim *Hieronymus* in nomine *Joviniani* luſit, dicens (†): „ cave *Joviniani* nomen, quod de idolo (*Jove*) derivatum est." Nec minus ingenioſe festivus ille *Mahnius* me *Paulum* dicit (§) *de meâ Paululitate non cogitare*. Quae omnia per ludum quaſi jocumque a Sodalibus ita dicuntur, quo majorem addant orationi gratiam: quâ cum reliquos Sodalitii fratres antecellat *Archigenes*, ingenioſiſſimi dux gregis, mirum profecto non est, admirabilem huncce ducem, *quocunque de argumento ſcribat, niſi argumenti cauſâ, tamen orationis gratiâ libenter legi* (*), uti a *Mahnio* recte dictum est.

Meg. Aures, me judice habeat aſini, cui hujusmodi *ſcurrilitates*, quas tu *lepores* dicis, arrideant! Multo autem magis me offendit rara ho-

(*) Ibid. p. 78.
(†) Libro I. adverſus *Jovin.* in fine.
(§) Epist. Sod. p. 200.
(*) Ibid. p. 208.

Digitized by Google

hominis impudentia, id quod apertum est, et legenti cuivis in oculos incurrit, praefracte negantis. Quid enim? *Sluiterus* scripserat *elapsos*, improbante *Wyttenbachio*, eumque scribere jubente *praeterlapsos*. En ipsa hujus verba: *elapsos, frequens hodiernis, nec probum. Latinum est, praeterlapsos esse, preteriisse.* Tu autem, *Hemerti*, scripseras *praeterlapsi erant*. Sic enim Grammatista *Wyttenbachius* et praeiverat ipse, cum scriberet, *vix duo menses erant praeterlapsi* (*), et sic scribendum esse, in censurâ *Sluiteri*, sanciverat. Verum ecce! id ipsum, quod ante, ut *probum*, commendârat *Sluitero*, nunc denuo in te *improbat* vir mutabilis! „*Praeterlapsi*, inquit (†), *nil frequentius hodie: nec tamen Latinum. — Rectius hoc ipsum ponitur praeterire.*" Quae qui non videat quam inter se pugnent, prorsus caliget necesse est. Et tamen frontem adeo perfricuit iste *Mahnius*, ut pugnare haec, audacter neget. *Operam*, inquit (§), *ludit Paulus, — nec repugnat dictum in Catharsio.* caet. Quam impu-

(†) Biblioth. Crit. Vol. II. P. I. p. 115.
(†) Ibid. Vol. III. P. III. p. 97.
(§) Epist. Sod. p. 129.

Digitized by Google

pudentiam quo melius tegat, locum *Bibliothecae criticae* vitiose citat, ne scilicet lector, si tanti sit quaerere, eum continuo inveniat, neque adeo suis ipse videat oculis, in eo, quo *Sluiterus* reprehenditur, loco, verbum *praeterlabi*, ut *bene Latinum*, eodem plane sensu, a *Wyttenbachio* probari, quo, in tua scriptione, ab ipso improbatur. Dein, Lectori fucum facere pergens, *praeterlabi* ait a suo *Wyttenbachio non absolute improbari, sed relinqui eo sensu*, quo notet *sine fructu nostro, non animadversum, praeterire:* quasi vero de hac significatione quaestio esset, et hanc, quam postea protulit, verbi significationem *Wyttenbachius*, jam in *Sluiteri* censura, ante oculos habuisset: quod quam sit falsum, ex contextu sermonis, cum *Sluiterianî*, in *Lectionibus Andocideis*, tum *Wyttenbachiani*, in earundem censura, manifesto apparet.

Cl. Poli non dubito, quin hanc sui defensionem *Mahnianam* (si vere *Mahnio* tribuenda sit) primum legens *Wyttenbachius* de *Mahnio* exclamaverit, quod servus iste apud *Plautum* (*): me

(*) In *Poenulo*. V. II. 150.

Digitized by Google

me quoque dolis jam superat Architectonem?

B. Quae vos offendunt, *Mahnii* verba *excusationem* potius quam *defensionem* continere putem eorum, quae de verbo *praeterlabi* notârat *Archigenes*. Qua quidem in re si forte *Mahnius* ultra illud processerit, quod verum sit justumque, plenus id perfectae amantissimi discipuli erga suum magistrum, amicitiaeque dandum esse reor, quae hos inter Daumviros tanta est, quanta, quod sciam, post *Pyladem* atque *Orestem*, nulla unquam extitit! Verum mittamus hunc locum, animumque paulisper ad alterum illum vertamus, in quo meus *Archigenes* olim ipse scripserat: *vix duo menses erant praeterlapsi*. Eia! videte, quam ingenue, quam candide, quam generose *Mahnius*, omnino se constrictum sentiens, magistrumque quo defendat nihil prorsus inveniens, illius tandem errorem confitetur. *Omnino*, inquit, *sic animo posui, ut nunc improbat!*

C L. Valet hîc igitur in *Wyttenbachium* ejusve colludorem *Mahnium*, quod horum posterior, contra *Censorum* scripsit *Censorem* (*): *nunc*

(*) Epist. Sod. p. 352.

nunc meliora edoctus iste ὀψιμαθὴς se errasse profitetur. Quod quidem per se laudabile, candidum, et ingenuum est, at Censori (Wyttenbachio), Latinitatis praecepta tam confidenter et superbe praecipienti, parum honoris et fidei affert. caet.

MEG. Mihi quidem, quod per se ridiculum est, magno illud cumulo auxisse *Mahnius* videtur. Etenim per se esse ridiculum arbitror, quam ipse olim usurpaverat *Wyttenbachius*, phrasin, quamque *Sluitero* ut *probam* praescripserat, eandem postea ab illo, non dico *repudiari*, verum ut *barbaram* explodi, eosque, qui illâ utantur, veluti *semilatinos* atque *indoctos* exagitari, rideri, exsibilari. Quod eo magis est ridiculum, quo confidentius arrogantiusque de omnibus, quae ad Latinitatem pertinent, *Wyttenbachius* solet praecipere: non aliter, ac *si*, ut *Mahnii* verbis utar (*), *in ipso esset Latio natus, et sermonem Latinum cum lacte materno suxisset.* Hoc autem, quod per se valde est ridiculum, cumulo, ut dixi, adauxit *Mahnius*, quam plurima, pro more suo, garrien-

(*) Ibid. p. 386.

riens inepta atque a re, quam agit, prorsus aliena. Sic, puta, primum, erroris exhibet *Wyttenbachiani* confessionem, sive confessionis potius formulam: non eam tamen, quam quis forte putet a *Wyttenbachio* alicubi esse proditam; sed qualem, ut ait *Mahnius*, iste homo, *quo* scilicet *est candore! si meminisset*, lubens ipse scripsisset!!! Dein, te, *Hemerti*, acriter objurgat, et *puerilis* accusat *stultitiae*, qui *Wyttenbachium* ausus sis suo ipsius gladio jugulare: perinde ac si stultum sit, natuto acerbissimoque reprehensori vulgare illud objicere: *medice, cura te ipsum;* et, quod *Mahnius* dixit (*), *literatae juventuti fallacem ostendere auctoritatem hominis, vanâ eruditionis suae opinione inflati* (†). Tum denuo, ut ita dicam, scurram agit, te *furem* faciens, propterea quod verbum *praeterlabi*, eodem, quo a *Wyttenbachio* antea erat usurpatum, sensu adhibuis-

(*) Ibid. p. 352.

(†) *Mahnius*, elegantis scilicet Vir ingenii! scribit *nimis inflati.* Pace vero tanti Viri, cui nunc totum Gymnasium *Zierixeanum*, uti antea *Amisfurtense*, venerabundum adsurgit, meo periculo delevi istud *nimis*, putans, *modice* inflatum esse aliquâ cum laude neminem posse.

buisti! Tandem magnorum affert quorundam virorum exempla, quibus voces exciderint, quas in aliis notaverant.

E. An tu igitur, *Megille*, et postremum hocce ridiculum cenſes?

Meg. Per quam, ſane, *hac in cauſâ*, ridiculum! Illi enim, quos appellat, *Muretus*, *Ernestius*, *Ruhnkenius*, ſi qua ſeniores repudiarint verba, quae juniores aliquando adhibuerant, errorem *ipſi* ſuum confeſſi ſunt, nullâ uſi circuitione. Hoc vero nequaquam fecit *Wyttenbachius*, etſi, teste *Mahnio*, erroris *ſi meminiſſet* vir bonus, *quo* ſcilicet *est candore!* lubens fecisſet. Deinde, esto, praeclaros, quos dixi, Viros quaedam forte juniores uſurpaſſe vocabula, quae provecti aetate, veluti minus proba, damnârent: at ea certe juniores aliis non imperioſe praeſcripſerant. *Wyttenbachius* vero nunc barbarum eſſe clamat, quod idem olim et ipſe adhibuerat, et dictatoriâ auctoritate *optimae eſſe Latinitatis* ſanciverat. Porro, ſi quando iidem illi Viri, propter uſum vocis minus Latinae, alios reprehenderint, modice id modesteque fecerunt, ad exemplum humaniſi-

simi *Ruhnkenii*, ab ipso *Mahnio* allatum (*)? et vivos certe aggressi nunquam sunt, ne mortuorum quidem depeculati famam. Age vero! videamus, *Wyttenbachius* quomodo rem suam adversus te agat. Primum, quos in te scripsit, singulis fere libellorum paginis, *quae non sunt*, tibi multa affingit Latiniratis vitia. Dein, *albis*, ut ait *Plautus* (†), te *deridet dentibus*, atque ab *exteris exsibilari* scriptitat (§), propter usum phrasium, quas, etsi ante ab ipso frequenter usurpatas, jam, ut te deprimat affligatque, *barbarismorum* titulo insignit. Tum, rictu prae iracundiâ spumante tot in te, ceu baronem ac stipitem, evomit convicia, ut, qui dimidiam eorum colligere partem velit, justi is habeat voluminis materiam. Quae cum ita sint, satis apparet, quam sit ridiculus iste *Wyttenbachii* hypodidascalus, qui, humanissimorum exempla Virorum afferendo, inhumanitatis istud singulare prodigium, *Wyttenbachium* dico, strenue defendere, pessimamque ejusdem causam tueri summo opere conatur.

C. L.

(*) Ibid. p. 130.
(†) Epidic. III. 3. 48.
(§) Epist. Sod. p. 41.

Digitized by Google

CL. Est omnino, ut dicis, *Megille!* Nec sine ratione, imprimis *Ruhnkenium*, τὸν μακαρίτην, hîc in scenam protrudi arbitror: non tantum, ut hujus ostendatur exemplo, maximis etiam viris, quae minus esse Latina videantur, excidere vocabula posse; verum praecipue, ut muniatur via ad illam, quae postea occurrit, reprehensionem Orationis *Ruhnkenianae* de *Doctore umbratico*. Ea enim, quae tu *Hemerti*, ex hac egregiâ Oratione, tesserae loco, tuae ad *Wyttenbachium* Epistolae singulari praeposueras, verba huic homini vanissimo misere torserunt viscera, et adhucdum noctes diesque torquent atque excruciant. Quâ de causa, jam olim, velut avis in caveâ, *modo huc*, *modo illuc circumsiliens*, in primo *Philomathiae* libro, nihil non arripuit, quo vitiorum, hominibus umbraticis a *Ruhnkenio* tributorum, suspicionem a se amoliretur, illamque Orationem ad se suosque mores ne quidem spectare posse probaret. Cum vero haec hominis, in angustias redacti, desperatissima esse perfugia, in *Epistolarum Triade* (*) postea singulatim ostenderis, ecce! nunc iterum, instar canis, in lapidem, quo petitur, ruen-

(*) p. 143—149.

Digitized by Google

tuentis, hanc ipſam *ſui*, ut olim jactabat, *amici* et *familiaris* aggreditur Orationem, eamque malignis mordet dentibus. Per *Mahnium* nempe, caeterosque, quos fingit, Sodales, Lectoribus perſuadere conatur, atque identidem inculcat (*), ipſam hanc, quam a *germanâ Latinitatis ratione*, *aptâ descriptione*, *perſpicuitate*, *ſuavitate*, aliisque virtutibus antea commendârat (†), Orationem ſordide eſſe negligenterque conſcriptam, et cum *in contextu*, tum *in ipſo* jam *titulo*, quaedam *eſſe relicta* minus Latina: exempli cauſâ, nomen *umbratici doctoris*, quod, a *Ruhnkenio* in vitio uſurpatum, potius ſit honorificum!

Mnc. Ita ſane mos est *Danielis Wyttenbachii*, ut, quem hodie laudat, eumdem cras vituperet, pro ut ipſi videtur opportunum: quod de Diis *Plautus* dixit (§), *homines quaſi pilas habens:* nec vulgares tantum et proletarios, ſed viros quoque egregios et vere magnos, velut *Ernestium*, *Ruhnkenium*, horumque ſimiles: nil

(*) Epist. Sod. p. 18. 19. 40. 41. 238.
(†) Vita *Ruhnkenii*, p. 90.
(§) Captiv. Proleg. verſu 22.

Digitized by Google

nil penſi habens quid garriat, modo ſuae ſe ſervire gloriae utilitatique putet. Etenim, ne de aliis dicam praeclaris viris, quos modo laudavit, modo vituperavit, ejusdem de *Ruhnkenio* duplex conſideremus judicium. Hujus quippe inprimis Viri affectaverat olim amicitiam: hujus frequentiſſimâ commemoratione, in omnibus fere ſcriptis, laudem ſibi famaeque incrementum quaeritare fuerat ſolitus: ſummis hunc olim in coelum laudibus extulerat, ut virum *ſingulari candore atque integritate animi qui hominum injurias ac maledicta ſperhere magis quam ulcisci ſoleret, virosque doctos*, ſi quorum deprehenderet errores, *leniter humaniterque moneret* (*). Nunc vero eumdem hunc *Ruhnkenium Wyttenbachius* nobis proponit, ut hominem lividum ac mordacem: quem, in illâ de *Doctore umbratico* Oratione, *ſignificaſſe* (†) ait *quemdam Scholae Rectorem, Auguſtinum Staverenum, quocum ipſi propter aemulationem edendi Nepotis, aliquid intercesſiſſe ſimultatis.* Idem jam obſcurius

(*) Vita Ruhnk. p. 247. 249.

(†) Epist. Sod. p. 18.

Digitized by Google

rius in *Philomathiâ* indicaverat, ſcribens (*) *Ruhnkenium*, in illâ Oratione, *non Profeſſores Academiarum, ſed minores doctores et Scholarum rectores ſignificaſſe, et magis temporis, quam veritati obſecutum eſſe.* Quod cum ſcriberet homo varius ac multiplex, oblitus erat ſe antea plane contrarium ſcripſiſſe. In enim legimus in *Vitâ Ruhnkenii* (†): „Erant, qui *doctoris umbratici* imaginem ex ipſorum exemplo ductam, ſe depingi, ſignificari, et quaſi digito demonſtrari putarent: *erant nonnulli Scholarum Rectores*, qui hoc et ipſi putarent, et aliis hominibus ſcholasticis perſuaderent, — Atqui *Ruhnkenius doctorem umbraticum* intelligebat *univerſe eum*, qui illis, de quibus diximus, ineptiis laboraret; *nec Scholae potius Magistrum, quam Academiae Profeſſorem ſpectaverat, Scholasticum ordinem magni faciebat.*" caet. Dein, Latinae orationis facultatem ſi ſpectemus, verisſimum olim *Wyttenbachius* hoc tulit de *Ruhnkenio* judicium (§): „ Omnem ſcribendi diligentiam in unâ

(*) Philom. L. I. p. 11.
(†) p. 91.
(§) Ibid. p. 138.

Digitized by Google

tuâ ponebat Latinâ oratione: et, cum illâ consuetudine, tum suâ naturâ, id consecutus est, ut immunis ab hujus saeculi labe, aureâ Latinarum aetate Latinarum, in Latio natus institutusque videatur;" ipsamque adeo ejusdem *de doctore umbratico* Orationem a puritate atque elegantiâ vehementer olim commendavit (*). At vero nunc parum profecto abest, quin idem ille *Ruhnkenius* ex ipso, in quo natus quâsi institutusque est, *Latio* ejiciatur!!! Adeo scilicet *Wyttenbachium* aculei compungunt verborum *Ruhnkenianorum*, quae tu, *Hemerti*, tuo quondam ad istum hominem singulari epistolio recte prepositi!

E. Ego vero candorem potius ingenuitatemque admiror *Archigenis* ejusque vicariorum, veritati magis quam amicitiae benevolentiaeque litantium, et quantus fuisse *Ruhnkenius* censetur, ne tanto quidem Viro, si res ita ferat, parcentium! Et sane quis neget, *Ruhnkenium*, in illâ Oratione, graviter fuisse alucinatum? Primum enim, animum prodidit malevolentiae atque invidiae plenum, *Aug. Staverenum* su-

per-

(*) Ibid. p. 90.

Digitized by Google

perbe petulanterque lacesſens: quod, antea ignoratum, nunc testimonio novimus Sodalium, hac quaſi notatione cenſoriâ manes *Stavereni*, quem laeſerat *Rhunkenius*, vindicantium!!! Dein, Latinitas quam ſit *balbutiens*, egregie meus docuit *Mahnius*, Literarum illud *Latinarum* omnisque elegantiae Miraculum! Praeter illa quippe, *quae*, uti hic notat (*), *in contextu relicta ſunt, minus Latina*, nomen certe *umbratici doctoris*, ipſo in titulo, *Ruhnkenius* minus Latine adhibuit!! Quod, ut ſolet, *lucide* probavit ſummus ille *Mahnius*, loca afferens veterum Scriptorum, in quibus *in umbra docere*, *honesto ſenſu*, *dicuntur doctores quarumvis artium ac disciplinarum*, *et omnino Profeſſores*; itemque alia afferens loca, in quibus *umbra* opponitur *Soli* (†)!!! Ne et hoc addam, in eâ *Ruhnkenii* Oratione, *haud pauca eſſe judicia*, *quae*, uti a Sodalibus docemur (§), ſimul cum *verbis minus Latinis*, *correxiſſet* Ruhnkenius, *ſi quam ejus Orationis alteram editionem feciſſet*.

MEG.

(*) Epist. Sod. p. 238.
(†) Ibid. p. 237.
(§) Ibid. p. 19.

Digitized by Google

MEG. Nullâ fane magis, quam in hac re, verum esse opinor, quod in proverbio dicitur: *sus Minervam.* Etenim ne lux quidem a tenebris tantum differt, quantum, cum Latini sermonis scientiâ, tum ingenii omnisque doctrinae elegantiâ, *Ruhnkenius* distat a *Mahnio.* Et tamen hic *sus* sive (quo nomine alios viros compellare non veretur (*)) *rudens* hic *asellus*, quem „ *Boeotum in crasso jurares aëre natum* (†), hic igitur *sus* magnum *Ruhnkenium* Latinas literas docere vult, ejusque *Orationem* sibi sumit castigandam!!! Quaedam scilicet *Ciceronis* loca e Lexico *Facciolati* (§) transscribit, quibus, quod vel pueris notum est, Philosophorum scholas probet *umbracula* appellari: dein alia adjicit de *umbrâ*, quae *Soli* opponatur; quâ de re nemo dubitavit unquam: tandem in Orationem invehitur *Ruhnkenii*, tamquam hoc Viro indignam, ipsique *Valckenaerio* (sive, uti male scribere solet nugator garrulus, *Valckenario*) improbatam; Orationisque maxime titulum reprehendit, ceu *minus Latinum.* Tantus ni-

(*) Ibid. p. 302. 385. 386. 134. 135. 331. 332.
(†) *Horat.* Epist. II. 1. 244.
(§) In vocibus *Umbraticola* et *Umbratilis.*

Digitized by Google

plurimum fulgor hominem tenet, ut non intelligat, quae e Lexicis compilavit, ea omnia aliter, quam agit, prorsus esse aliena; et nihil quidquam impedire, quominus, salvâ linguae puritate, *umbratici doctoris* nomen in vitio usurpari queat. Est quidem, fateor, *umbraticus* proprie is, qui *in umbrâ degit* (*); habetque adeo haec vox, suâ solius naturâ, nec *laudem*, nec *turpitudinem*. Verum, quod in aliis nominibus, idem hîc factum, ut nempe significatione impropriâ, eâque parum honorificâ, vox postea adhiberi coeperit. Quid enim? Nonne vel e Lexicis constat, *umbraticolam*, sive hominem *umbraticum*, poni pro *ignavo* ac *molli*, *qui solem pulveremque ferre non potest*; et vitam dici *umbratilem*, quae *otio marcescit*? Verum non ad *mollitiem* tantum atque *ignaviam* transfertur hoc nomen, sed ad alia etiam vitia, quae *umbratili* contrahuntur otio, a *Ruhnkenio*, in illâ Oratione, explosa. Non equidem ignoro, multos esse, isthoc inquinatos vitiorum genere, nec tamen, *Timonis* instar, ab hominum commercio abhorrentes. *Mahnius* ipse puta se nec segregavit unquam, nec segregat: con-

(*) Conf. *Facciolati* Lexicon, in voce *umbraticus*.

Digitized by Google

contra vero, in hominum vivit frequentiâ, et, ut ejusdem *Mahnii* voce utar (*), *vulgivagus* magis, quam *umbraticus*, dici meretur. Quoniam autem, quod *Ruhnkenius* recte monuit (†), in Literarum ſtudioſis reperiuntur multi, qui, ſive naturae moroſitate, ſive ſuperbiâ et aliorum contemtu, ſive aliâ quâcunque tandem cauſâ, in muſei umbrâ ita ſe literis abdant, ut reipublicae *lucem* fugiant, moresque inde duros difficilesque contrahant, hos Latini *umbraticos* eximie appellârunt: quaſi dicas, *contumaces*, *duros*, *moroſos*, *ſuperbos*, *invidioſos*, *aliorum contemtores*: haec enim omnia et ſimilia vitia, istum praeſertim *faſtum intolerabilem*, quem *Gallicâ* voce *pedantismum* dicimus, ex inſano ſolitudinis ſtudio animus ſenſim contrahit. Quo quidem vitio maxime laborare illos, qui literas profitentur, quibus ab *humanitate* nomen est, ingenue fatetur ſummus ille *Ruhnkenius*, ipſe tamen, ſi quis alius, ab hac labe prorſus immunis (§). Hac autem ſignificatione, *umbratici* doctoris nomen, cum in illâ, quam dixi, Ora-

(*) Epist. Sod. p. 238.
(†) Orat. de Doct. umbrat. Opuscul. p. 109.
(§) Ibid. p. 110.

Digitized by Google

Oratione, tum aliis in locis (*), *Ruhnkenius* adhibuit. Et quidni Viro praeclaro hoc nomen ita usurpare licuisset? Praeiverat nimirum ipsi *Petronius*, quem *acerrimum* vocat *umbratilis disciplinae exagitatorem* (†). — Caeterum, tota haec *Ruhnkenii* Oratio, sive formae spectes elegantiam, sive argumenti veritatem dignitatemque, ejusmodi est, ut, quidquid *Wyttenbachius*, *Mahnius*, ejusque gregales obganniant, illorum, qui de Literis revera bene sunt meriti, principibus, atque in iis magno inprimis *Valckenaerio*, non vehementer placere non potuerit.

E. Heus *Megille!* de illâ *Ruhnkinii* Oratione, ejusdemque dictionis Latinitate, equidem tecum nolo contendere. Et hac in re, velut in aliis, auctoritatem ego sequor meorum ducum, *Archigenis* et *Mahnii*. Tibi vero ac *Cliniae* liberum esto judicium. De meis autem his Duumviris utinam Vestrum uterque mitius et aequius judicaret! sunt enim ambo, *per-*

tris-

(*) Exempli causâ, in Oratione *de Graeciâ, artium ac doctrinarum inventrice.* Opuscul. p. 89.

(†) Ibid. Opscul. p. 129.

Digitized by Google

tristes quamvis *patrui*, *censores*, *magistri*, et optimorum tamen virorum genere, quibus pectus humanitate calet!! Et, si forte *nimio* ducti puritatis amore, Latinitatis vitia diligentius, elatisque, quod ajunt naribus rimentur, quin et, *quae non sunt*, vitia mihi aliisve impingant, aut levissimos errores acerbius exagitent, boni illud fide optimoque faciunt consilio: ne scilicet *novitii*, *ac minus provecti*, *exempli contagione afficiantur* (*)! *Patria* enim, quod velim attentius consideretis! *Patria*, *quâ bono viri nihil est carius*, *eos ipsa obtestatur*, *ne sibi ad caetera incommoda hoc etiam sinant accedere*, *ut adolescentum studia ac judicia ab mendelionibus*, *barbarismos*, *soloecismos*, *omnesque rerum verborumque errores spargentibus*, *corrumpantur* (†)!!! Me autem quoniam hi Duumviri impensius diligunt, *meos* praesertim errores (quod mihi singulari honori duco) cupidissime vetari dignantur, *nefas putantes eos silentio praetermittere*, *ne probare et incautis imitandos relinquere videantur* (§). Hoc olim so-

(*) Epist. Sod. p. 31. 39.
(†) Ibid. praef. p. 44.
(§) Epist. Sod. p. 32. 138.

Digitized by Google

ſolus fecit *Archigenes*, ſcilicet dum aetas ferret, *nullâ unquam ductus malevolentiâ, ſed ſolo officio, debito illo et mihi et ipſi veritati, ex praecepto*, et ad exemplum, *Socratis*, comiter me in viam reducens (*). *Nunc* vero laudatiſſimus ille *Archigenes*, jam ſenex, ſaltem vetulus, *totum istud purgatorium negotium mandavit Sodalibus*, eorumque omnium vigilantiſſimo *Mahnio*, quorum *manus cum in republicâ procurandâ verſetur*, mirum ſane non est, illos hoc ſibi ab *Archigene* mandatum negotium, *reipublicae cauſâ, lubentes recepiſſe* (†). Quid plura? Hoc unum nolo neſciatis, *Mahnium* caeterosque Sodales in numerum adſcitos eſſe νεωκόρων (*aedituorum*), quorum nuper renatum est antiquiſſimum collegium. Quod cum ita ſit, veneremur oportet Sodales ut *Literarum et cultores et vero aedituos*, *Archigenemque*, qui eos ſibi coöptavit, ut *Sacerdotem ſummum*; atque obliviscamur nunquam, horum esſe Virorum, *ſanctas Literarum aedes*, *ſi quando ventris aluvie*, id est dictionibus, quas illi ajunt minus esſe Latinas, *foedatae ſint*

ac

(*) Ibid. p. 32. 33.
(†) Ibid. p. 11. 12.

Digitized by Google

et pollutae, continuo everrere, *purgare atque expiare* (*).

CL. Quid vero, si hi aeditui illorumque summus Pontifex, sordibus ipsi suis sacras aedes inquinent.

E. Hoc, Mehercle, non impune facerent. Sed vide, *Clinia*, quam inane sit, quamque ridiculum, quod ponis. Primum enim, de *Archigene*, nulla quidem, me judice, esse potest dubitatio, quin hic ab *hodiernae consuetudinis contagione* omnino purus castusque sit. Rationem si quaeras, tempestive eam nobis aperuit, qui tot ac tanta declaravit, disertissimus *Mahnius*. *Archigenem* inquit (†), *summa virtus ac doctrina Dis miscet Superis, ut a terrae filiis* (nec magis, puto, a *filiabus*) *laedi nequeat*, sed *supra telorum jactum sit positus* (§). Cujus equidem argumenti vim duplicem esse statuo. Deos enim novimus, quotiescunque cum mortalibus loquantur, sermone uti

(*) Ibid. praefat. p. 43. 44.
(†) Ibid. p. 43 et 289.
(§) Epist. Sod. p. 34.

Digitized by Google

uti purisſimo: quo niſi uterentur, a terrae filiis reprehendi adeoque laedi facile poſſent. Caeteros autem aedituos quod attinet, etſi in *Deos* hi quidem, quod ſciam, nondum ſunt relati, tam caste tamen pureque loquuntur, ut alios homines, *Latine* ſcriptitantes, longe longeque ſuperent, atque *aliquam* ſaltem, in ſcribendo, cum *Archigene* ſimilitudinem aſſecuti eſſe videantur. Nec mirum profecto! *Qui* enim *vulgo Latine ſcribunt, duo fere Scriptorum genera negligunt, Grammaticos et Rhetores, quorum illi ad pure, hi ad bene ſcribendum valent* (*): ad quam negligentiam ſi fortaſſe (quae mea *olim*; quin *nuper*, fuit calamitas) febris accedat *Kantiana*, neſcio quid inde barbari, quid jejuni, atque hiulci nascatur. Sodales autem, et imprimis *Mahnius*, praeterquam quod istâ febri laborârunt nunquam, Grammaticos et Rhetores, *ad unum omnes*, non dico evolverunt, ſed diligenter multumque legerunt, ac *ſcribendi exercitium ſub idoneo Magiſtro* (divino *Archigene*) *facitârunt* (†); Quapropter, aut ego prorſus alucinor, aut fieri pla-

(*) Ibid. p. 111. 112.
(†) Ibid. p. 112.

Digitized by Google

plane nequit, ut hi tam exercitati Viri *Latine* unquam balbutiant, ullumve committant ejusdem linguae vitium. Contra, necesse est, *e lectionis et exercitationis assiduitate*, sensim eis sensimque veniat *divinum illud dicendi genus*, *aptum*, *suave*, *magnificum* (*), quod in *Archigene* tantopere admiramur, et cujus initia, nisi me omnia prorsus fallant, in meo *Mahniolo*, futuro *Archigenis* successore, mihi jam deprehendere videor.

Meg. Pulchre dicis! Divinum quippe illud dicendi genus in *Amisfurtensi Programmate* quam maxime est conspicuum!

E. Vah! Istud, ut dixi, ab infimae quodam classis tirone conflatum censeo.

Cl. Egregie tu quidem aedituorum agis causam. Verum oblitus esse videris, o bone, tuum *Wyttenbachium*, non dissentente *Mahniolo* (†), in usu verbi *praeterlabi*, graviter fuisse alucinatum, et, quem tibi maligne exprobra-

(*) Ibid. p. 115.
(†) Vid. supra. p. 79.

Digitized by Google

bravit sycophanta, eundem antea errorem et ipsum errasse, et aliis imitandum proposuisse.

E. Ego profecto non indignor, si
— *quandoque bonus dormitat Homerus*: (*)
— *namque opere in longo fas est obrepere somnum.*
Quam tu dicis, alucinationem *Archigeni* meo fateor *semel* accidisse, coenato fortasse et jam fere dormitanti. Cum vero, ut nosti, plurimi sint ab *Archigene* partim *inchoati*, partim *confecti* libri (†), equidem summopere miror, *Clinia*, non nisi *hunc unum* ipsi *errorem* excidisse. Pignus enim tecum, si lubeat, *vel viginti* pono *Philippeorum* (§), in omnibus, quotquot sint, *Archigenis* libris, neque a te, neque ab alio quoquam, quantumvis acri censore, vel ullum Latinitatis monstrari vitium posse, praeter *hoc unum*, quod, ut dixi, oscitanti et fere dormienti excidisse putem.

Cl. Nolo equidem, *Hemerti*, tecum pignore contendere, ne in damnum incurras, tu-

ae-

(*) *Horat.* A. P. 359. 360.
(†) Epist. Sod. p. 13.
(§) Ibid. p. 15.

Digitized by Google

aeque postea te poeniteat temeritatis. Constat enim inter omnes, qui *Wyttenbachiana* legerunt scripta, multa eis inesse et plurima *Latinitatis vitia:* quorum partem aliquam tute ipse olim notasti (*); quamquam illud, quod miror simul ac doleo, tua jam plane dilapsum esse memoria deprehendo.

E. Imo vero; *Clinia*, quod a me notatum esse dicis, id probe novi, atque in mea penitus insidet memoria. Meros enim *operarum errores* febricitans ego et delirus *Latinitatis* esse putavi vitia, eaque, proh pudor! immaculato divinoque tribuere *Archigeni* minime sum veritus. Nunc vero me *Mahnius* meliora docuit. —

Cl. *Latinitatis vitia* cum dico, nequaquam ego de mendis loquor, quae libris affundere solet typothetarum incuria. Talia qui ipsis imputat auctoribus, nae is humilis sit abjectique animi, dignusque adeo qui ab ingenuis viris vapulet. Talia tu quidem, quod valde laudo, *Wyttenbachio* nunquam imputasti, tibi quamvis iste hanc injuriam aperte antea fe-

(*) Triad Epist. p. 125—173

Digitized by Google

fecisset (*). Sed *vitia* intelligo *Grammatica*, eaque non ambigua: at manifesta, quaeque nullâ defendi ratione idoneâ possint. In hujusmodi vitiis, verbi causâ, ea pono *Wyttenbachiana*, quae tute olim ipse notasti (†): „ propositiones *tradita*, *demonstrata*, *oppugnata:*" item: „ *aliis modis*, *qui accommodandus est:*" tum etiam: „ ei suadeam *discere:*" pro, *ut discat*, sive, cum accusativo personae, suadeam *eum* discere: velut in illo *Terentii* loco, quem e suo *Schelleri* Lexico frustra descripsit *Mahniolus* (§). Huc, praeter alia, refero, quod tuus *Wyttenbachius* verbum, uti dicitur, *deponens* significatione adhibuit *passivâ*, scribere non veritus: „ *ab aliis conviciati*," pro, *conviciis petiti:* quemadmodum monitus postea correxit (*). Et quis omnes *Wyttenbachii* barbarismos enumeret? Nasuti enim hominis libri om-

(*) Ibid p. 109 haec leguntur: „ *eorum* pro *earum*, mendum esse typographicum arbitror: qualia in *Wyttenbachii* libro sunt *multa:* quae equidem Auctori nolo tribui, quamvis ea, quae meus commisit typotheta, mihi ille vitio det." Conf. ibid. p. 110 et 112.

(†) Triad. Epist. p. 125 seqq.

(§) Epist. Sod. p. 279.

(*) Philom. L. II. p. 272.

Digitized by Google

omnes vitiis scatent grammaticis. Ne ipsae quidem, quas publice habuit, Orationes tersae sunt Latinitatis. In Oratione, exempli causâ, de *Philosophiâ* (*), „ *vestrum*, inquit, ipsorum maxime interest," pro, *vestra* ipsorum: qualia sane vitia in homine oratore, qui Literas ipse Latinas profitetur, et te aliosque Latine scribentes contumeliosissime vellicat et lacessit, dici nequit quam sint turpia ac pudenda.

E. Ah! mi *Clinia*, desine tandem, obsecro, plura hujusmodi proferre, et de meo *Archigene* ita loqui, ac si Vir Latine tam doctus *per imperitiam Latinae Grammaticae* peccasset.

Cl. Negari profecto nequit, tuum, Latine tam doctum, *Archigenem* crebro turpiterque in leges Grammaticae commisisse. Nec tamen is ego sum, qui haec et similia Latinitatis vitia tuo homini exprobrarem, nisi, alios insectando ridendoque, acerrimam omnium doctorum censuram idem iste prius meruisset. Primum enim,

(*) Orat. de Philosophiâ, auctore *Cicerone*, laudatarum artium omnium procreatrice et quasi parente. p. 29.

Digitized by Google

enim, sermonis Latini puritatem ejusdemque politiorem elegantiam etsi ego nequaquam flusque deque habeo, illam tamen non ita soleo admirari, quin *rerum ipsarum*, quae sive illo, sive alio quocunque sermone tractantur, potissimum et quasi primo loco rationem habendam esse existimem. Dein, menti meae imisque, ut ita dicam, medullis infixum est, quod, alio quamvis sensu, a sacro quodam Scriptore monitum legitur (*): μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε, ἀδελφοί μου, εἰδότες ὅτι μεῖζον κρῖμα ληψόμεθα. Πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες. Εἴ τις ἐν λόγῳ οὐ πταίει, οὗτος τέλειος ἀνὴρ. Quae verba si meminisset *Wytstenbachius*, nec tibi hic, *quae non sunt*, vitia maligne tribuisset, neque ego ipsi, quae commisit, *vera vitia* hoc loco monstrassem.

E. Adeone igitur *Archigenem* Grammaticae imperitum esse putas, ut *per inscientiam* lapsus sit?

Cl. *Per imperitiam* factum esse *Grammaticae*, equidem non aufero. Tanta quippe *Wytstenbachio* tribui ignorantia sine absurditate ne-

(*) Epist. *Jacobi*. III. 1. 2.

nequit. Quod ipsum, *quoniam absurdum est*, quâ sunt maledicentiâ, Sodales tibi, tanquam a te olim dictum, affingunt (*). Me autem quod attinet, de laude tui *Wyttenbachii* nil quidquam detractum volo. *Tantum abest, ut, quod is forte putat, erroribus ejus notandis, omni illum cognitionis laude spoliatum velim. Homini relinquo quidquid habet* (†). Quaedam sane ipsi Natura dedit: plura sibi, in musei *umbrâ* abditus, lucubrationibus ac vigiliis comparavit. Utriusque linguae, Graecae Latinaeque, rationem grammaticam callet probabiliter, et facultate pollet de rebus obviis lepide garriendi, atque etiam tum, cum nil nisi nugas agit, aut de rebus judicat, quas non intelligit, Lectores vulgares quodammodo alliciendi: velut ex illis apparet, quae de *criticâ Kantii ratione* iterum iterumque audacter disseruit. Latine igitur si peccat, (peccat autem non parum saepe) haud per *Grammaticae* peccat *imperitiam*, sed aliâ de causâ, quam non est cur longe quaeramus. Primum enim, cum *nemo mortalium omnibus horis sapiat*, mirum non est,

(*) Epist. Sod. p. 23.

(†) Sunt verba Sodalium, ibid. p. 32.

Digitized by Google

est, πολυγράφους, in quibus et tuus est *Wyttenbachius*. in leges etiam Grammaticae aliquando committere. Deinde, est sane iste tuus vir naturâ valde iracundus. Uti autem, quod *Seneca* dixit (*), *exulcerata et aegra corpora ad tactus gemunt levissimos*, sic ille levissimâ de causâ incenditur. Iram autem, animo semel conceptam, nunquam ponit, sed, vindictae flagrans insatiabili cupiditate, ultionem meditatur acerbissimam, vilissimoque hoc concitatus aestu, ipse tandem quid scribat agatve nescire videtur. Praeterea, *pariendi*, quam vocat, *celeritas* ipsi a Naturâ prorsus est negata: ut *minima properatio ipsius mentem turbet* (†) Lentissimo igitur gradu tuo homini, scribere volenti, est procedendum. Sin minus, continuo vacillat labiturque. Neque adeo mentitus est *Wyttenbachius*, caetera mendax, cum olim scriberet (§), *sibi in suâ ingenii tar-*

(*) De Irâ, L. I. c. 16: ubi ita loquitur *Seneca*: „Ut exulcerata et aegra corpora ad tactus levissimos gemunt, ita [iracundia] muliebre maxime et puerile vitium est. At incidit et in viros: nam viris quoque puerilia ac muliebria ingenia sunt."

(†) Philomath. L. I. p. 102.

(§) Biblioth. Crit. P. IX. p. 7.

Digitized by Google

tarditate, ad ſcribendum opus eſſe tempore et cogitatione: id quod antea hisce verbis indicaverat (*): „ *ab ineunte aetate ſtatui, quo minus ingenio valerem, eo magis labore, curâ, vigiliis, aſſiduitate niti atque contendere.*

E. Hoc unum tibi largior, *Clinia*, per *imperitiam Latinae Grammaticae* a meo *Archigene* peccari non potuiſſe. Verum neque aliâ de cauſâ ab ipſo peccatum eſſe arbitror. Quae enim attulisti, errorum ſpecimina rem, quam agis, male probant. Illud, puta, „ *vestrum* ipſorum interest," pro *vestra*, nî typothetarum debeatur incuriae, *grata* est, quam ſaepe capiat meus *Archigenes*, *negligentia!* Illud porro: „ *propoſitiones tradita, demonſtrata, oppugnata*," manifestus est operarum error: quem qui in vitiis reponendum putat nimis properantis affectibusve abrepti *Archigenis*, nae is tam incredibiliter est abſurdus, *ut nemo intelligens, quamvis ſerio agere cupiat, riſum tenere poſſit* (†). Reliqua autem, quae citasti, ſatis esſe Latina autumo. Quidni, verbi cauſâ, „ *ſua-*

(*) Orat. ſupra citatâ de Philoſoph. p. 5.
(†) Sunt verba Sodalium, Epiſt. Sod. p. 23.

Digitized by Google

„ *suadeo tibi discere*" aeque dicatur ac „ *suadeo tibi ut discas*," sive „ *suadeo te discere*?" Et illud „ *ab aliis conviciati*" quidni *archaismus* sit, ex eis repetitus temporibus, cum verbum *convicior* significationem *passivam* nondum deposuisset? Illud tandem: „ *aliis etiam modis, qui, ut omnis in scribendo verborum delectus, ad usum, rationem, argumentum accommodandus est:*" primâ quidem fronte *plane* videtur *barbarum:* sed, nisi *elegans*, certe *Latina* est dictio; quam egregie defendit *Mahnius*, his usus verbis (*): „ *atqui scriptor voluit:* qui omnis in scribendo — delectus accommodandus est!!"

Cl. ô Admirabilem *Guilielmum Leonardum Mahnium*, perdignum praeclari *Wyttenbachii* et hypodidàscalum, et vero futurum successorem! Ita me Dii ament, ut risu paene emorior, cum ob multiplicem Professoris elegantiam, tum ob ingeniosam Rectoris defensionem! Nimirum, dictio *Wyttenbachiana*, sensu etsi omnino caret, tamen, quoniam iste homo Latine scribere *voluit*, satis est *Latina!!* Pol! hoc

(*) Ibid. p. 297.

hoc plane novum est atque inauditum, *voluntatem* sufficere ad recte scribendum: quam qui habeat, illi esse licere barbaro! Ha, ha, ha! — Tu autem, *Hemerti*, dic, sodes, num et aliis hominibus, quibus eadem adsit recte pureque scribendi *voluntas*, tantumdem a Censoribus concedatur licentiae.

E. Minime profecto, *Clinia!* Ita enim olim meus me monuit *Mahnius* (*): „ *cogita, ô Paule:* „ *duo cum faciant idem, non idem esse.*" Et *Archigeni*, sic alio in loco idem dixit (†) *Mahnius*, „ *si erroris nonnihil aliquando accideret, unusquisque illud festinationi tribueret, tibi vero ignorantiae: Quare? Quia tu passim laberis: ille semel, aut raro.*" — —

Cl. Ha, ha! *Passim laberis!*

E. Rides? Utique non cogitas de *centum quinquaginta et octo* vitiis!

Cl. Hem! tempestive mones! —

E. Ad-

(*) Ibid. p. 183.
(†) Ibid. p. 181.

Digitized by Google

E. Addit autem *Mahnius* et haec: „ *Archigenes summus est Literator: tu vero ne infimi quidem subsellii Literio.* Neque aliter sentiunt caeteri Sodales, eâdem omnes *humaniorum* Literarum luce collustrati. „ *Magnis viris*, inquit *Antisthenes* (*), *errores suos non exprobramus, sed condonamus caeteris eorum meritis.*" Illorum quippe *virtutes et doctrinae dotes*, ut notat *Mahnius* (†), *eos reprehensione eximunt.*

C-t. Esto autem, ô bone! Sodales recte dicere, plerosque *Wyttenbachii* errores *festinationi* esse tribuendos: nonne tamen sentis —

E. Intelligo, quo eas. Verum audi, *Clinia*, quid hac de re Sodales in *Epistolis* scripserint. *Philomathes*, i. e. *Archigenes*, inquiunt hi viri (§), in Καθαρσίῳ *aliquanto magis festinavit, quam in proximis Philomathiae partibus: et sane non opus erat, plus etiam tem-*

(*) Ibid. p. 44.
(†) Ibid. p. 141.
(§) Ibid. p. 25.

Digitized by Google

temporis ad istam Harrearii levitatem temeritatemque conferre.

CL. Per *Jovem!* quid garriant Sodales, ipsos nescire, manifestum est. Narrat, exempli causâ, *Mahnius* (*); scriptionem *Wyttenbachianam non in triduum tantummodo, sed in omne tempus sufficere*, atque unice susceptam esse *juventutis causâ*, ne scilicet illa *malae Latinitatis contagione afficeretur* (†). Et tamen, quis fere credat? *non opus fuisse*, Sodales asserunt, tantum scriptioni impendere temporis, quantum satis sit ad evitanda vitia! Profecto miseret me miserorum Sodalium. Etenim, si quod sentio dicam, et illis putem mentem haud parum esse turbatam. Certe tanta eorum est *temeritas*, *tanta audacia*, *ut ab insaniâ non procul abhorreat* (§).

MEG. Mihi quidem, ô Optimi, vestram disputationem patienter audienti, sole est meridiano clarius, aedituorum supremum Sacerdotem,

(*) Ibid. p. 217.
(†) Ibid. p. 31.
(§) *Cic.* Orat. pro *Roscio Amerino*. §. 24.

Digitized by Google

tem, *Wyttenbachium*, ſacras Literarum aedes ſuis ipſum ſordibus inquinasſe; itemque prorſus esſe nihili omnia, quae ad excuſationem hujus hominis ab ejusdem colluſoribus, *Mahnio* inprimis, ſunt allata. Vah! ſi reviviſceret *Philellen*, quam egregie balbutientem Profeſſorem, acerrimum aliorum reprehenſorem, ludificaretur! Repeteret, credo, *Wyttenbachio* ſeni, quae ante hos quadraginta annos eidem juveni objecit. Audire eum mihi videor dicentem, ut olim (*): „ô *Wyttenbachi! ne decennis quidem alphabetarius, tibi enim dico, Profeſſor! tantam Grammaticae oſtenderet negligentiam. — Vereor, ne novam linguae ſyntaxin nobis brevi obtrudat Lucubrator literatiſſimus, quam mirentur omnes barbari, quam ediſcant miſelli ſtudioſi* (†)*! — Triviales discipuli, ſi istkaec legerent, Profeſſorem monerent ut calami lapſus paulo accuratius corrigeret. Heu! Profeſſori lampada puer* (§)*! — Di protegant homines, quibus tu aliquando daberis eloquentiae*

(*) Epist. Crit. p. 23.

(†) Ibid. p. 9.

(§) Ibid. p. 9.

Digitized by Google

tiae Magister (*)! Ad hunc fere modum, ut puto, *Philellen* Profesſorem denuo reprehenderet. Nec minus, ut equidem existimo, ab eodem reviviſcente vapularet miſellus iste *Mahnius*, qui, cum puer ſit omnium fere rerum rudis, ſibi *Herculis* perſonam ac eothurnos aptare cupit, et, quamquam ipſo praeceptore ſuo *Wytenbachio* omnibus numeris partibusque multo est inferior, hujus tamen ad exemplum, nec minore fastu atque impudentiâ, alios aggreditur lacesſitque. Plorare, inquam, *Philellen* reviviſcens ridiculum istum juberet blateronem, nî fortasſis infra ſe duceret Vir doctus, a tantillo homuncione, infra omnes amandando mortuos, poenas repetere, eique, quae dudum commeruit, parare verbera.

E. Ah! Ah! bona verba, *Megille!.... Archigenem* quidem conſtat *Diis mixtum ſuperis*, atque adeo *ſupra omnium telorum jactum eſſe poſitum* (†). Et, *Mahnium* quod attinet, licet hic quidem ad tantum honoris gradum nondum ad-

(*) Ibid. p. 52.

(†) Epist. Sod. p. 34.

Digitized by Google

adscenderit, in *Literarum* tamen est aeditus; quorum

—— —— κλέος ὄυποτ' ὀλεῖται (*).

Neque te fugit, opinor, quantam olim laudem superioribus *Mahnii* libellis ipse impertiverit *Archigenes*. *Doctos* enim *esse* dixit (†), *et plenos cum accuratâ Latinitatis observatione, tum Literarum scientiâ, atque instar exempli, quod alii sequantur!!!* Nec minori laude, quod a testibus locupletibus accepi, idem ille praeclarus *Archigenes* hodie *Sodalium* afficit *Epistolas*, a *Mahnio* quam accuratissime descriptas. Has quippe, etsi longiores, nec pretio viles, unicuique, ipsum rure suo visenti, commendat emendas legendasque, ut elegantioris Latinitatis hec non Philosophiae scientiâ refertas! Et sane id inprimis egit *Mahnius*, ut *hae Epistolae* ab omni labe prorsus purae essent castaeque, et sine ullâ, vel levissimâ, maculâ in lucem prodirent. Quapropter, summâ diligentiâ summoque studio, *nonaginta*, quae irrepserant, aut ipsi Sodalibusque caeteris exciderant, cujusque ge-

(*) Iliad. β. versu 325.

(†) l. c. in Triad. Epist. p. 29.

Digitized by Google

generis menda collegit, eorumque catalogum contexuit locupletisſimum.

Meg. Novi quidem, *Hemerti*, fateorque lubens, permulta eſſe isto in catalogo a *Mahnio* correcta, cum *typographica*, tum alia, inprimis Latinitatis, vitia. Sin vero neſcias, aperte tibi dico, praeter *typographica*, haud pauca, nec levia remanſiſſe, ab ipſo nequaquam emendata. Vin' exempla? Age! pauca delibemus. Verbum *congredior*, quod in illis est, quae Grammatici *deponentia* dicunt, ita *Sodalium* in *Epistolis* uſurpatur, ut *paſſiva* ei ſignificatio videatur tribui. „ Istam vero, inquit Sodalium aliquis (*), non eſſe, niſi *Philomathis* ſolitam verborum jactantiam et pugnae detrectationem, *metuentis ſecum congredi.*" Quae verba non, niſi ad *Philomathem*, ſeu *Wyttenbachium*, referri queunt. Senſu namque omnino carent, ſi hunc dicas, ex *tuâ* opinione, metuiſſe *ſecum* congredi, *activâ* nimirum ſignificatione. Fac vero, quamvis plane ſit barbarum, verbo *congredi paſſivam* inesſe ſignificationem. Senſus erit, *Wyttenbachi-*

(*) Epist. Sod. p. 5.

chium metuisse, ne sive tu, sive alius quispiam cum ipso congrederetur, ipsumque ad pugnam cogeret. Vir, scilicet Latine doctus! Magistrum suum imitatur, qui, ut novimus, verbum *conviciari*, tanquam *passivum*, olim adhibuit: quod cum tu per *archaïsmum* fortasse explicandum esse, modo diceres (*), oblitus esse videbaris, *archaïsmos*, docente *Mahnio* (†), non nisi a *semilatinis affectari!!* Quod autem pejus est, foedissimum hoc Latinitatis vitium, *ipso illo in loco*, committit, in quo tuae recitat orationis partem, cui, ab ipso prius mutilatae perturbataeque, pro more suo, barbarismos affingit, quos etsi callide non indicat, a se jactat esse correctos, fallaciam fallaciâ obtegens. — Porro, nec *modos* verborum, nec *numeros*, *genera*, *casusve* nominum curat Gymnasii Rector, *Mahnius*. *Indicativum*, puta, pro *subjunctivo* ponit, scribens (§): *ut offensiunculam ulcisceris*: et *singularem* adhibet numerum pro *plurali*, v. c. „ *addatur*, quae scrip-

(*) Vid. supra p. 107.

(†) Epist. Sod. p. 194.

(§) Ibid. p. 30.

Digitized by Google

ſcripſit," pro, *addantur* (*). Item *plurali* numero pro *ſingulari* utitur: velut in his (†): „ *testes ſunt Ruhnkenii* altera editio elogii *Hemſterhuſiani*, *testes* ejusdem annotatio," pro *testis est:* et denuo (§): „ *testimonio*, *quae* etiam mediocribus impertiri *ſolent*," pro, *quod — ſolet.* Similiter *caſus* nominum negligit, *ablativum*, exempli cauſâ, pro *dativo* adhibens, ut in (*): „ *cupiditate* obſecutus," pro *cupiditati;* aut *accuſativum*, pro *vocativo:* ut in hoc (†): „ nonne te pupugi, *doctorem umbraticum:*" ubi certe praestaret *vocativus:* „ *ô doctor umbratice!*" Et *genera* turpiter confundit, modo *femininum* faciens, quod generis est *neutrius*, vel etiam *masculini:* modo quod *femininum* est, faciens *neutrum*, vel, quod *neutrum*, *masculinum.* Scribit enim (**): „ *multa vocabula* uſurparunt juniores *quas*," pro, *quae:* et (††): „ votorum *fi-*

(*) Ibid. p. 115.
(†) Ibid. p. 130.
(§) Ibid. p. 158.
(*) Ibid. p. 170.
(†) Ibid. p. 246.
(**) Ibid. p. 130.
(††) Ibid. p. 339.

Digitized by Google

finem ponendam ſtatuiſſet," pro *ponendum*: item (*): „ nae *is* lentum est negotium," pro *id*: et denuo (†): „ *exquiſitiſſimas quasque cupedias* ex ſuâ Latinitatis cellâ penuariâ nobis *delibanda* expoſuit," pro *delibandas*. — —

Cl. Vah! Si reviviſceret *Philellen*, inque hanc barbaram *Mahnii* ſcriptionem oculos conjicere dignaretur, minimum *duodecies*, credo, *Latiniſſimum* Epistolarum ac Programmatum editorem praecipuas deſcribere juberet Latinae Syntaxecs regulas!... Verum, quaeſo te, *Megille*, deſine tandem, ex istâ *Mahnii* cellâ penuariâ plures proferre Latinitatis *cupedias*, ne majorem nauſeae ſuscipiamus molestiam.

Meg. Pace tamen tuâ, pauca quaedam adjicere exempla liceat, quae *Hemertium* convincant, eadem illa, quae *Mahnius* ejusque Gregales ipſi, ut Latinitatis vitia ac foedos barbarismos, exprobrant, ab his ipſis naſutis reprehenſoribus crebro uſurpari.

E. Scire mehercle aveo, quaenam illa ſint.

Quae

(*) Ibid. p. 1.
(†) Ibid. p. 343.

Digitized by Google

Quae enim a te, *Megille*, adhuc ſunt prolata, mihi quidem non niſi *menda* videntur eſſe *typothetarum*, quorum ipſemet *tot* eſſe miror, invito *Mahnio*, relicta: putabam quippe, non niſi paucula ſuperesſe, eaque leviſſima, veluti *verta* (*) pro *verba*; *te* irridendum, pro *et* irridendum (†); *diriſit* (§) pro *deriſit*; ſumſisti *a* fonte (*), pro *e* fonte; et ſimilia, quae nemo curat, niſi qui, ut *Mahniana* utar dictione (‡), *nodum in ſcirpo quaerit, ſuaque ſcrutandi anxietate novam culumniandi occaſionem ſe inventurum ſperat.*

CL. Pol! ut ridiculus iste *Mahnius* ſuam ipſius ac *Wyttenbachii* imaginem, hisce verbis, pulchre expreſit! Etenim, quae *Latine* ſcripſisti, *cuncta*, et *ſingulas* adeo *dictiones*, et *voces*, ipſasque *ſyllabas*, horum ſycophantarum uterque minutius et ſcrupuloſius ſcrutatur, ut ſaltem aliquid inveniant, quod dentibus carpant maledicis. Quod ut tibi, *Hemerti*, appa-

(*) Ibid. p. 138.
(†) Ibid. p. 184.
(§) Ibid. p. 260.
(*) Ibid. p. 71.
(‡) Ibid. p. 335.

Digitized by Google

pareat, animum quaeso attendas cum ad ea, quae tibi ab istis hominibus, tanquam *vera* Latinitatis vitia, exprobrantur, tum ad *machinas fallaciasque*, quibus impudenter utuntur, ut tuam probare videantur infantiam. Enimvero, quae tibi exprobrat *Mahnius*, sive *Wyttenbachius*, vitia, qualia fere sunt? Primum, *typographica menda*: velut ἄρα pro ἄρα; si modo vera *narras*, pro *narres*; *accomodare* pro *accommodare*, (quod *Mahnius*, festivus esse cupiens, et pro more *Sardonium ridens*, *tu*, inquit (*), *forte derivasti a Graeco* κωμῳδός); et similia, quae referre piget. Dein, *vitia Latinitatis*. Sed, per omnes Deos! qualia? Miror profecto, quod istos reprehensores non pudeat, istiusmodi, ut ita dicam, notare *tititillitia*: velut *satira* pro *satyra*; *ae* (quod semel, aut bis, a te positum est ante vocalem) pro *etque*; vix *et* ne vix quidem, pro vix *aut* ne vix quidem; *Chemici* pro *Chymici*; *forsan* pro *fortasse*; *quaquaversum* pro *quaquaversum*, sive potius *quoqueversus*; ne *vel*, pro ne *quidem*; satis *satisque*, pro satis *superque*; *mi* optime, pro *ô* optime, seu simpli-

ci-

(*) Ibid. p. 261.

Digitized by Google

aliter, *optime*; *olim* pro *nuper*; *genuinus* pro *germanus*; *ad* minimum, pro *minimum*; *saltator*; pro *desultor*; hoc *nimium* est, pro *nimio plus* est; *humilitas*, pro *humilis animus*; *conticuerunt*, pro *tacuerunt*; *hactenus*, pro *adhuc*; et ejusdem generis plura, quae, nisi *omnia*; at certe *pleraque*, si vacaret, idoneâ scriptorum auctoritate equidem defendere possem. *Verum*, quo magis istorum hominum tibi innotescat vafritia, age nunc! refer animum, sis, ad technas dolosque, quibus uti non erubescunt, ut aliqua tandem tibi vitia affingant. Nec petulanter solum exsultat *Mahnius*, si quid forte deprehendat, quod asperioribus facetiis perstringere se posse putet: sed (quis credat?) *ex industriâ* plus semel orationis tuae mutilat contextum, verba addens, demens, transponens, quo ipsi opportunitas amplificetur culumniandi, ridendi, lacessendi. Exemplum si requiras, narrat (*), verbi causâ, te, in quâdam notulâ, ad hunc modum scripsisse: „ *Wyttenbachius*, Bibl. Crit. vol. III. Pars III. p. 30, phrasin usurpat, *ut cum Catullo loquar*, quam eandem, a me olim adhibitam, ipsi in Belgicismis ponere libuit." Dein gau-

(*) Ibid. p. 270.

Digitized by Google

gaudio exſultans clamat: „ tres in Latinitate lapſus!! *Pars!* Nominativus pro Ablativo!! Hoccine est Latine ſcribentis, an Belgicisſantis?" Tu vero tuum, quaeſo, ipſe libellum inſpice (*); et videbis, ut ex fraude et fallaciis homo totus conſtet. Omnia quippe turbat, atque ima ſummis miscet, quo istud, quod unusquisque *typographicum* esſe intelligit (†), mendum evidentius appareat; et, de ſuo, *Wyttenbachii* apponit nomen, metuens ne forte cogitet Lector, in citatione loci omisſum a te esſe vulgare illud „ *videatur.*" Hoccine autem *boni* est *honestique* viri, an vero *nequisſimi nebulonis*, cui non *verba* paranda ſint, ſed *verbera?* Et alibi tibi tribuit, quod nunquam dixisti. Sic, ut hoc utar, quamquam ad *Latinitatem*, de quâ nunc agimus, proxime non pertinet: „ laudem, inquit (§), tribuis *Wyttenbachio*, quem vituperare vis, faciens *impiegrum.*" Quod tantum a vero diſtat, ut tu, *Ho-*

(*) Triad. Epist. p. 159.

(†) *Pars* pro *Parte*, ſive, ut a me ſcriptum est, et in locorum citationibus vulgo ſcribi ſolet, *Part.*

(§) Epist. Sod. p. 278.

Digitized by Google

Horatianum illud de *Achille* (*) in *Wyttenbachium* accommodans, primam vocem *impiger* ex industriâ omisisse videaris. Porro, quamcunque adhibeas sive *vocem*, sive *phrasin*, eam, si quis *Mahnium* audiat, aut aliis scriptoribus, iisque maxime recentioribus, sublegisti, aut non intellectam perperam adhibuisti: ut in omni omnino dictione, singulisque, ut ita dicam, verbis, nisi *barbarus*, at *trium* sis *literarum homo* (†)! Sic nomen adjectivum *proletarius*, et phrases bene multas, easque etiam maxime vulgares, et quas jam pueri in scholis didicimus, ab aliis furatus sis: verbi causâ, *pro Iunone nubem amplecti; primoribus labiis aliquid degustare; in societatem laudis venire; ad plures abire; manes alicujus violare; mentis caligine laborare; puerum agere; e diverticulo in viam redire;* aliasque plures, quas enumerare piget. Et, quamquam tu, locum e Veteribus afferens, auctorem nominas, cujus verbis uteris, te tamen *furem* vocat *Mahnius*. Sic alicubi dixeras: „ ut hoc in te adhibeam *Ciceronis* (§):" *Mah-*

(*) *Impiger, iracundus, inexorabilis, acer.*

(†) Hoc nomine *Plautus* designat *furem.*

(§) Triad. Epist. p. 109.

Digitized by Google

Mahnius tamen „ librum, inquit (*), et caput non significas, ne Lectores — viderent, totum hoc non *tuum*, sed *Ciceronis* esse." Si vero *librum et caput* significes, ut plerumque facis, locum tamen tibi ab aliis suggestum esse dictitat, praesertim a *Bosschio*, quem, *suum*, si Diis placet! *amicum*, more *Wyttenbachiano*, vehementer objurgat et proscindit. Et, memor proverbii: *calumniare audacter: semper aliquid haeret*: simulat se scire, quos legeris auctores, aut quos neglexeris; ac, quo majorem mendaciis ac calumniis speciem addat, formulâ impudenter utitur, *satis novi*, vel *locuples mihi testis est* (†) etc.!! Quae omnia ejusmodi sunt, ut difficile sit, a risu temperare, intelligenti, *tua*, secundum *Mahnium* Sodalesque, fere tot esse numero *furta*, quot (exceptis tamen *barbarismis*) tuorum sint libellorum *verba* ac *syllabae! Exceptis*, inquam, *barbarismis*; ea enim, quae aliis non surripuisti, quaeve tibi nemo suggesit, sint plane barbara!!! Quod ut Lectori persuadeat *Mahnius*, vario rursus utitur ac multiplici praestigiarum genere. Exempla denuo re-

(*) Epist. Sod. p. 206.
(†) Ibid. p. 235. et 20.

Digitized by Google

requiris? Age! quaedam degustemus: ſed paucas, ne nauſeëmus. Si vox quaedam plures habeat ſignificationes, *eam* tibi ſemper tribuit, quae loco *non* conveniat. Captat, verbi cauſâ, quod ſcripſeras in *Triade:* „ nunc denuo a te *poſitum confirmatumque* est." Subinde, inquit (*) *confirmare* notat ſimpliciter *affirmare*" caet. Ut vero probet, te, quod ait, *male eſſe locutum*, impudenter aſſeverat, tibi non hanc ſignificationem *affirmandi*, ſed, quae huic loco non conveniat, *demonſtrandi*, ante oculos eſſe obverſatam. Similiter *Wyttenbachium Grammatistam* dixeras. Nominis vero *vim a te non intellectam eſſe*, narrat (†). Ipſe tamen, e *Facciolati* Lexico, locum profert *Suetonii*, quo vox eadem occurrit ſignificatione. Porro dixeras: *perplacuit tibi cogitatio.* Duo ipſe *Ciceronis* loca e ſuo describit Lexico, in quibus eodem ſenſu vox uſurpatur *cogitatio.* Et tamen, *ista*, inquit (§), *Pauli cogitatio Belgica est.*" Nimirum, eam tibi *ſemper* maligne obtrudit ſignificationem, quam novit a tuo conſilio plane eſſe alienam: quod quicunque facit, (ſecundum id, quod

(*) Ibid p. 213. 214.
(†) Ibid. p. 216.
(§) Ibid. p. 195. 196.

Digitized by Google

quod ipse dixit (*)) *aut intelligentiae vitio labitur, aut vitio animi, aut utroque.* Aliquando fit, ut, quamvis de suâ ipse censurae probitate dubitet, nihilominus te condemnet. „Fac, inquit (†), exemplum contra nostram sententiam afferri, de quo dubitemus: hoc valde rarum et ejusmodi erit, ut non illud potius, quam Belgicismum, *Paulus* secutus fuerit." Tandem, ecce! in Lexicis, eisque praestantissimis, aliquando exempla invenit, quae te *non male locutum esse* evincunt! Quid igitur ille? Ea continuo lexica damnat, atque in errore versari asserit. Sic, puta, vocem *hactenus* improbat, de *tempore* positam: *quamquam*, ut ipse ait (§), *in plerisque lexicis ita probatur.* —

E. Ah! *Clinia*, tecum non satis reputas, *Mahnii* caeterorumque νεωκόρων quam amplum sit ac religiosum sacerdotium (*)! Et mihi sane, quae tu, *Plautino* usus vocabulo, *titivillitia* vocasti, gravissima vitia, sive, ut eleganter loquitur *Mahnius* (†), *pingues* esse *errores* viden-

(*) Ibid. p. 232.
(†) Ibid. p. 193.
(§) Ibid. p. 223.
(*) Ibid. praefat. p. 44.
(†) Ibid. p. 221. Ep. Socr.

Digitized by Google

dentur. Quod ne mireris, *memento me nunc alium esse atque olim* (*), cum febri laborarem *Kantianâ*, teretesque *Archigenis* aures balbutiente Latinitate obtunderem: cujus et ista, quae modo enumerasti, manifesta sunt atque, ut ita dicam, *pudenda* indicia. Verum haec jam mittamus paulisper: ut, quod tu, *Megille*, promisisti, tandem solvas, ostendendo videlicet, eadem illa, quae ut *vitia* et *barbarismi* a *Mahnio*, meis in epistolis, notantur, ab ipso *Archigeneque* usurpari. Hoc enim, (diffiteri equidem nolo) ejusmodi esse videtur, ut meam fidem longissime superet.

Meg. Lubens faciam. Ne quid tamen nobis obrepat taedii, quae de verbo *praeterlabi* aliisque vocibus ante sunt disputata, non repetam; neque ea tangam, quae, a *Mureto* aliisque primi ordinis Viris usurpata, vocabula tibi injuste vitio vertuntur. His igitur omnibus missis, alia quaedam, quamvis pauca, promam. Primum esto illud *hactenus*, quod breviter, et quasi in transcursu, jam tetigit noster *Clinias* (†).

Ni-

(*) *Terent.* Andr. III. 3. 13.

(†) Vid. supra, p. 120 et inprimis 125.

Digitized by Google

Nimirum in dictatoriis, ſive *Mahnii*, ſive *Wyttenbachii*, de Latinitate edictis ſancitur (*): „ *hactenus* perperam de *tempore* poni, et pro illo ſcribendum eſſe *adhuc*, *ad hoc usque tempus.*" Mox vero ridiculus iste Dictator, ſui ipſe edicti prorſus, ut videtur, oblitus, „ *hactenus*, inquit (†), *de plagio*, *nunc de abſurdo dicto:*" illud ſimul monitum turpiter negligens, quod ipſe Tibi, licet immerito ſtulteque, objecerat, cum diceret (§): „ quia tu id, in *Philomathe*, id est *Wyttenbachio*, vituperaveras; *eo minus* idem facere debebas, et faciens *eo turpius* peccas." — Istis porro in edictis legimus: „ phraſin: *inter recentiores:* eſſe novitiam, et rectius dici: *in recentioribus.*" Ita nempe *Mahnio* ac caeteris Sodalibus ſancire placuit (*): praeeunte tuo *Wyttenbachio*, qui, jam ante hos fere ſex annos, primo *Philomathiae* libro (‡), ſuum illud ſolitum „ *barbarismus!*" intonuerat. Verum ecce! edicti ſui im-

(*) Epist. Sod. p. 178 et. 223.
(†) Ibid. p. 275.
(§) Ibid p. 167.
(*) Ibid. p. 2 et 135.
(‡) p. 88.

Digitized by Google

immemores, „ *novitiis*, inquiunt Sodales (*); *et tironibus inter Batavos*" caet.: ac praeterea, alio in loco (†), verba excitant ipsius *Ruhnkenii*, scribentis: „ non est *inter recentiores*, si Latinitas spectetur, *Mureto* scriptor emendatior." E quibus locis denuo apparet, non Sodales tantum, (quod parum est) sed ipsum *Ruhnkenium* barbaris accenseri et posse, et vero etiam debere. Quod non dubito, *Hemerti*, quin Tibi, homini scilicet semilatino ac plane barbaro! aliquantulum afferat solatii, secundum illud Poëtae notissimum:

Solamen miseris, socios habuisse malorum.

Porro, verbum *attendere*, et nomen *attentio* — — —

E. Ohe! *Megille*, ne ad hunc, quaeso, modum contra meos homines disputare pergas. Animum namque tu non satis attendis ad gravissimum illud, quod *Mahnius* identidem inculcat, placitum: „ *duo cum faciunt idem, non est idem.*" Praeterea, nonne difertis verbis idem

(*) Epist. Sod. p. 401.
(†) Ibid. p. 39.
(§) Ibid. p. 183 et alibi.

Digitized by Google

idem ille dixit Vir eximius (*): „ elegantisſimis ſcriptoribus voces excidisſe, quas in aliis notârunt: et fieri non potuisſe, quin quaedam ipſe olim poſuerit *Archigenes*, quae postea minus recte poſita agnosceret: nec jus corrigendi per admisſos *veteres* errores tolli?"

Meg. At vero, ne nunc alia reponam, quos notavi, errores non unice ſunt *veteres*, ſed *novi* quoque et *novisſimi*. Extant quippe in eodem, quod tibi objurgando destinatum est, volumine. Et ab iis committuntur hominibus, qui ſe *Literarum* jactant (†) *aedituos*, eo creatos conſilio, ut *ſanctas illarum aedes*, quas clamitant a te esſe pollutas, *purgent* atque *expient!* Quid autem, per omnes te Deos oro! magis est ridiculum, quam ſi quis, alios ſe purgaturum jactans ſordibus, omni ſqaloris ſordiumque genere ipſe ſe obrutum ac fere ſepultum esſe, palam omnibus faciat?

E. Mecum tamen tu, *Megille*, agnoscis, ſpero,

(*) Ibid. p. 130. 131.
(†) Ibid. praef. p. 43 44.

Digitized by Google

ro, *voluntatem* saltem aedituorum *sordibus me purgandi* valde esse laudandam. Tantum nempe apud *Archigenem*, *Mahnium*, caeterosque Sodales officium valuit erga *Patriam*, *quae* scilicet *eos erat obtestata*, ne mearum contagione sordium *adolescentes corrumpi sinerent* (†)! O *Megille*, nî me purgassent, quid tandem eventurum fuisse putas? Nervose eleganterque, uti solet, rem significavit *Mahnius*: „ brevi inquit (†), studiis et literatae Batavorum laudi triste *illud*, *fuimus Troes*, jure fuisset occentatum!!!"

CL. Ha, ha! *Wyttenbachius* igitur, et *Mahnius*, et caeteri, si qui sint, sacerdotes suo erga Patriam officio *pessime* sunt functi, digni adeo, qui severissime puniantur: quoniam sordibus ipsi suis sacras aedes inquinârunt, suasque tibi sordes maligne adsperserunt.

E. Profecto inclementius Vos ambo de hisce Viris judicatis; neque intelligitis, quam benigne humaniterque mecum egerint, nihil non tentantes, quo *me ad sensum mei morbi* re-

(*) Ibid. p. 44.
(†) Ibid. p. 48.

Digitized by Google

redigerent (*). Ipsum, si quâ fieri ratione posset; clementissimum *Archigenem* superare Sodales clementiâ sunt conati. Audiatis, exempli causâ, *Antisthenem*, quem, cum propter Latini sermonis peritiam, tum maxime propter urbanitatem atque acerrimum humanitatis sensum, *alterum* fere *Archigenem* appellare licet. „ Majus, inquit (†), tibique exoptatum munus „ tribuam, ut tuum tibi *sterquilinium* relin„ quam, teque in eo volutari sinam! Sic et tu „ intus latebis, neque tuis cum *sordibus* in „ hominum notitiam protrahêris: et parcam „ item legentium naribus; qui ex illis supra „ egestis duobus cophinis quinque paginarum „ *stercoris* judicare poterunt, quantum quam„ que *taetrum* in reliquis paginis *stercus* su„ persit." — — —

Cl. Ohe! parce, precor, plura citare hujusmodi: meo ne stomacho veniat libido nauseae. Satis ego memini locum, quem spectas; estque sane, ut *Catullianis* utar (*), *ple-*

(*) Epist. Sod. p. 96.
(†) Ibid. p. 95. 96.
(§) Carm. XXII. 14. XXXVI. 19.

Digitized by Google

plenus ruris et inficetiarum, atque *inficete inficetior rure*. Suas ſibi habeant isti Sodales pulcherrimas, quas maxime amant, imagines, a *ſtercore* ac *ſterquiliniis* ſumtas.

MEG. Recte dicis, *Clinia*. Rem autem ipſam quod attinet, patet denuo, id quod a te jam ante indicatum est (*), Sodales, quid dicant, quidve velint, ipſos plane *neſcire*. Etenim, ſi, quod ſtultisſime garriunt, Patria eos ſit obtestata, ut Literarum aedes, ab *Hemertio* nostro, ut illi ajunt, pollutas, expient, ſuisque eum perpurgent ſordibus, utique mali ſunt pessimique cives, qui (honos ſit auribus!) ſuum eidem relinquere ſterquilinium velint, idque inſuper ſui ipſorum taeterrimâ ventris eluvie cumulent.

E. Omnia, proh dolor! Vos ſedulo captatis, et in malam partem interpretamini. Ego vero, quae mea est ſimplicitas, Sodalium verba eo attuli conſilio, ut vos mecum intelligeretis, quantâ ſint hi Viri humanitate, quantâque clementiâ, eisque adeo reconciliati, incle-

(*) Vid. ſupra, p. 110.

Digitized by Google

clementer de illis judicare tandem cesſaretis.

Cl. Nos quidem ex aequo judicamus, *Hemerti.* Tu vero, pro ſingulari tuo erga Sodales amore, aegre ferre videris, multiplices illorum a nobis errores detegi, iniquitatemque ac fallacias manifestari. Quod tamen, niſi neceſſarium, certe utiliſſimum ducimus, ne quid detrimenti adolescentum ſtudia capiant. Quamquam enim ipſa quidem Patria nos non magis quam alios obtestatur, officii tamen ſuadet ratio, ne illorum *ſtudia ac judicia, a Wyttenbachio,* ejusque ineptis ſatellitibus, *barbarismos, ſoloecismos, omnesque rerum et verborum errores ſpargentibus, corrumpi ſinamus* (*).

Meg. Vera praedicas, *Clinia.* Omnino nostrum est, ut bonorum civium, huic malo, quantum quidem posſumus, obviam ire, istorumque hominum notandis erroribus, cavere, ne, qui Literis operam navant, adolescentes horum afficiantur exemplorum contagione, *Mahniani* tamen exempli contagionem, ſi quod res est dicere liceat, non est quod magnopere me-

(†) Epist. Sod. Praefat. p. 44.

Digitized by Google

fundamento, *superstruere* (*); quod, quia, ut ita dicam, *Logice* non valet, *dici nequit:* illud enim, quod *tractatur*, fundamento potest *superstrui:* quis vero, nisi plane barbarus, unquam dixit: ipsam *tractationem superstruere? Huc* item refero locum, ubi *Wyttenbachius* Orationem *Ruhnkenii* de *doctore umbratico*, eandem nempe illam, quam postea homo varius et mutabilis adeo fugillavit! tam fuisse ait (†) „ festivam et quasi Attico sale perspersam — ut et attente audiretur, et cupide legeretur, *omniumque manibus frequentaretur:*" pro quo scribendum fuisse putem, *versaretur*, aut simile quid: *frequentare* enim orationem, sive librum, *Latine* non dicimus, nisi quo sensu dixit *Tullius* (§): „ luminibus distinguenda et *frequentanda* omnis oratio sententiarum atque verborum."

Meg. Et mihi jam quasi sponte in memoriam nonnulla redeunt, in eodem libro lecta, quae

(*) Omnes hae phrases occurrunt ibidem, p. 110. 236. 95. 32.

(†) Ibid. p. 90. 91.

(†) de Orat. L. III. c. 52

quae ſintne probabilia, valde addubito. In ipſâ *praefatione* (*), verbi cauſâ, *Wyttenbachius*, ſcriptionis tempus ſignificans, *menſe*, inquit, *Octobre*, pro *Octobri:* quippe quod nomen est *adjectivum*, non vero *ſubſtantivum*. Deinde, nullâ prorſus, ne *ullius* quidem, quantum ego ſciam, *Poëtae* munitus auctoritate, duo nomina, quae *ſuperlativa* dicuntur, *callentisſimus* nempe atque *abſtruſisſimus*, uſurpare non verecundatur (†). Tum, *auctoritates* memorat *vanas* (§): quem ſenſum nescio an vox *auctoritas* in formâ plurali ferat. Porro, verbo *malle* participium tribuit *malens* (⁎): peſſimum Magistri exemplum ſequente *Mahniolo* (†): *peſſimum*, inquam, ſi quidem nemo unquam Veterum id participium uſurpavit. Item, *praejudicium*, quae vox ambiguae est ſignificationis, ponit (**) pro *praejudicatâ opinione*. Et verbum *admittere*, quo

(*) Vit. R. p. 6.
(†) Ibid. p. 58 et 60.
(§) Ibid. p. 106.
(⁎) Ibid. p. 278.
(†) Epist. Sod. p. 249.
(**) Vit. R. p. 31.

Digitized by Google

quo sensu id damnaverat *Ruhnkenius*, usurpat pro *ferre*, scribens (*): „ quamnam e variis significationibus praesens locus vel *admitteret*, vel postularet." Et phrasi utitur (†): „ ut cum *Tullio* loquar:" quam, licet *stultissime*, ipsi postea in *Belgicismis* ponere placuit. Neque eâ, quâ par est, curâ concursum evitat plurium *adjectivorum*. Ita, exempli causâ, scribit (§): „ *novissimi illi* doctrinae (Kantianae) *sequaces*:" pro *sectatores*. Ne de *Belgicismis* dicam, qualis hic (*): „ negotia naturale suum iter habent."

CL. Dictis tuis, *Megille*, plura equidem addere nolo, ne omnia, quae libro insunt, sermonis vitia, per invidiam quasi, anxie conquirere videar. Hoc unum tamen non possum quin animadvertam: *Wyttenbachium*, qui vocem *forsan*, abs *Hemertio* usurpatam, in prosâ oratione damnat, eamque, quamvis a *Curtio* historico adhibitam, neque a *Ciceroniană* voce *forsi-*

(*) Ibid. p. 34.
(†) Ibid. p. 30.
(§) Ibid. p. 61.
(*) Ibid. p. 267.

Digitized by Google

ſitan multum discrepantem, poëtis ait (*) *relinquendam eſſe*, eundem igitur hunc *Wyttenbachium*, ſuâ ſolius, id est *plane nullâ*, auctoritate, vocibus uti, quae a ſolis Poëtis uſurpantur. Sic, exempli cauſâ, ſcribere non dubitat (†): „ donec *multeſimo* quodam accedente:" quae vox non niſi *ſemel* apud *unum* occurrit *Lucretium*. Nonnunquam tamen, quod fateor et probo, verbo poëtico formulam addit: „ *ut ita dicam*:" velut in hoc loco (§): „ Philoſophia *Carteſiana* Literarum ſcholas, ut ita dicam, *viduabat*." Et antea jam in *proſâ* oratione (*poëtam* enim nunquam agit) *poëticum* uſurpârat adjectivum *omnimodus*: quapropter merito a Cenſore quodam vapulavit: Magistrum frustra defendere conante *Mahnio*, et temere dicente (*), istud adjectivum apud *Lucretium ſaepius* ocurrere; cum non niſi *ſemel* apud hunc Poëtam, et, posteriori demum aetate, apud *Apulejum* legatur. — Ne longior ſim, apparet omnino, quam ſit verum, quod ipſe olim, Ve-

(*) Philom. L. I. p. 88.
(†) Vita R. p. 8.
(§) Ibid. p. 111.
(*) Loc. cit. in Epist. Triad. p. 27.

Digitized by Google

Veterum dicta imitatus, ſcripſit *Wyttenbachius* (*): „ *nos nimirum in noſtris ipſos vitiis coecutire, in alienis vero acute cernere.*"

E. Ad omnia quidem, quibus me quaſi obruitis, et, ſi fas ſit dicere, aures obtunditis, ſingillatim respondere longum foret. Igitur tantum repetam hîc, quod me olim meus monuit *Mahnius* (†): „ *pueriliter agere, qui optimae aetatis Poëtarum verba, proprie adhibita, a proſa orationis ſcriptione abeſſe velint.*"

CL. Pulchre, mehercle! et pulcherrime hoc tuus iste *Mahnius* dixit! Sed ſimul fatearis, *Hemerti*, hunc tuum hominem, ejusque magistrum *Wyttenbachium*, totumque *Sodalium Socraticorum* gregem, non *pueriliter* tantum, verum etiam *ſtultiſſime* agere, te reprehendentes, et objurgantes, et contumelioſe ridentes, propter uſum voculae *forſan*, quam, ne de Te-

(*) Orat. de vi et efficaciâ historiae ad ſtudium virtutis. p. 37.

(*) loc. cit. in Epist. Triad. p. 28.

Digitized by Google

Terentio aliisque Poëtis dicam, *Curtius* historicus usurpavit. Tam verum est, quod dixit *Cicero* (*): „ *Proprium est stultitiae, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum!*"

E. Ah! *Clinia*, *Clinia!* demuo oblivisceris; *duo cum faciunt idem, non esse idem!* Hanc enim quantivis pretii regulam nisi quis firmiter teneat, fieri ommino nequit, quin de meis hisce Viris praeposterum ferat judicium.

CL. Perquam sane magnam licentiam tuis esse hominibus intelligo.

E. Non est, quod mirere. Quo enim funguntur, Sacerdotium, uti valde amplum est atque laboriosum, ita multarum illud rerum habet immunitates: in quibus et haec est, ut hi νεώκοροι eisdem, quibus illi, quos observant, viri, in dicendo scribendoque regulis nequaquam sint adstricti.

MEG. Papae! Mira quidem nobis de hisce hominibus eorumque sacerdotali narras licentiâ.

Sci-

(*) Tusc. disp. III. 30.

Digitized by Google

Scire autem aveo, quinam hujus sint licentiae fines, an vero nullos ea, quibus circumscribatur, habeat.

E. Omnino habet, *Megille.* Neque enim his Viris *omnia*, quae libet, facere est integrum. Intra limites igitur *orationis Latinae* illorum continetur licentia. Tu vero *quid*, quaeso, ita rogas?

Meg. Putabam equidem, *nihil* illis *non* licere, atque adeo eos, ut ita dicam, *prorsus esse exleges.*

E. Quî tandem hoc animum tuum induxisti?

Meg. Quoniam ab illis non *voces* solum *phrasesque integras* usurpari video, quas, quocunque tu adhibeas, toties *barbaras* esse clamitant; verum alia etiam ab eis fieri, quae eadem tibi fere, gravissimi loco sceleris, exprobrant.

E. Nondum satis intelligo, quo tandem tendas.

Meg.

Mag. Igitur, si placet, rem explicabo. *Furti* te, seu *plagii*, *Wyttenbachius* accusârat, in *Philomathiâ*: cujus malevolentissimi hominis accusationem, etsi a te, meo quidem judicio, satis superque refutatam, identidem repetunt, suoque modo confirmant Sodales in *Epistolis*. Quo autem sensu te *furari* perhibent, eodem plane et ipsos *furari* deprehendo. Primum namque, te *furem* vocitant, quod phrases formasque dicendi, quin et singulares voces usurpas, quae apud alios auctores leguntur: perinde ac si *Wyttenbachius* ejusque collusores voces dictionesque, quibus solent uti, non item ipsi ex aliis quibuscunque assumerent scriptoribus. Tum tibi hoc nomen impertiunt *furis*, quod hîc illic loca quaedam adumbras Veterum, nec tamen, quos imiteris, illorum semper apponis nomina. Exemplo sit hoc, quod ad *Wyttenbachium* scripsisti (*): „Existimo, non tam mihi a *te* factam injuriam esse, quam ab *eis*, si quorum aures forte esse ad hanc tuam calumniam garrulitatemque patuerint." Quo in loco cum *Ciceronem* sis imi-

(*) Triad. Epist. p. 168.

imitatus, ad eundem fere modum loquentem (*), *gravissimum* a te commissum esse *furtum*, Sodales clamant (†): quâ quidem in re, si vere judicent hi, optimos certe quosque scriptores, ipsumque adeo Sodalium ducem *Wyttenbachium*, ejusdem habes criminis socios. Tandem et propterea te *furem* dicunt, quod dicta quaedam Veterum, suppressis *Scriptorum* nominibus, ad usus tuos aliquoties aptas. *Sic*, ut hoc utar exemplo, trita haec *Terentiana*, in tuis ad *Wyttenbachium* epistolis, adhibuisti (§): *non mea est simulatio: in portu navigo: nullâ utor circumitione: intellixin', an nondum etiam ne hoc quidem?* aliaque id genus plura, quae *mera furta* appellat *Mahnius*, non intelligens, quam suo se ipse gladio jugulet, quamque, hac ipsâ criminatione, et sibi, et suis Sodalibus, et Sodalium duci, *Danielli Wyttenbachio*, *furti* scelus impingat. Quid enim? Nonne similia *furta*, si modo *furta* sint,

(*) „ Non tam, inquit *Cicero*, mihi videntur injuriam facere hi, qui haec disputant, quam si cujus aures ad hanc disputationem patent." Ad *Appium* III. ad Div. Ep. 8.

(†) Epist. Sod. p. 274.

(§) Ibid. p. 275.

Digitized by Google

ſint, hi omnes commiſerunt ipſi? Illud, verbi cauſâ, quod *Wyttenbachius*, te pro more ſuo lacesſens, alicubi dixit (*): *ab invalido jaculatore miſſa tela usque ad me pervenire non potuere*; nonne e *Senecâ*, aut, ſi mavis, ex *Homero* ſumtum est? Quod ejusdem istius Viri adulatores dicunt (†): *Wyttenbachii laudem ſupra jactum eſſe telorum hostilium poſitam:* nonne eidem ſurripuerunt *Senecae?* Quid? quod *Horatiana* quam plurima, ſuppreſſo nomine, adhibent *Mahnius* ejusque Gregales; verbi cauſâ (§): *Wyttenbachium ſumma virtus Dis miscet ſuperis: hunc tu, Romane, caveto: vertice ſummo ſidera tangam;* et ſimilia multa, quae ſtudioſe non conquiram. Plurimi denique veterum Poëtarum verſus, prorſus non additis illorum nominibus (*), in *Sodalium Epistolis* citantur.

E. Enimvero, *Megille*, quam hac de re Soda-

(*) Biblioth. Crit. Vol. III. P. IV. p. 59.
(†) Epist. Sod. p. 34.
(§) Praefat. p. 43. et Epist. Sod. p. 84. 348.
(*) Praefat. p. 40. 42. 44. et Epist. Sod. p. 8. 17. 21. 54. 383. 385. 388. et alibi.

Digitized by Google

dales tulerunt legem, ignorare videris. En ipsa illorum verba, sapientiae quippe plenissima (*)! *Si minus notum est dictum, auctor nominatur: sin ita vulgo notum, ut propemodum proverbii instar sit, putidum est, eum nominare.*

MEG. Putidum sane et maxime ridiculum equidem esse existimo, hosce legislatores denuo sibi tam parum constare, ut, quam aliis dictatoriâ quasi auctoritate praescribant, eandem legem ipsi quâvis occasione violent. Quis enim dixerit, verbi causâ, *vulgo notos* esse, quos afferunt (†), versus:

nam neque nos agere hoc Patriaï tempore iniquo possumus aequo animo? caet.

neque tamen nomen apponunt, cujus sunt, *Lucretii* (§). Nec *vulgo notus* est profecto ille *Horatii* versus (*), quem, *suppresso* nomine, adhibet *Mahnius*, hisce verbis (‡): „ *Wyttenbachius* is-

(*) Ibid. p. 69.
(†) Ibid. p. 21.
(§) I. 42 seqq.
(*) Serm. II. 3. 248.
(‡) Epist. Sod. p. 314.

Digitized by Google

istos pusillos homines, ut pueros, *in arundine equitare finit.*" Ne jam dicam, Sodales et in eo sibi nequaquam constare, quod, cum *parce*, *opportune*, *modesteque* Poëtarum dicta orationi esse interponenda moneant (*), ipsi tamen ea *temere*, *intempestive*, *effuse* orationi suae, quâvis fere paginâ, inferciant (†)

E. Atqui literis tamen *obliquis* utuntur Sodales, aliena dicta orationi interponentes.

MEG. Ita ut fiat, velle videntur (§). Nec tamen ipsi *semper* faciunt. *Mahnius*, exempli causâ, *Horatianum* illud adhibens: *in arundine equitare:* solitis utitur typorum formulis. Tu vero, aliena orationi tuae interponens, *obliquis* saepe literis uteris: quod nec *Mahnius* ipse, quantuslibet obtrectator, diffiteri audet (*).

CL. Ex eis, quae disputantes vos audio, satis me judice apparet, aut Sodales, illorumque

(*) Ibid. p. 68.
(†) Ibid. p. 68.
(§) Ibid. p. 275. et 276.
(*) Ibid. p. 276.

Digitized by Google

que principem *Wyttenbachium*, ipſos *furti*, cujusmodi te accuſant, reos eſſe, aut, niſi ſint, in hac quoque, tibi ab illis impactâ, *furti* dicâ, praedictam valere *Mahnii* regulam: „ duo cum faciunt idem, non est idem: " quam tamen regulam tu, *Hemerti*, ad *ſolam Latinae orationis licentiam* pertinere putabas. Sin autem neque hoc, neque illud concedere velis, dicendum unice restat, hancce Sodalium criminationem plane eſſe falſam, eoque tantum effictam conſilio, ut te, quo tamen, ut ais, neminem plus diligunt, quoad ejus fieri poſſit, deprimant, vituperandoque affligant.

E. Phui! *Clinia*, pudeat te de *Sodalibus Socraticis* illorumque Duce tale quid ſuſpicari; quod cadere, niſi in istos, nequit, qui, ut *Ruhnkenianis* utar (*), „ *ex ſtudiis nullum, niſi eruditionis, fructum petunt: cujus vis quae potest eſſe in animum et mores?* " *Archiganes* vero, quem in omnibus Sodales ducem ſequuntur, *non unam eruditionem, ſed inprimis vitae et morum elegantiam, omnino-que veram ſapientiam e Literis ſibi hauriendam ducit.* Neque *hauriendam* tantum *ducit*, ſed

(*) Elog. *Tib. Hemſterh.* Opusc. p. 35.

Digitized by Google

ſed vero *hauſit*, ac quotidie *haurire pergit.* Quare nequaquam vereor de ipſo dicere, quod de *Hemſterhuſio* idem olim *Ruhnkenius* (*): „ *Cujus ille famam et existimationem unquam ſcriptis ſuis laeſit? Cujus diſſenſionem, in tanto doctrinae faſtigio, non facile ac leniter tulit? Ne tum quidem — —*

CL. Noli, ô bone! hoc jam ulterius perſequi, verbisque amplificare. Etenim palam est, et omnium ante oculos poſitum, quanta tui ſit *Archigenis* ſapientia, quanta humanitas, quanta vitae morumque elegantia!!

E. Est profecto *Archigenis* mei humanitas, et mitiſſimum de aliis judicium, par ejusdem doctrinae. Unde augurari liceat, talem Virum, tot tantisque virtutibus praeditum, ſummâque elucentem doctrinâ, in *Gallici Inſtituti* ſocietatem aliquando iri adſcitum.

CL. Quod ſi verum ſit augurium, habebis quod tuo amico, tandem votorum participi, gratuleris. Verum, misſis his, dic igitur, velisne *Mahnii* regulam ad *furta* quoque extendamus?

E. Per

(*) Ibid. p. 34.

Digitized by Google

E. Per me licet, si quidem opus esse videtur.

Cl. Rem velim recte reputes, *Hemerti*. Quo igitur te accusant sensu, eodem Sodalibus νεωκόροις integrum esse ponis *furari*; quemadmodum et illis, ut vidimus, *barbaris* esse licet, quo nimirum sensu te *barbarum* esse clamitant. Hanccine ergo *tuam* esse opinionem, affirmas?

E. Videntur certe, secundum ea, quae disputasti, utrâque hac, quam dicis, in causâ, non iisdem Sodales, quibus nos caeterique homines, adstricti esse regulis: ita quidem, ut illi, plane quamvis eâdem, quâ nos, ratione βαρβαρίζοντες, tamen nequaquam *barbari*, eodemque, quo nos, modo *furantes*, minime *fures* sint habendi.

Meg. Neque intra hos quidem fines licentiam Sodalium, quamvis maximam, contineri existimo. Mihi quippe, ut ante significavi (*), videntur illi *prorsus esse exleges*.

E. Hem! iterum novi quid! Argumenta vero, si qua habeas, scire equidem gestio. Quod enim

(*) Vid. supra p. 142.

Digitized by Google

enim tibi nunc promere libet, quibus id nitatur fundamentis, cum ignarisſimis ignoro.

Meg. Quae quaeris argumenta, in promtu ſunt atque propatulo. Apparet enim, Sodales non tantum eodem, quo te accuſant, ſenſu, βαρβαρίζειν, eodemque *furta committere*; verum quoque *malitioſe conviciari*, itemque *impudenter* mentiri, atque eos, qui illis calumniantibus et mendacisſima convicia effundentibus libere obloquantur, quocunque tandem modo affligere.

E. Ain' vero tu, Sodales Socraticos calumniari, conviciari, mentiri? Ego ſane aperte fateor, me hominum amabilisſimorum patientiam, animique, quâ me *indoctum*, *barbarum*, *inſanientem* tractârunt, ſingularem moderationem demirari ſatis non poſſe.

Meg. Et ego tuorum hominum, amabilisſimorum ſcilicet! inexhauſtam demiror fellis copiam. Etenim *a principio* Epistolarum *ad finem fel est merum*: mera ſunt convicia, mera mendacia, merae, eaeque ſtultisſimae ac malevolentisſimae, obtrectationes. *Atque hic ſenſus unicuique* Epistolarum *librum vel inſpicienti oboritur: magis etiam iis, qui totum legunt; qui pauci ſunt tantâ vel aviditate vel patien-*

Digitized by Google

ti?. *Adeo est unus et idem ubique inhumanitatis clamor et caninus latratus* (*).

E. Non is ego sum, *Megille*, qui Socraticos Sodales, meumque inprimis *Archigenem*, fellis copiâ abundare, praefracte negem. Verum, quaeso te, cogita, illius fellis quanta sit vis ἰατρικὴ! Tanta nimirum, quâ Viri hi mirifici *mentis linguaeque me purgârint sordibus!* Dein, et hoc tecum considera pii *Mahnii* dictum: *Patriam, quâ bono civi nihil sit carius*, Sodales *esse obtestatam, ut illud* mihi, ex ipsorum felle compositum, *καθάρσιον adhiberent! Recte igitur illi quidem, et e republicâ: cui per iteratam hanc operam* non dubito quin *satisfecerint* (†)*!!!*

Cl. Mira profecto est atque inaudita medendi ratio, quam isti sequuntur mirifici homines, *in te*, quem sanare velint, *aegrum maledicentiae sordes, e triviis collectas, et mendacissimorum conviciorum diluvium emittentes* (*).

E. Hanc

(*) Epist. Sod. p. 22.
(†) Ibid. p. 13, et Praefat. p. 44.
(§) Epist. Sod. p. 13.

Digitized by Google

E. Hanc tamen praestantisſimam esſe *medendi* rationem, meo quidem exemplo luculenter apparet. Quod vero ad ea attinet, quae tu *mendacia* appellas, et quae *aliquam* certe prae ſe ferre *mendaciorum* ſpeciem diffiteri nolim, in *piis* ego *fraudibus* illa esſe reponenda judico. Et ipſe olim, hac ſpecie deceptus, proh pudor! *Archigenem*, at quantum, quamque veracem ſanctumque Virum! *mendacisſimum esſe conviciatorem*, et ſtulte putavi, et identidem indicavi: nunc vero, ſanatus ac meliora edoctus, *Archigenis* Sodaliumque, etiam cum impudentisſime mentiantur, demiror pietatem. Optimo quippe id conſilio, atque *e re publicâ* faciunt! Nec dubito, quin hi Viri, priscam quorumdam amplexati Theologorum doctrinam, *mendacia*, quae bono fiant conſilio, *veris peccatis* eximant, eaque *piis fraudibus*, ſive, ut ita dicam, *quaſi-mendaciis*, ſeu *mendaciolis*, adnumeranda cenſeant.

Meg. Per *Jovem!* ut haec distinctio bella est, Sodaliumque perdigna ingenio! Igitur, ut intelligo, nec *mendacium* est, ſed *pia* ſcilicet *Mahnii fraus*, cum ſcribit (*), te *Ciceronis*, *Te-*

(*) Ibid. Praefat. p. 38.

Terentii aliorumque phraſes *propterea* uſurpaſſe, *quod cum tua Latinitatis penuriâ non poſſes dicere, quae cogitares.* Nec *mendacium* est, ſed *quaſi-mendacium Wyttenbachii* Sodaliumque, aſſeverantium (*), te *inſanire*, et *plane eſſe barbarum*, atque eo usque indoctum, ut *Wyttenbachianae doctrinae vim et praestantiam ne cogitando quidem poſſis aſſequi.* Similiter *fraus* est *pia*, cum dicunt (†), te, *quos citas, auctores veteres ignorare*, et *in Graecis, ſi forte, Iliadem et Hippolytum, in Latinis pauca Ciceronis et Terentium legiſſe;* et *Boſchio*, carmina ſua edenti, gratulantem, *ſtellis nebulam ſparſiſſe candidis* (§);

eun-

(*) Epist. Sod. p. 85, et pasſim.

(†) Ibid. p. 250.

(§) Hic locus ne obſcurus Lectori videatur, ſciat, me olim, anno 1803, Amico meo *Boſchio*, carmina ſua collecta, novisque adaucta, in lucem proferenti, hisce qualibuscunque verſiculis fuisſe congratulatum:

„ Ite novo cultu, tandem reſoluta latebris,
Carmina, quae Vati casta Thalia dedit!
Ite ſalutatum numeroſa Poëmata Amicos,
Quos movet afflatae nobile mentis opus,
Quos juvat et Veneris ſpecies germana Latinae,
Et lepor, Auſoniâ qualis in Urbe fuit!
Salvete ingenii documenta perennia *Boſchii!*

Au-

Digitized by Google

eundemque hunc *Bosſchium*, aliumve quempiam ex amicis tuis, epistolas, quas ad *Wyttenbachium* ſcripſisti, antea quam a te ederentur, *vidisſe atque emendasſe* (*). *Fraus* est, ſcilicet *pia*, Sodalium, cum non verentur ſcribere (†) te *inceptorem* esſe pugnae cum *Wyttenbachio*, et *ebrio ſimilem adolescenti, e popinâ noctu prodeunti, adverſariumque domi dormientem clamore ac convicio lacesſenti. Fraus* est *pia* (§), *Wyttenbachium* tuos libellos,

---

Aura Poëtarum vos manet. Ite foras!
Ite foras! Phoebi valeat quid doctus Alumnus,
Quid valeat *Bosſchi* Suada docete mei.
Ite! renascentem Patriae defendite honorem,
Quo caput extollat Muſa Batava ſuum!
Sic tua Romanis ſocientur carmina plectris,
Par ſit et Auſoniae fama, Poëta, lyrae!

Quos verſus, *humaniter*, ut ſolet, *modiceque* reprehendere volens *Wyttenbachius*, ſive *Mahnius*, „Et *tu*, inquit, in poëtis çenſeri voluisti, ac *ſtellis nebulam ſpargere candidis:* in *Bosſchii* nostri carminibus inter multos gratulatores tu tuum quoque epigramma dedicasti! Quidni enim faceres? qui tam pulchre proſam ſcribas, cui omnia adſint ad ſcribendum ſubſidia, audacia, ignorantia, compilatio, furacitas." caet.

(*) Epist. Sod. p. 248 et alibi.

(†) Ibid. p. 10. 137, et Praefat. p. 46. 47.

(§) Ibid. praefat. p. 35.

Digitized by Google

los, *raptim inſpectos, eodem puncto temporis, in ejusmodi angulum depoſuisſe, unde ei non facile in manus redirent;* ſive, quae ejusdem est historiae varians lectio (*), *Wyttenbachium* tuam Epistolarum Triada, *paginis nondum apertis plicatam, continuo ad Sodales miſisſe. Fraus* est, quod perhibet *Mahnius* (†), te, cum dixeris, *Wyttenbachium* cum *Mahnio luſum luſisſe*, hisce verbis, quae tute ipſe satis explicuisti, duobus istis hominibus crimen exprobrare voluisſe, quod *Plato* τὸ παρὰ φύσιν τόλμημα appellavit: quâ certe criminatione, ut verbis utar *Senecae* (§), *gratiam captavit Mahnius, injuriam fingens, ut videretur doluisſe factam.* Ex eodem est *fraudum* genere, quod talia tibi *Mahnius* imputat, quae nequaquam a te, verum a *Wyttenbachio* sunt prolata. Narrat, exempli causâ (*), a te adhibitam esſe hancce dictionem sacram: *ut impleretur quod ſcriptum est;* foedumque hunc *Hebraïsmum*, a *Wyttenbachio*, in *tuo* sermone, esſe

(*) Epist. Sod. p. 21.
(†) Ibid. Praefat. p. 38. 39.
(§) De Irâ. L. II. c. 29.
(*) Epist. Sod. p. 240.

Digitized by Google

esse *notatum:* quo quidem mendacio, utut *pio*, nullum proferri potest impudentius; videt enim unusquisque Lector, cui tanti sit tantillam rem inquirere, suis ipse oculis, *te* non a *Wyttenbachio*, sed, contra, *hunc* a *te*, propter hanc, *ab ipso* petulanter usurpatam, dicendi formulam, jure reprehensum esse (*). Ad easdem *fraudes* item refero quidquid est fabularum, quibus narrandis Sodales delectari videntur: velut de *amicis tuis te calefacientibus*, *ad scribendum impellentibus*, et a te, peracto opere, *ad gratulationem* quasi *coenamque vocatis* (†); de *Boschio*, modo *tuam*, modo *Wyttenbachii* adjuvante causam, et Vos invicem, alterum contra alterum excitante; et dein, post hoc singularis nequitiae patratum scelus, pueri instar, nec sine lacrymis atque ejulatu, *Wyttenbachium* denuo adeunte, fidemque obtestante amicitiae, te bonum scilicet patientemque hunc virum, *se invito ac dehortante*, *insectatum* et olim fuisse, et adhucdum *insectari* (§) — —

C L.

(*) Triad. Epist. p. 149, Collat. cum *Wyttenb.* Philomath. L. I. p. 136.

(†) Epist. Sod. p. 14. 15. 16.

(§) Ibid. p. 84. 247. 248.

Digitized by Google

CL. Hem! tu, *Megille*, totumne igitur mendaciorum *Danielis Wyttenbachii* sterquilinium jam una egerere paras? *Sodalium* enim *Epistolas* quotquot perlegére, quamquam paucos fuisse suspicor tantâ cupiditate, tantâque patientiâ, uno tamen hi omnes ore confitentur, totum istud spissum volumen nihil sibi aliud esse videri nisi *unam*, eamque *continuam*, *fraudem* atque *fallaciam*: ut fere tot sint numero fraudes, quot libri paginae. Quod cum ita sit, vix invenias, quod *Wyttenbachio* Sodalibusque, si mali quid imprecari velis, impreceris gravius malum, quam quod ipsi arcessiverunt sibi: si quidem suis hisce rationibus sese traduxerunt maxime, ipsisque, quos, credo, *per paucos* habent, amicis pudorem injecerunt.

E. Fateor, *Clinia*, me non posse non tuam maxime *Megillique* demirari stupiditatem, qui hasce, quas Vestrum uterque crepat, *fraudes* non intelligatis *summe* esse *pias*, id est *pio bonoque* a Sodalibus effictas consilio, ut me *aegrum* et *balbutientem*, cum *mentis*, tum *linguae*, *purgarent sordibus!*

MEG. Quin tu dic potius, ut, si quâ possent

ſent ratione, te prorſus prosternerent, ſtratumque penitus perderent.

E. Ah, ah! quo tandem ruitis?
Parcius ista Viris tamen objicienda memento (*).

Cl. Heus, *Hemerti!* ſcapham nos quidem, antiquo more, ſcapham dicamus, argutamque, quam tibi afferre libuit, *mendaciorum* distinctionem, ſimilesque artes, paene dixerim *veteratorias*, relinquamus Sodalibus, ſive, quae nuper renata est Νεωκόρων Societati, cujus nec ſocii nos unquam fuimus, neque ullâ esſe ratione cupimus.

Quae cum dixisſet *Clinias*, atque inſuper mentionem inchoasſet cujusdam cenſurae *Phaedonis Platonici*, a meo editi *Archigene*, quam, amabilisſimo huic Viro non valde honorificam, a *Jenenſibus* Eruditis nuper *Ephemeridibus* ſuis (†) in-

(*) *Virgil.* Ecl. III.

(†) *Jenaïſche allgemeine Litteratur-zeitung.* Zehnter Jahrgang. Januar 1813. S. 137—158.

Digitized by Google

inſertam eſſe ajebat, age, inquit, *Megillum* adſpiciens, domum redeamus: etenim jam advesperascit, et hinc ad praedium nostrum non brevis adeo est deambulatio. Cui *Megillus*, tempestive, inquit, mones; et ſubvereor etiam, ne, quae a nobis, contra *Wyttenbachium* ejusque Gregales, quâ *Batavos* decet, libertate ſunt disputata, *Hemertio*, qui illos oculis *plus* ſuis diligit, jam dudum displicuerint. *Tum* ego: quamquam facile me a Vobis vinci poſſe, certo ſcio, *Sodalium* tamen cauſam a me deſeri, dum quidem ſpirare potero, nefas judico. Haec cum eſſent dicta, ita discesſimus, ut *Megillo Cliniaeque* ſua disputatio verior, mihi (quippe purgato cum maxime ac perſanato) mea ad veritatis ſimilitudinem videretur *eſſe* propenſior (*)

(*) Imitatio est *Ciceronis*, de Nat. Deor. L. III. ſub finem.

Digitized by Google

ERRATA.

P. 30	l. 6.	gentilium	leg.	gentilitium.
57	l. 1.	inquo	—	in quo.
67	l. 9.	*Titmannus*	—	*Tittmannus.*
72	l. 6.	tua verba	—	tua, *Hemerti*, verba.
88	l. 14.	prepoſuisti	—	praepoſuisti.
135	l. 16.	antum	—	tantum.
144	l. 13.	intellexin'	—	intellextin'.

Caeterum, p. 84 l. 9 ponatur *comma* post verba: quae tu: item p. 94 l. 5 post: quod ajunt. Denique, post: inquinent: p. 96 l. 5 *ſignum* ponatur *interrogandi.*

Digitized by Google

Digitized by Google

DAN. WYTTENBACHII

PRAECEPTA

PHILOSOPHIAE

LOGICAE.

TRAJECTI AD RHENUM

APUD JOH. ALTHEER.

MDCCCXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS

AMPLISSIMIS AC MAGNIFICIS,

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS

CONSULIBUS,

ET

ILLUSTRIS ATHENAEI
CURATORIBUS,

EGBERTO DE VRY TEMMINCK,
CONSULI ET CURATORI.

GUILELMO HUYGHENS,
CONSULARI ET CURATORI.

HENRICO HOOFT, CONSULI,

PETRO CLIFFORD,
CONSULARI ET CURATORI,

JOACHIMO RENDORP, CONSULI,

JACOBO ELIAS, CONSULI,

D. D.

DANIEL WYTTENBACH.

Digitized by Google

T

Solent fere, qui ſcripta ſua principibus in re publica viris dicant, rationes conſilii ſui e longinquo repetere, et ambitioſa oratione exornare. Quod mihi quidem eo minus faciundum est, quod rationes meae ex re ipsa natae ſunt, neque verborum ornatum deſiderant. Eram in ipſa hujus libelli ſcriptione occupatus, quum inſtauratam in vestro Athenaeo Philoſophiae profeſſionem mihi mandabatis. Et erat ejus beneficii eo major vis, quo plus erat et in Vobis dantibus auctoritatis, et in me accipiente ſtudii. Itaque nil propius videbatur, quam ut ipſum, quod tunc in manibus habebam, opus,

vo-

Digitized by Google

vobis continuo in specimen grati animi destinarem. Neque vero necessario magis quam jucundo fungor officio. Vestra, V. A., virtus effecit, ut, quod honeste negligere non possem, lubenter agerem. Ad privatum beneficium accedit aliud haud paulo majus, quod ad communem patriae utilitatem refertur. Ita enim se res habet, ut quo quisque sit vir et civis melior, eo majori studio et amore, vestram publicae salutis curam et pietatem prosequatur. Quod si hic est unius cujusque civis animus: quo tandem modo affecti esse debent ii, qui doctrinas etiam colunt, qui eas adeo profitentur, qui eam denique profitentur, quae mater et procreatrix est omnis boni atque honesti, Philosophiam. Equidem hoc unum dicam: vehementer me laetari, hanc mihi oblatam esse occasionem, qua hunc animi mei sensum ex ta-

Digitized by Google

cita conscientia ad publicam notitiam promere possem. Hoc velim, Viri Amplissimi et Magnifici, de me vobis persuadeatis; et Tu, TEMMINCKI, cujus in summa senectute virtutem et sapientiam veluti lumen intuemur et suspicimus: et Vos, ejusdem laudis socii, Consules et Curatores reliqui. Atque, ut non vulgari consuetudine, sed incorrupto bonorum judicio, Patriae Patres salutamini: ita vobis D. O. M. digna hoc nomine et hac virtute tribuat praemia.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

L. S.

Quum non fere alio librorum genere magis abundet atque adeo laboret erudita civitas, quam ea quo Logicae praecepta traduntur; suspicor multos fore, qui mirentur, quid sit, quod istam multitudinem hujus libelli editione augere non dubitaverim. Quibus ego si respondeam, esse hanc diudum pervulgatam consuetudinem, ut, qui aliquam disciplinam profiteantur et in scholis explicent, ejus quoque compendium ipsi conscribant; vere quidem dicam, neque tamen rationem secutus videar in conscribenda hac disciplina, quae nomine ipsa suo rationem profitetur. Quod si vero affirmem, unice me necessitatis lege ad hanc scriptionem redactum esse; justam quidem adferam rationem, sed eandem apud multos parum verisimilem. Igitur, ut omnem a me vanitatis temeritatisve suspicionem amoveam, facere non possum, quin, quod mihi scribendi consilium fuerit, diligenter exponam.

Postcoquam ad me delatum est munus, cujus haud minima pars in Logicae institutione versatur, nil mihi prius fuit, quam ut libellum circumspicerem Latinum, ad Veterum rationem compositum, quique haberet conjunctum et rerum et orationis bonitatem. Neque putabam fore, ut is in tanta

Digitized by Google

compendiorum multitudine diu quaerendus esset. At res praeter opinionem cecidit. Erant quidem libelli, neque adeo pauci, rerum bonitate minime contemnendi, sed quorum oratio a Veterum ratione plane abhorreret. Quibus equidem uti nec potui, nec volui. Qui vero, ab orationis rerumque bonitate commendarentur, tres omnino erant: quo a Jacobo Facciolato scripti, Rudimenta Logica *et* Institutiones Logicae Peripateticae: *tertius ab J. A. Ernesto, in* initiis Doctrinae Solidioris. *Si, praeter hos, alii auctores hanc orationis laudem suis ipsi compendiis tribuant, eorumque mentionem nullam a me factam inique ferant, hos rogo, ne judicium meum a superbia potius quam ignoratione profectum existiment. Ceterum Facciolati atque Ernesti libros quamquam omnibus elegantis doctrinae studiosis vehementer commendo, tamen ad meorum quidem scholarum usum adhibere non potui. Hic, ut ipse profitetur, scriptionem inferiori cuidam juventum aetati accommodavit: ille Peripateticam doctrinam unice spectavit: uterque haud una in parte cum formae tum materiae longius discessit a meo consilio, quod subinde aliam rationem et locorum ab iis omissorum tractationem postularet. Itaque ipse me dedi ad conscribendum compendium: ea quidem cogitatione, non ut putarem, me operam in re levi et contemnenda ponere: sed, ut in animum induxerem, id me suscepisse negotii, ut Philosophiae, quae disciplinis reliquis omnibus ubertate ac dignitate praestaret, quasi instrumentum conficerem.*

Erunt

Erunt procul dubio, qui hanc religionem rideant, unam Logicae magistram esse naturam contendant, omnia artis praecepta compendiaque ad scholasticas sordes abjiciant. Qui quidem in naturae laude me assentientem habent: si modo ipsi intelligunt, quid naturae nomine sibi velint, quamque vim ei tribuendam existiment. Si vero nec ars aliunde quam a natura proficiscitur, in ejusque adeo perfectione consistit; non est profecto, quod istos naturae laudatores moremur, qui artem ambitiose contemnunt, ut ingenio nimirum ipsi valere videantur.

Sunt vero etiam qui doctrinae elegantiam profiteantur, eamque in grata quadam et naturali, ut ajunt, methodi negligentia ponant: quique sibi et aliis eleganter philosophari videantur, quum, repudiata definiendi argumentandique diligentia, verborum flores ac sententiarum acumina consectantur, et orationis cursu feruntur nullis Dialecticae legibus adstricto. A quibus ego ita dissentio, ut nolim eorum judicio elegans haberi. Enimvero, quis turpior esse potest error, quam suam negligentiam ad communem rerum naturam referre, quae longissime abest a temeritate, et potius certam viam rationemque sequitur? Atqui hanc viam Dialectica, veluti speculatrix ac venatrix naturae, certis vestigiis indagat, describit, descriptam ad communem utilitatem proponit; ut mens tamquam in tabula iter suum ipsa cognoscat, neque in vero quaerendo temere vagetur, aut caeco impetu feratur. At, inquiunt, Dialectica de Syllogismorum figuris et

modis multa praecipit, quae abhorreant ab elegantia doctrinae, et plena sint nugarum, utilitatis inania. Audio: neque nego, multa esse compendia de quibus illa reprehensio valeat. Sed idem ego illud contendo; qui ex inanibus vera utilibusque non seligant, minime capere veram vim elegantiae. Nam et ipsi profecto Syllogismi positi sunt in re et natura, quippe quos mens ipsa tacite sequitur: et elegantia suo nomine profitetur, se judicium delectumque rebus adhibere, ex iisque utilissimas quasque seligere, et certa ratione ad usum convertere. Quod si denique auctoritas aliquid valet, possumus excitare Platonem, Aristotelem, Ciceronem, aliosque Veterum bene multos, quibus nemo facile summam et Philosophiae et elegantiae laudem denegaverit. Hi ergo, si Dialecticae maximam vim tribuerunt, si in definiendo diligentiam, in dividendo acumen, in argumentando subtilitatem secuti sunt; quid est, quin ad eorum potius nos auctoritatem conferamus, quam imperitorum istorum elegantiae laudatorum oculis reprehensionibusque commoveamur?

Alii sunt, quorum judicium nescio an magis verendum sit, minime illi Dialecticae, sed tamen compendiorum, contemtores: qui nupperrime ejusmodi viam ingressi sunt, qua illius disciplinae praecepta per interpretationem Platonicorum dialogorum confirmantur. Hi forte mirabuntur, quid sit, quod ad compendii angustias descendere, quam Socraticam venustatem sequi, malucrim: praesertim quum ipse profitear, me consilium meum ad Veterum studium re-

Digitized by Google

retulisse. Sane dicunt aliquid: neque tamen tantum, ut me hujus scriptionis poeniteat. Ego interpretationem Platonicorum dialogorum verissimum Dialecticae exercitium esse judico, sed ita, si cognitio ipsius artis praecesserit, qua legentium ingenia imbuta veluti admuneantur, quid quoque loco, quibusque de causis, recte secusve disputatum sit. Socratica methodo, ceterae quidem disciplinae melius discuntur, Dialectica vero melius exercetur, quippe quae non tam rebus quam ratione continetur. Praecepta verius brevlusque traduntur methodo Analytica, quae paucis generalibus formulis magnam complecitur et quasi parit copiam legum peculiarium. Interpretatio dialogorum Syntheticam sequitur methodum, quae majorem quidem facilitatem et jucunditatem habet ilronum ingeniis, ceterum longiori ambitu progreditur, a peculiaribus ad generalia nitens, neque fere plenam legum summam assequitur. Igitur, quum certa doctrina veluti fundamentis nitatur utraque methodo, eumque Praecepta scientiam, Interpretatio usum adferant; perperam faciunt, qui alterum colunt, alterum repudiant, nec utrumque assumant. Neque vero capiunt Platonis consilium, qui putant, eum praecepta compendiosae artis Dialecticae contemsisse. Ille quidem, ut nullius disciplinae, ita nec Dialecticae, compendium reliquit. Verum tamen quum Dialecticae summam auctoritatem tribueret, eamque in recto utriusque methodi usu poneret, putemusne, eum, in illa ipsa disciplina tradenda, Analyticam et compendiariam me-

methodum neglexisse? Atqui, et celebrat eam, ut artem artium, et subinde in Dialogis ita versatur, ut ii, cum quibus disserit, Dialecticae cognitione imbuti esse debuerint. Et qui postea fuerunt, quique omnes se vel Socraticos vel Platonicos dici haberique voluerunt, veteres Academici, Peripatetici, Stoici, non solum reliquas Philosophiae partes, sed Dialecticam quoque, ad artis formulam redegerunt. Et Cicero, unus omnium Platonis studiosissimus, Dialecticae scientiam ex disciplina Stoicorum assumsit, accurata et diligente quidem, sed tamen formularia et compendiaria. His igitur a aliis multis rationibus, quas longum est referre, quum compendiorum auctoritas vindicetur, putavi, me rem haudquaquam a Veterum instituto abhorrentem aggressurum, si compendium Dialecticae ipse conscriberem.

Et materiam quidem in quatuor descripsi partes. Prima est de Vero ipso, ejusque natura et generibus: tum de Vero Logico, seu Enunciatione: denique de hujus partibus, seu Ideis. Secunda est de facultatibus, quibus maxime continetur Dialecticae officium, Cognitione et Oratione. His igitur duabus partibus assumtis ex Metaphysica doctrina, at substratis veluti fundamentis, tertiam superstruxi partem, quae est de Methodo, et proprium ipsius Dialecticae munus continet. Hujus initium duxi ab explicatione variorum generum Methodi, et disputatione de Nota Veri: atque, ut in tota scriptione, ita in primis horum capitum tractatione,

ne,

Digitized by Google

ne., Veterum fontes secutus sum: quorum cognitionem et necessariam ad hunc locum, et accommodatam ad meum consilium, judicabam. Tum reliquam ejus partis materiam explicui, quae continetur Verborum usu, Dividendo, Definiendo, Argumentando in utroque Evidentiae genere: Mathematico, cujus instrumentum est Syllogismus: Probabili, qui tres formae subjectae sunt, Sensus, Testimonium, Conjectura. Quarta pars totum illum apparatum materiae componit atque convertit ad finem Dialecticae, qui positus est in Doctrinae praestantia; et sunt hujus partis duo capita, alterum de Ingenio acuendo, alterum de Fontibus Doctrinae, Experientia, Lectione, Meditatione: quibus capitibus tertium, veluti admonitionis loco, subjeci, de Fontibus Errorum. Atque tali ego descriptione putavi omnia universe contineri praecepta, quibus Dialectici institutio absolveretur.

Sequitur, ut de forma et ratione libelli dicam. Primum igitur materiam ita disposui, ut antecedentia intelligentiam sequentium aperirent: et ita rem quamque primo loco posui, ut quaeque vel sua natura, vel mentis cogitatione prior erat. Itaque, ne de aliis dicam, Enunciationes praemisi Ideis, et Definitiones non in Ideis sed in Enunciationibus posui.

Deinde, in explicanda re quaque Platonis praeceptum secutus sum, ut utriusque Methodi usum expromerem, ad eumque omnes Dialecticas leges revocarem. Et videor mihi hac ratione multis locis haud parum lucis attulisse.

Por-

Parro, vetera cum novis ita conjunxi, ut ex utrisque optima quaeque assumerem, et discentes cum ad recentiorum Logicorum praecepta rationemque cognascendam, tum ad antiquorum Dialectiorum intelligentiam vocarem. Saepius enim animadverteram, haud paucos Veterum libros, et nonnullos etiam Philosophicos et Rhetoricos Ciceronis, neglectos jacere, ad quos quippe intelligendos non sufficit recentioris Philosophiae aut Linguae Latinae scientia vulgaris, sed peculiari opus est instrumento, et veteris Philosophiae accuratiori scientia depromto. Itaque, et Veterum praecepta suo quaque loco memoravi, et locos nonnunquam in primis Ciceronis exhibui, ut tironibus exempla suppeditarem, quibus ad Antiquorum studium converterentur, et elegantioris Philosophiae sensu imbuerentur.

Denique in orationis spectavi Latinitatem et perspicuitatem, quae ipsae quodammodo sua natura inter se conjunctae sunt. Nam qui bonam sequuntur Latinitatem, facile se invicem intelligunt omnes; quippe una est ejus vox, unus vultus, qui in omnibus non sunt hospites, cognitus sonus. Contra, prava Latinitas, ut ne Latinitas quidem est, ita vel habet formas, quot sunt hominum familiarum capita. Ut enim eorum quisque alia gente ac lingua natus est, ita, patrii sermonis consuetudine deceptus, suam sibi fabricatur Latinitatem, suas voces ac dictiones, quas alii homines non magis intelligant, quam voces dictionesque prorsus vivorum et

et inauditas. Fac, te haerere in loco quodam libri bene Latine scripti: causa est in tua ignorantia, et praesto sunt subsidia intelligentiae. Fac vero etiam, te haerere in loco libri male Latine scripti: Scriptoris haec est culpa, neque praesto sunt intelligentiae subsidia. Quid enim? Vertendus est locus in linguam Scriptoris patriam: tum in linguam sectae, cui addictus est: denique in propriam ejus linguam, quam sua ipse consuetudine contraxit: ut ejus sententiam non facile assequaris, nisi ab ipso, veluti hierophante, ejusdem barbarici mysteriis initiatus fueris.

Sed perspicuitatis, quamquam magna pars ex Latinitate ipsa proficiscitur, tamen peculiarem etiam curam habui, cum in constructione, tum in verbis singulis. Itaque sedulo cavi, ne longiori aut difficiliori enunciationum compositione tironum intelligentiae impedimentum obiceretur. Qua quidem in re non meum duntaxat sensum secutus sum, sed aliorum quoque judicium adhibui. Verbis vero eam subjeci potestatem, quae cum ex ipsorum origine manaret, tum Veterum consuetudine confirmaretur. Atque hac ratione, longum est recensere, quantum barbariae ac sordium ex hoc libello circumscripserim, quantumque perspicuitatis ei adjunxerim. Magna enim est expurgandi materia, et incredibile est dictu quam sint graves errores in pervulgato recentiorum usu: veluti, quum, contra communem sensum et verborum naturam, Syntheticam vocant Methodum, quae dividit, Analyticam con-

contra, quae componit: quumque simili temeritate in aliis nominibus turbatur.

Neque vero hoc eo valuit, ut repudiandis scholasticis verbis obscuritatem contraherem. Omnino pleraque illorum vulgari ac diuturno usu eam auctoritatem nacta sunt, ut non nisi cum obscuritatis periculo negligi queant. Horum partim commemoravi ad interpretationem Latinorum nominum: partim retinui ad significandas res, si quidem illa vel ex Latinae linguae ratione, vel ex Graecae consuetudine, duci possent. Et dum ita perspicuitati studui, non vereor ne Latinitatis leges migrasse videar.

Atque haec sunt, quae hujus libelli scriptione secutus sum: assecutusne sim, alii judicent. Equidem tum operae pretium fecisse mihi videbor, quum intellexero, me hac scriptione juvenibus excolendi ingenii studiosis ad veram accuratamque doctrinam profuisse.

PRO-

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

§. 1.

Veterum definitio Philosophiae.

Non aliunde profecto hujus institutionis initium duci potest verius certiusque, quam ab ipsius Philosophiae definitione ac divisione; ut intelligatur, quem in ejus partibus locum teneat Logica, quis ejus sit finis, quodve officium. Ac *Philosophia* quidem, si nominis vis aperiatur; est *studium sapientiae*. *Sapientia* autem a veteribus Philosophis definita est, *rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia* (1). *Scientia* est firma et evidens rei ejusque causarum cognitio (2). *Res divinae humanaeque* omnem rerum omnium, quae sunt et cogitari possunt, universitatem complectuntur. *Divinae* sunt, quae ad Dei, animorum, et corporum, naturam pertinent: quarum scientia ab Antiquis vocabatur *Physica*. *Humanae* ad mores et disserendi rationem referuntur, duabusque continentur disciplinis, *Ethica* et *Dialectica* (3).

§. 2.

(1) Cic. Off. II, 2. Aristot. Metaph. I, 1, 2.
(2) Sic Stoici. vid. Sext. Emp. Adv. Math. VII, 151. Nec dissentiunt a Platone Theaetet. p. 143. A.
(3) Ernest. Clav. Cic. V. *Divinus*.

§. 2.

Recentiorum definitio Philosophiae.

Ab hacce veterum definitione recentiores verbis magis quam rebus discrepant, cum Philosophiam definiunt *scientiâ rerum omnium possibilium.* Nec enim aliud quid sibi volunt, quam ut eam dicant esse scientiam causarum, quibus efficiatur, ut qualibet res vel sit, vel fieri possit.

§. 3.

Communis de Philosophiâ notio hominum.

Ac reperiemus etiam hominum in loquendo consuetudinem, hanc vim Philosophiae adjungere, ut rerum cum omnium, tum in primis magnarum, interiorem indolem ac naturam cognoscat. Quare vulgo *historica cognitio* vocatur ea, qua quid tantum *esse* intelligitur: *philosophica* contra ea, qua quid *et esse, et quibus causis efficiatur effectumve sit*, perspicitur.

§. 4.

Philosophiae vis et potestas.

Haec Philosophiae ratio ac potestas latissime patet, neque solum reliquas disciplinas continet, sed plurimas etiam historicae cognitionis partes pervagatur. Nam, ut ad certam rerum cognitionem perveniamus, necesse habemus causas cognoscere; quod Philosophiae est. Et disciplina quaeque, ut maxime in exquirendis rerum cau-

Digitized by Google

cauſis, verſatur, ita maxime cum Philoſophia conjuncta est. Quae est Platonis ſententia, quam laudat Cicero de Or. III, 6: *Est etiam illa Platonis vera, et tibi, Catule, certe non inaudita vox, omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam ſocietatis vinculo contineri: ubi enim perſpecta vis est rationis ejus, qua cauſae rerum atque exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium quaſi conſenſus doctrinarum concentusque reperitur.* Hoc in Theologia, Jurisprudentia, Medicinaque valet: hoc in literis artibusque elegantioribus: hoc in ipſa Hiſtoria, cujus vulgo minima cum Philoſophia communio eſſe putatur. Itaque iis Scriptoribus, qui in conſcribenda hiſtoria non unice eventuum factorumque enumeratione defungunur, ſed converſionum etiam cauſas ex temporum, locorum, hominumque cognitione aperire, ingeniorumque varietate et receſſibus explicare, poſſunt: his igitur jure *ingenium philoſophicum* tribuitur.

§. 5.

Ejus ratio et materia.

Hinc intelligitur, Philoſophiae vim duabus rebus cerni; altera, *ratione modoque cognoscendi*, quae ita debet eſſe comparata, ut cauſae perſpiciantur: altera, *materia*, in qua verſatur, quae complectitur res omnes, in quas cauſarum indagatio et certa ſcientia cadere potest. Haec

vero scientia cum in rebus singularibus locum non habeat, jam nunc illud cognoscitur, quod postea pluribus explicabitur, Philosophiam in universalibus rebus versari (1).

§. 6.

De ejus finibus caute designandis.

Ceterum, cavendum est omnino, ne longius proferamus Philosophiae fines, quam ipsa ejus ratio ac dignitas velit. Quod si enim ei omnem, nulla excepta, cognitionem subjiciamus, quae in aliqua causarum indagatione versatur; nullam erit artificium adeo vel malum, vel abjectum, quin sibi hujus nominis honorum asumere possit. Sic Gnatho adulandi artem ad Philosophiae rationem revocare, seque ejus schiolae magistrum profiteri, voluit (2). Damoxenus coquum in comoediam induxit, qui ita suo se artificio jactaret, ut non aliunde, quam ex Democriti et Epicuri disciplina, se tantum virum prodisse affirmaret (3). Eadem arte exsultavit Catius, eamque Pythagorae Platonisque doctrinae anteponere haud dubitavit (4). Et omnino multi multis modis, Philosophiae nomen usurpando, temere in alienam pos-

(1) Plato Theaetet. et alib. Conf. Aristot. Metaph. I, 2. Rhet. I, 11.
(2) Terent. Eunuch.
(3) Ap. Athen. III. p. 103.
(4) Horat. Serm. II. 4.

Digitized by Google

possessionem irruunt. Itaque, ut arceatur profana turba, accuratius circumscribenda est Philosophiae ditio ac materia, et eae solae ei subjiciendae sunt res, quarum cognitio digna sit homine ingenuo, et liberalem habeat ingenii oblectationem.

§. 7.

Ejus divisio triplex.

Exposita vi et ratione Philosophiae, sequitur, ut de partibus ejus dicamus. Harum distributio ducitur a varietate materiae, quae triplex omnino est, *Veri*, *Boni*, *Pulchri*. Et eorum nunc quidem communi notione sumus contenti, cum uberior explicatio ad alias disciplinas pertineat. Pars ea *Philosophiae*, cui *verum* est subjectum, dicitur *theoretica* seu *contemplativa*: quae in *bono* versatur, cum ad mores actionesque pertineat, vocatur *moralis*, *activa*, *practica*: tertia denique *pulchri* venustique rationes principiaque explicat, et elegantiores artes literasque complectitur.

§. 8.

De Philosophia Contemplativa.

Philosophiae Comtemplativae veri indagatio subjecta est. *Verum* vocant quidquid *secum ipse convenit*, quod *non repugnat*, *possibile*. Quod, cum a Graecis Ὄν dictum sit, nobis *Ens* appellare liceat. Ac primum de Ente generatim exponitur in *Ontologia*, specialiter in aliis hujus

Digitized by Google

Philosophiae partibus. Nam cum Ens bifariam distribuatur, in *cogitans* et *corpus*, ex utriusque tractatione duplex existit disciplina: *Physica* corporum qualitates et vires explicat, *Mathematica* corporum quantitatis et magnitudinis rationem continet, et quidquid eorum numeri, ponderis, spatii, motusque mensura definiri potest. Jam, cum naturae cogitantes dupliciter dividantur, duplex quoque de his efficitur doctrina: altera, *Theologia naturalis*, quae de divina natura exponit: altera *Psychologia*, quae de inferioribus naturis exponit, veluti de mente humana, et aliis. Denique ipsius Psychologiae duplex est officium: alterum, ut generatim mentis vires, facultates, affectiones explicet: alterum, ut leges tradat, quibus mens ad inveniendum verum regatur: a quo officio *Logicae* seu *Dialecticae* (1) ei nomen inditum est, et quasi instrumenti locum tenet in theoretica Philosophia. Ceterum recentiores Philosophi tres disciplinas, Ontologiam, Psychologiam, et Theologiam communi *Metaphysices* nomine

(1) Λογική, sc. τέχνη, *ars rationalis*, est a Λόγος *ratio*, seu facultas, quae maxime ad verum inveniendum valet, quaque potissimum animalibus praestamus. *Logicae* nomen primum a Peripateticis inductum, (vid. Cic. Fin. I, 7. et Boëthius in Topica Cic.) recentiori demum aetate frequentari coepit. A Platone et Antiquis dicebatur Διαλεκτική sc. τέχνη *ars disserendi*. Aristoteles *Dialecticam* facit partem *Logicae*. Nos utroque nomine promiscue utimur.

Digitized by Google

mine conjunxerunt, cui postea Wolfius Cosmologiam adjecit, qua de mundi et corporum maxime generalibus affectionibus exponitur. Aristoteles quidem Metaphysicorum libris ea tantum complexus est, quae nostri ad Ontologiam referunt: Cosmologiam autem, quam vocant, quamque primum a Wolfio inventam esse ferunt, multis partibus prodidit in libris de Coelo, et de Naturali Auscultatione.

§. 9.

De Philosophia Activa.

Activa Philosophia complectitur doctrinam justi, aequi, legum, officiorum, morum. Ac primum ejus duae sunt partes, (Cic. Off. I, 3), *Philosophia practica universalis*, quae fontes justi, aequi, obligationisque aperit: *Jus Naturale*, quod ipsa officia, ad quae natura hominis obstringit, exponit. Jam haec naturalia officia a duplici fonte manant. Nam homo etsi solus, neque ullo cum aliis hominibus societatis vinculo conjunctus, spectatur, tamen vel sic natura vim suam exercet, actionumque bonarum ac malarum discrimen definit, et officia praescribit, quorum disciplina vocatur *Jus Naturale absolutum*. In ejusmodi sejuncta et solitaria vita sive fuerint homines, sive esse possint, quilibet certe sui sibi ipse juris est vindex: cum vero ad vitae societatem coierunt, jure suo singuli se abdicarent, illud in commune quasi deposuerunt, ejusque cu-

Digitized by Google

ſtodes, et veluti dispenſatores, magiſtratus conſtituerunt; ita, ex proprio ſingulorum jure, commune jus univerſorum confluxit. Sed in civitate, ſeu ſocietate, officia alia legibus diſerte definiuntur, quorum est *perfecta obligatio:* alia civium arbitrio relinquuntur, quorum *obligatio* est *imperfecta.* Officium, quod ab imperfecta obligatione proficiscitur, dicitur *Aequum; quod* cum ejusmodi ſit, ut nemo ad illud praeſtandum ab alio homine cogi poſſit, ſed ipſum tamen ſua pulchritudine ſuavitateque hominum mentes alliciat, facile intelligitur, ejus explicationem maxime ex tertia parte Philoſophiae, cui pulchri venuſtique ratio ſubjecta est, repetendam eſſe: ejus disciplina vocatur *Philoſophia Moralis.* Perfectae obligationis officium appellatur *Juſtum;* hoc eam habet vim, ut ad illud praeſtandum homines cogi poſſint: perfectae igitur obligationis officia, quae ex ipſa natura ſocietatis continuo exiſtunt, pertinent ad *Jus Naturale cogens*, ſeu *ſtrictum*, ſeu *perfectum.* Sed hominibus in ſocietatem coeuntibus, duplex continuo ortum est Jus; alterum, quod inter ejusdem ſocietatis homines intercedit, quodque *Jus Civitatis* nominatur: alterum *Jus gentium*, quod inter diverſas est ſocietates. Ac *Jus Civitatis* quoque duabus conſtat partibus: *Jure privato*, ſeu *civili*, quod officia, quibus cives inter ſe continentur, explicat: et *Jure publico*, quod officia, ea complectitur, quae civibus cum ipſa republica, ſeu iis, pe-

Digitized by Google

penes quos summum imperium est, intercedunt. Ceterum, ut Theoretica Philosophia instrumenti loco habet Dialecticam, sic Practicae instrumentum *Ethica* est, quae voluntatis emendandae, constituendae, et ad bonum dirigendae, rationes tradit.

§. 10.

De Philosophia Pulchri.

Tertia Philosophiae pars in *pulchro* versatur. Nam, ut verum mentis cogitationi, bonum voluntati actionique subjectum est, ita *pulchrum* ad animi sensum ac motum refertur, ejusque usu et tractatione elegantiores, quae vocantur, artes disciplinaeque efflorescunt. Harum hic est finis, ut rebus veris ac bonis pulchritudinis speciem adjungant, qua animum moveant ac delectent. Sed animus cum acerrime moveatur iis visis, quae corporis sensibus objiciuntur, vel a sensuum vicaria phantasia finguntur; intelligitur, illud esse officium elegantiorum disciplinarum, ut res veras bonasque, quas natura a corporis judicio disjunxit, imaginibus suavibus, illustribus, vividisque comprehendant ac menti commendent, atque adeo veritatem virtutemque ipsis quasi oculis subjiciant (1). Hujus Philosophiae prima pars, et quasi fundamentum, est illa doctrina, quae, ex animi rerumque,

(1) Conf. Plato Phaedr. p. 346. E. et Cicero Off. I. 6. Fin. II, 16.

Digitized by Google

que, quibus movetur, natura, pulchri venustrique vim, rationem, et genera explicat. Sequuntur ipsae artes disciplinaeque elegantiores, quae tot sunt, quot natura vias praefecit, quibus menti corpus utilem liberalemque oblectationem adferre possit. Auribus sonorum vocisque suavium data est, unde Musica existit. Oculi colorum imaginumque capiuntur specie, quarum *ratio Pictura*, Statuaria, aliisque artibus, continetur. Huc cum loquela accedit, efflorescunt Grammatica, Poesis, Oratoria, Historia, et alia dicendi scribendique genera. Denique, velut instrumentum, his artibus disciplinisque additur *Critica*, pulchri venustique judex et inventrix. Ceterum, cum omnis hominum cognitio a corporis sensibus proficiscatur, patet profecto, eos ipsam sequi naturam, qui ingenii excolendi initium ab hac Philosophiae parte ducant (1).

§. 11.

Trium harum partium inter se comparatio.

Perlustrato igitur hoc universae Philosophiae veluti aedificio, reperimus locum, quem in eo tenet Logica, vidimusque trium harum partium esse quandam similitudinem et cognationem. Singulae enim duas habent disciplinas, alteram fundamenti loco, instrumenti alteram. Et fundamentum quidem est Philosophiae contemplativae *Ontologia:*

(1) Plato Symp. p. 330, 331. Synesius in Dione.

Digitized by Google

gio: activae, *Philosophia practica universalis;* tertiae partis, similis disciplinae, de qua diximus; et quae haud temere *Metaphysica elegantiorum disciplinarum* dicatur. Instrumentum vero contemplativae Philosophiae est *Logica:* activae, *Ethica:* tertiae partis, *Critica.*

§. 12.

De Logices materia.

Logices materia, ut vidimus, est *Verum.* Sed cum Verum duo reliqua rerum genera, *Bonum* et *Pulchrum* sua magnitudine complectatur; intelligitur, Logices regnum latissime patere, eique, veluti partes, subjectas esse et Criticam et Ethicam: quamquam earum tractationem ipsa suo munere non profitetur.

§. 13.

De fine Logices.

Finis ejus est triplex: verum invenire, dijudicare, et cum aliis communicare. De singulis praecepit Aristoteles: de primo, in *Topicis:* de secundo, in *Analyticis:* de tertio, in *Hermeneutica.* Et materiam Veri, quantum ad Dialecticam pertinet, explicuit in *Categoriis.*

§. 14.

De officio Logices.

Officium quoque ejus, seu ratio, qua ad suum finem

Digitized by Google

finem pervenit, triplex est: definire, dividere, argumentari. Quod Cicero Brut. c. 32. exposuit, cum *Dialecticam* vocat, *artem omnium artium maximam, quae quasi lex ceteris adhibeatur, quaeque doceat, rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando: ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa judicantur, et quae, quibus positis, essent, quaeque non essent consequentia.*

§. 15.

De divisione Logices.

Divisio ejus non ab omnibus fit eadem ratione. Ratione materiae, est vel *Dialectica*, seu disputans, vel *Apodictica*, seu demonstrans: haec in certo et necessario, illa in probabili versatur. Porro a facultate dividitur in *naturalem* et *acquisitam*, seu, ut vocant, *artificialem*; illa naturali sollertia constat: haec proprie Logica vocanda est, et doctrina ac praeceptis continetur. Est quoque pervulgata apud recentiores Dialecticos distributio in *theoreticam* et *practicam*; quarum illa praecepta ipsa, et veritatis quasi materiam, congerit: haec docet quomodo ista praecepta ad usum sint conferenda. Non ejus tractationem quatuor partibus absolvemus. Primum dicemus de ipsa veritate, ejusque variis generibus: tum, de mentis facultatibus, quae ad verum inveniendum dijudicandumque valent: postea,

de

Digitized by Google

de via ac ratione, qua ad veritatem perveniturr, seu de methodo; denique, de modo, quo mens ad cognitionis praestantiam perducenda est.

§. 16.

De ejus studii origine et progressione.

Dialectici studii origo repetenda est ab eo inde tempore, quo primum intelligere coeperunt homines, veritatem non temere, sed certa via ac ratione, inveniendam esse. Itaque jam antiquissimi illi sapientiae magistri, (1) qui, vel sapientes, vel philosophi, vel sophistae vocabantur, Dialecticam tractabant et aliis tradebant. Sed cum a sophistis ad disputandi contentionem ac fallaciam conversa fuisset, Socrates eam iterum ad veritatis indagationem revocavit: et omnino hunc sibi Philosophiae finem proposuit, ut rerum utilium scientiam certa interrogandi disserendique via inveniret (2). Plato, quamquam Dialectices praecepta non peculiaribus consignavit libris, ita tamen ubique de ea loquitur, ad ejusque rationem exigit disputationem suam, ut in ea summum Philosophiae momentum posuisse videatur. Et

(1) Zenonem Eleatem principem et auctorem Dialectices fuisse, perhibet ipse Aristoteles ap. Sext. Emp. Adv. Math. VII. p. 193. et ap. Diog. Laërt. Proëm. cet. IX. 25.

(2) Xenoph. Ἀπομν. IV, 6. et ubique in Socraticorum libris sunt exempla.

Digitized by Google

Et finem quidem ejus hunc esse dixit, ut mens a rebus sensibilibus ad intelligibiles, aeternaque rerum exemplaria, seu ideas, ut vocabat, converteretur. Ejus officium posuit in utraque methodo, tum Synthetica, quae componendo a singularibus ad universalia progreditur, tum Analytica, quae dividendo ab universalibus ad singularia descendit (1). Itaque ejus vi et potestate, non *Logicam* solam, sed eam quoque disciplinam, quae postea vocata est Metaphysica, complexus est. Aristoteles ut in aliis rebus dissensit a magistro Platone, ita Logicam a Metaphysica distraxit, et de utraque peculiariter praecepit; unde factum est, ut perperam utriusque disciplinae inventor haberetur. Libri, qui ad Logicam pertinent, communi nomine Ὄργανον, in est, *Instrumentum*, appellati sunt. Eorum quot sint partes, quodve consilium, supra diximus (§. 13.). Deinde Stoici, auctore in primis Chrysippo, Aristotelicam Dialecticam ita auxerunt et colnerunt, ut fere soli et dicerentur et haberentur Dialectici. Nam ab iis ipsis acerrimi eorum adversarii, Academici, Dialecticam didicerunt (2). Et Cicero, Academicus in primis, licet pleraque Stoicorum placita repudiaret, tamen disserendi rationes magistrum

(1) Rep. VI. VII, et Sophista. p. 165. Phaedro p. 355.

(2) Cicero Acad. II, 30.

Digitized by Google

strum Stoicum habuit (1). Atque hoc Dialectices regnum penes Stoicos mansit, usque ad seculum fere tertium, quo Eclectica Philosophia exiit, quae suscepto Platonis Aristotelisque patrocinio, utriusque disciplinam conaretur in concordiam redigere. Unde factum est, ut Aristotelica rursus Dialectica hominum studiis floreret, et praestantes ingenio doctrinaque viri existerent, qui eam enarrarent: quorum in primis celebrandi sunt Alexander Aphrodisiensis, Porphyrius, Themistius, Ammonius, Simplicius. Postea, extincto literarum flore, Scholastici, qui dicuntur, se Aristotelis interpretes professi sunt, eumque et verborum sordibus contaminarunt, et argutiarum inanitate obscurarunt. Et primum, non aliunde eum quam ex barbaris et vitiosis versionibus cognoscebant. Deinde, cum Aristoteles in Organo ex generalibus simplicissimisque principiis magnam peculiarium praeceptorum copiam duxisset, Scholastici principiorum simplicitatem ubertatemque neglexerunt, ad praeceptorum acumina adhaeserunt, aeque curiose augendo atque explicando effecerunt, ut Dialectica veluti spinis dumetisque horreret. Tandem vero nacta est suos vindices, restitutis bonarum literarum studiis. Ex quibus Petrus Ramus, quamvis iniquior Aristoteli, Dialec.

(1) De Philosophorum, qui a Socrate fluxerunt, Dialectica, dicemus quaedam infra P. III. Cap. I. §. 7. 8.

lectices, cujus vim mente complexus erat, ex scholae umbra ad vitae veritatem revocavit, ad disciplinarum rationem adhibuit, et ad antiquam elegantiam conformavit. Denique recentiore aetate et patrum memoria, qui de Logica bene meruerunt, in primis fuerunt Cartesius, Malebranchius, Lockius, Leibnitius, Wolfius, et alii excellenti ingenio viri.

PARS

Digitized by Google

PARS PRIMA.

DE VERITATE.

CAP. I.

DE INDOLE ET GENERIBUS VERITATIS.

§. 1.

De Veritate Metaphysica, Logica, Sermonis.

Triplex universe genus est Veritatis. Veritas rei, seu *Metaphysica*, quae rebus omnibus inest, quae vel sunt, vel esse possunt: ei opposita est *Repugnantia*, qua efficitur, ut res nec esse, nec cogitari possit. *Veritas cogitationis*, seu *Logica*, cum cogitatio nostra de re consentit cum re ipsa: ei opponitur *Error*. *Veritas Sermonis*, cum ita de re ad alios homines loquimur aut significamus, ut ipsi judicamus, eam se habere: cujus contrarium est *Mendacium*. Universa igitur Veritas posita est in *convenientia*. *Metaphysica Veritas* est convenientia rei secum ipsa, seu partium, quibus res constat. *Logica Veritas* est convenientia cogitationis cum re: atque ita tertium genus positum est in convenientia *sermonis* cum cogitatione.

§. 2.

De Veritate Logica, Repugnantia, Errore,

Itaque Logica Veritas cogitatione constat, eique, velut materia, in qua versetur, subjectae sunt res omnes, quae vel sunt, vel esse possunt: quas

Digitized by Google

quidem ita unam cum altera conjungere et ab altera disjungere debet, ut haec conjunctio disjunctiove cum re ipsa conveniat. Sed nec *Repugnantia* in rebus ipsis inest, quippe quae tum demum efficitur, cum cogitatione res, quae conjungi nequeunt, conjungimus, vel contra disjungimus, quae disjungi nequeunt. Igitur *Error* ab *Repugnantia* tantum cogitatione differt.

§. 3.

De Enunciatione, ejusque partibus, Subjecto, Praedicato, et Copula.

Atque hinc intelligitur, Veritatem Logicam positam esse non in singularum rerum cogitatione, sed in plurium rerum vel conjunctione, vel disjunctione (1): quae, cum cogitando tantum fit, dicitur *Judicium:* cum verbis exprimitur, est *Enunciatio, Propositio.* Res, de qua altera dicitur, est *Praedicatum:* conjunctio ipsa, vel disjunctio earum, vocatur *Copula.* Veluti cum dicas, *Socrates est sapiens*; subjectum est *Socrates*, copula *est*, praedicatum *sapiens.*

§. 4.

De Ignoratione, Judicio, et Retentione judicii.

Cum alicujus rei nulla est in mente nostra vel notitia, vel cogitatio, eam *ignoramus.* Cum vero

(1) Aristot. Categor. 4. Cicero Tusc. 1, 7. Sic et Stoici: vid. A. Gell. XVI, 8.

Digitized by Google

vero rei, de qua cogitamus, praedicatum quoddam vel adjungimus, vel ab ea disjungimus, *judicium ferimus*. *Verum judicium* est, quod cum re ipsa consentit: *Falsum*, sive *Error*, quod a re dissentit. Sed cum in neutram partem statuimus, ac praedicatum subjectumque, de quibus cogitamus, neque conjungimus neque disjungimus, dicimus ἐπέχειν, seu, *cohibere assensionem*.

§. 5.

De Evidentia Mathematica et Morali.

Sed ut tribuantur nec ne praedicatum subjecto, efficitur suis causis. Quae causae si nobis omnes cognitae perspectaeque sunt, tenemus *Scientiam*, seu, *Evidentiam Mathematicam*: si pars tantum earum a nobis cognoscitur, habemus *Evidentiam Moralem*; cujus firmitas varia est, pro varietate et numero causarum. Nam cum major earum pars a nobis cognoscitur, res dicitur vel *verisimilis*, quod prope ad veritatem accedit, vel *probabilis*, quod vulgo omnibus probatur, et vera videtur: *fidem habemus*, cum aliorum de ea testimonio nitimur. Denique cum plures causae ignorantur, quam cognoscuntur, existunt varii gradus *Opinionis*, cognitionisque *dubiae* atque *incertae*.

§. 6.

De Evidentiae Mathematicae generibus.

Evidentia Mathematica in tribus veri generibus inest. Primum in *sensu interno animi ac cor-*

poris: nam v. c. cum de Socrate cogito, nullo pacto dubitare posſum, quin de Socrate cogitem: et cum dolorem percipio, nulla ratione effici potest, ut dubitem, quin dolorem percipiam. Deinde in *cogitatione aliarum rerum*, tali, v. c. cum cogito triangulum habere tres lineas, Socratem eſſe Socratem. Atque in his duobus generibus inest ſimplex abſolutaque veritas, quam recentiores nominarunt *immediatam perceptionem*, propterea quod ad eam percipiendam nullo alterius cujusdam rei interventu opus est, sed ipſa per ſe primo obtutu in mentem incurrit. Dicitur etiam *indemonſtrabilis*, quod demonſtrationis non est capax, et per ſe ipſa intelligitur. Tertium genus mathematicae evidentiae inest in iis enunciationibus, quarum veritas non primo obtutu percipitur, ſed demonſtratione demum intelligitur, v. c. *in triangulo* ſummam angulorum eſſe aequalem duobus rectis. Itaque Evidentiae mathematicae haec est vis et indoles, ut rei certa ſcientia non aliunde, quam ex ipſa re, exiſtat.

§. 7.

De Evidentiae Moralis generibus.

Evidentia Moralis ipſa quoque in triplici cernitur veritatis genere. Primum in *ſenſibus corporis*, quibus rerum, quae extra nos ſunt et fiunt, notiones haurimus. Deinde in *fide*, quam aliorum narrationi teſtimonioque tribuimus. Tum in *conjectura*, qua ex rebus praeſentibus, vel cognitis, re-

Digitized by Google

rerum abſentium, vel ignotarum veritatem probabiliter colligimus. Est igitur Evidentiae moralis haec natura, ut rei veritas, non ex ipſa re, ſed aliunde, ducatur.

§. 8.

De Demonſtratione et Probatione.

Itaque mathematicae evidentiae primum et ſecundum genus ipſum per ſe ac ſponte percipitur: tertium vero genus *Demonſtratione* intelligitur, qua enunciationis evidentia ex ipſa natura ſubjecti et praedicati certa perſpicuaque ratione ducitur. At moralis evidentiae opifex atque disceptatrix est *Disputatio* et *Probatio*, quae cum dubiis ſaepe et errorum periculis conjuncta est.

§. 9.

De aliis Veritatis generibus: Singulari, Univerſali, Concreta, Abſtracta, Intuitiva, Symbolica.

Ceterum alia praeterea ſunt Veri genera, ſed poſita magis in cogitatione nostra et ratione cognoscendi, quam in re ipſa. Ex quibus v. c. est, *Veritas Singularis*, quae in una quadam re ſpectatur, ut, *Socrates fueritne ſapiens: Univerſalis*, quae in rerum ſingularum complurium comprehenſione et ſumma cernitur, ut, *Homines eſſe rationales. Senſibilis*, *Adſpectabilis*, vulgo *Concreta*, est in rebus iis, quae ſimul cum aliis rebus, quibus inſunt, percipiuntur: veluti corpora ipſa;

Digitized by Google

quae simul cum eorum extensione, soliditate, colore, nobis innotescunt: contra *Intelligibilis*, vulgo *Abstracta*, *Veritas* cernitur in rebus, cum iis, quas cogitatione ab aliis rebus conjunctas divellimus et seorsim spectamus, quales sunt, v. c. color, soliditas, extensio; tum iis, quae adeo sunt remotae a corporea natura, ut earum notio sola mentis cogitatione informari, nec corporea imagine significari, possit: quales sunt v. c. Dei, mentis, cet. Porro iis rebus, quas ipsas per se praesentes manifestasque evidenti sensu, vel mentis, vel corporis, percipimus: his igitur vulgaris loquendi consuetudo *Intuitivam* tribuit *veritatem:* contra rebus absentibus, quas ex signis tantum intelligimus, *Symbolica veritas* inesse dicitur. Alia quoque multa celebrantur Veri genera: quorum quidem vis ac ratio tum demum cognosci poterit, cum de mentis facultatibus expositum erit.

Cap. II.

DE ENUNCIATIONIBUS.

§. 1.

De Conjunctione, seu Connexione.

Cum Veritas Logica contineatur enunciatione (I, 1, 3,), ipsaque Enunciatio efficiatur conjunctione subjecti ac praedicati, exponendum videtur de ipsa conjunctione ejusque formis. Igitur *Conjunctio*, quam vulgo etiam *Connexionem* vocant, est

Digitized by Google

est ratio atque affectio, quae inter duas pluresve res ita intercedit, ut hae res tamquam una et integra res spectari possint. Ejus variae sunt formae. Est enim vel *vera*, vulgo *realis*, quae vere in rebus ipsis inest: vel est *ficta*, vulgo *idealis*, quae non inest in ipsis rebus, sed a nobis cogitando informatur. Est quoque vel *simultanea*, vel *successiva*: prior est in rebus, quae simul et una sunt, ut in Spatio, Aequalitate, Similitudine, Composito, Extenso, Generibus, Formis: posterior est in rebus, quae deinceps sunt, ut in Causa, Effectu, Tempore, et aliis.

§. 2.

De Generibus Enunciationum.

Omnis Enunciationum varietas ex triplici manat fonte: primum, ex interna earum proprietate: deinde, ex earum proprietate externa, seu ratione, quae inter plures intercedit Enunciationes: tum ex evidentia earum atque usu in disciplinis. Sed interna proprietas latissime patet, quippe secundum eam tripliciter spectatur Enunciatio: primum *qualis* sit, id est, utrum sit *negans* an *ajens*: secundo *quanta* sit, id est, utrum sit *singularis*, *particularis*, an *universalis*: tertia *quaenam* sit, id est, utrum sit *simplex* an *composita*.

§. 3.

De Enunciatione Ajente et Negante.

In omni Enunciatione praedicatum vel tribuitur

Digitized by Google

ſubjecto, vel removetur ab eo. Si tribuitur praedicatum ſubjecto, Enunciatio est *Ajens*, ſeu *Affirmans*, v. c. *Socrates fuit ſapiens.* Contra ſi praedicatum removetur a ſubjecto, Enunciatio est *Negans*, v. c. *Socrates non fuit dives.* Interdum una voce continetur Enunciatio, v. c. *pluit*, *ningit:* quae voces involutam complectuntur vim integri judicii, ſubjecti, praedicati, et copulae.

Sed in Enunciatione negante requiritur, ut negatio connectatur cum ipſa copula, non cum ſubjecto vel praedicato. Nam ſi dicas v. c. *Cicero potuit non dicere*, accipiatur Enunciatio pro ajente, ut ſenſus ſit, *Cicero etiam tacere potuit.* Quod quidem plerumque ex linguae indole et conſuetudine intelligitur. Ceterum ejusmodi Enunciatio, qua negandi formula non ad copulam, ſed ad praedicatum vel ſubjectum refertur, a Logicis vocatur *Infinita*.

§. 4.

De Enunciatione Univerſali, Particulari, et Singulari.

Subjectum et praedicatum ſuam quodque habent certam magnitudinem atque extenſionem. Quae quidem extenſio ſaepe major eſſe potest in praedicato quam in ſubjecto, numquam minor. Velut in Enunciatione hacce, *Omnis homo est mortalis*, latius patet, pluresque complectitur res nomen *mortalis* quam nomen *homo*, neque licet invertere Enunciationem tranſpoſito ſubjecto et praedicato, ut

ut dicatur, *Omnis mortalis est homo.* Quare ex praedicati *mortalis* magnitudine pars quaedam demenda circumscribendaque est, ut justa ei cum subjecto intercedat ratio, atque ita enunciandum. *Quidam mortalis est homo.*

Sed quadruplex omnino haecce magnitudinis ratio inter subjectum praedicatumque esse potest.

Primum, vel toti subjecto tribuitur totum praedicatum: v. c. *Omne triangulum habet tres angulos.* Nam potest hoc etiam inverse dici, *Omne, quod habet tres angulos, est triangulum:* quippe subjectum et praedicatum aeque late patent. Vel toti subjecto tribuitur pars praedicati: v. c. *Omne triangulum est figura.* Neque enim hoc inverse dici potest, *Omnis figura est triangulum.*

Et his quidem duabus formis continetur *Enunciatio Universalis.*

Deinde, vel parti subjecti tribuitur totum praedicatum, v. c. *Quoddam triangulum est aequilaterum.* Vel parti subjecti tribuitur pars praedicati: v. c. *Quidam poeta flectit animos hominum.* Neque enim omnis poeta flectere potest animos hominum: neque, qui hoc potest, continuo est poeta.

Enunciatio Singularis est ea, cujus subjectum est individuum, seu res singularis. Estque ipsa singularis Enunciatio vel universalis, vel particularis: v. c. *Cajus est homo*, dicitur universaliter; quippe nil est in Cajo, quin ad humanam naturam pertineat. *Cajus est acutus*, perticulariter accipi

Digitized by Google

potest, si subinde acumine utatur Cajus et stupore opprimatur. Ut omnino fallantur Dialectici illi, qui eam solam universalem vocant Enunciationem, cujus subjectum sit res universalis, id est, vel genus, vel forma.

Igitur Enunciatio Universalis est ea, *quo toti subjecto tribuitur praedicatum, vel totum, vel ejus pars. Particularis* contra est ea, *qua parti subjecti tribuitur praedicatum, vel totum, vel ejus pars.*

§. 5.

De Enunciatione Simplici et Compositia.

Enunciatio Simplex est ea, quae nil habet, nisi quod necessario requiratur ad enunciationem, id est, unum subjectum, unum praedicatum, et nudam copulam: v. c. *Socrates est sapiens, Socrates non est dives.* Contra, *Enunciatio Composita* est ea, qua vel ad subjectum, vel ad praedicatum, vel ad copulam, aliquid adjectum est.

§. 6.

De Enunciationibus Conjunctis et Disjunctis.

Enunciationum compositarum variae sunt formae. Et primum, sunt tales, quae plura habent subjecta et praedicata: earumque duae sunt formae, *conjuncta* ac *disjuncta. Enunciatio Conjuncta*, vulgo *Copulativa*, est ea, qua simpliciter ponuntur plura praedicata subjectaque: v. c. *Plato et Demosthenes sunt principes eloquentiae:*

vel

Digitized by Google

vel, *Plato et Demosthenes ſunt et dicendi et cogitandi graviſſimi auctores:* vel, *Plato et philoſophus et orator fuit excellens.*

Enunciatio Disjuncta, vulgo *Disjunctiva*, est ea, in qua ſunt quidem plura vel ſubjecta vel praedicata, neque tamen ſignificatur, cui ſubjecto quod praedicatum tribuendum ſit: v. c. *Mens est vel ſimplex, vel concreta: vel Plato, vel Demosthenes eloquentiae princeps est habendus.* In hac enunciatione partes disjunctae debent eſſe et repugnantes, ut altera tantum vera eſſe poſſit, et omnes enumerandae ſunt: v. c. *Color est vel niger, vel albus*, falſa est enunciatio; ſunt enim praeter hos alii quoque colores: aut v. c. *Cicero fuit vel orator, vel philoſophus*, falſum est, cum utrumque eſſe potuerit.

Igitur cum *Disjuncta Enunciatione* non est confundenda *Conjuncta negans*, qua negatur, plura praedicata vel ſimul, vel omnino, ineſſe in ſubjecto: v. c. *Non poſſum et bonus vir eſſe, et popularem auram conſectari;* nam licet non conſecter popularem auram, non tamen ideo continuo bonus vir ſim; quamquam unus idemque non poſſit eſſe et vir bonus, et popularis aurae captator. Sic utrumque omnino negatur. *Nec bonus est vir, nec tamen popularis aurae captator.*

§. 7.

Digitized by Google

§. 7.

De Enunciatione Incidente, Complexa, Hypothetica, Categorica.

Sunt quoque Enunciationes compoſitae tales, quae aliam in ſe complectantur Enuntiationem, quaeque ob id ipſum dicantur *Complexae;* cum ea, quam complectuntur, Enunciatio vocetur *Incidens.* Atque haec Incidens Enunciatio vel explicationem habet, v. c. *Philoſophiam conſectemur eam, quae lucem adfert rebus, non quae tenebras obducit:* vel rationem reddit, quare praedicatum ſubjecto aut tribuatur, aut ab eo removeatur; unde Enunciatio exiſtit *Hypothetica*, ſeu *Conditionalis*, v. c. *Non est vituperandum Philoſophiae ſtudium, ſi hoc est philoſophari, rerum exquirere cauſas, earumque ſcientiam ad hominum utilitatem conferre.*

In Hypothetica Enunciatione incidens enunciatio vocatur *Hypotheſis:* eaque ponitur: vel tamquam certa atque cauſa, v. c. *Philoſophia, quia veritatis virtutisque est magistra, colenda est:* vel ponitur tamquam conditio, cui aliquid dubii adjectum videatur, v. c. *Philoſophia, ſi est veritatis virtutisque magistra, colenda est.*

Sed cum in omni Vera et Enunciatione ratio eſſe debeat, quare praedicatum ſubjecto tribuatur, vel ab eo removeatur, haec ratio vel diſerte ſignificatur, vel reticetur. Cum ſignificatur ratio, Enunciatio est *Hypothetica*, ejus exempla modo dedimus.

Digitized by Google

mus. Contra, si haec ratio reticetur, Enunciatio est *Absoluta*, seu, *Categorica*, v. c. *Philosophia colenda est.*

§. 8.

De Enunciationibus Explicitis et Implicitis.

Porro composita Enunciatio est vel *Explicita*, cujus compositionis modus manifestus est, vel *Implicita*, cujus modus compositionis impeditus est atque latet, qui cum exponi debeat, ipsa Enunciatio a novitiis Dialecticis vocata est *Exponibilis.* Atque ejus quatuor spectandae sunt formae.

Exceptiva Enunciatio ejusmodi est, qua praedicatum tribuitur quidem majori parti subjecti, a minore vero ejus pare removetur: v. c. *Omnes, praeter virtutem et sapientiam, humanae res sunt fragiles. Omnes, excepta festivitate oratoris laudes complexus est Demosthenes.*

Exclusiva Enunciatio ejusmodi est, qua praedicatum tribuitur minori subjecti parti, a majore vero removetur, v. c. *Sola, ex rebus humanis, firma est virtus et sapientia. Unus, ex Philosophis, vere sapiens fuit Socrates.* In hoc genere diligenter attendendum est, quonam referatur particula exclusiva, utrum ad subjectum, an ad praedicatum, an ad aliquam alterius partem: nam, ut hoc utamur, *Socrates tantum morum disciplinam tractavit*, triplici eoque diverso sensu accipi potest.

Restrictiva Enunciatio vocatur ea, qua diserte sig-

ſignificatur, ad quam ſubjecti partem praedicatum, quamque ob causſam, referatur: v. c. *Philoſophi, quatenus res utiles tradunt, laudandi ſunt.* Ejus duas faciunt formas: alteram *Reciprocam*, qua ex ipſa ſubjecti natura ratio repetitur, quare ei tribuatur praedicatum, v. c. *Deus, quatenus est Deus, est natura aeterna, Homo, quatenus mente conſtat et corpore, mortalis est:* alteram *Explicantem*, cum ratio, qua praedicatum ſubjecto tribuitur, ex ſubjecti quadam parte mutabili et inconſtanti repetitur, v. c. *Homo, quatenus rerum cauſas exquirit, philoſophatur.*

Comparativa Enunciatio duplicis est generis. Nam vel ſimpliciter praedicatum ſimile aut aequale esſe dicitur ſubjecto, v. c. *Eloquentia est quaſi flumen orationis, Cupiditates ſunt quaedam veluti furiae, Duodecim ſunt aequalia bis ſenis;* vel ſunt plura praedicata aut ſubjecta, et ſimul ſignificatur, cui ſubjecto quod praedicatum maxime tribuatur: v. c. *Cicero fuit facundior quam Caeſar, Demosthenes excellentior fuit dicendi facultate quam bellica virtute.* Res illa, in qua reliquae conveniunt et comparantur, vocatur *fundamentum comparationis*, et re ipſa ſemper est praedicatum rerum comparatarum. Triplex autem in comparatione cavendus est error. Primus, ne res comparentur, quarum neutri tribui potest praedicatum: v. c. *Lapis est ſapientior quam aqua.* Alter est error in comparatione earum rerum, quarum alteri duntaxat praedicatum tribui potest:

v. c.

Digitized by Google

v. c. *Homo ſapientior est quam lapis.* Nam omnis Enunciatio comparativa ex tribus aliis conſtat, quae omnes debent verae eſſe, ſi quidem ipſa comparatio vera futura est: veluti ea, quam modo propoſuimus, tribus conſtat ſimplicibus enunciationibus hisce: *Homo est ſapiens, Lapis est ſapiens. In homine plus est ſapientiae quam in lapide:* quarum cum ſecunda manifeſto ſit falſa, ipſa comparatio vera eſſe nequit. Tertius denique error est in comparatione rerum earum, quibus praedicatum diverſa ratione tribuitur: v. c. *Aristotelis ingenium majus fuit quam coelum, Mentis cogitatio celerior est avium volatu:* in cujus generis judicio probe est attendendum, quid in natura ſit poſitum, quid deceat, quid hominum, cum quibus agimus, ſenſus et conſuetudo ferant.

§. 9.

De Enunciationibus Modalibus.

Denique ex compoſitarum genere Enunciationum ſunt etiam *Modales*, ut quidem in ſcholis nominantur: hae non ſubjectum aut praedicatum compoſitum, ſed copulam habent compoſitam, qua quippe modus ſignificatur, quo praedicatum ſubjecto tribuatur, vel ab eo removeatur. Igitur copula vel adſtringitur, vel remittitur, vel alia ratione adficitur, ejusque variae ſunt formulae, v. c. *neceſſe est, fieri potest, fieri nequit.*

§. 10.

Digitized by Google

§. 10.

De Enunciationum externa proprietate, Disjunctione, Subjectione, Pariatione, Converſione.

Ea, quae hucusque expoſuimus, Enunciationum genera continentur interna earum proprietate. Sequitur, ut de externa proprietate agamus, quae poſita est in plurium Enunciationum inter ſe comparatione rationeque, conſtatque earum vel *conſenſu* vel *diſenſu*. Conſenſus tres faciunt formas, *Subjectionem*, *Pariationem*, *Converſionem*. Diſſenſus quoque tres habet Enunciationum formas, *Repugnantium*, *Alterutrarum*, *et Supparium*.

§. 11.

De Disjunctione.

Diſſenſus Enunciationum dicitur *Disjunctio*, vulgo *Oppoſitio*, estque ejusmodi earum ratio, qua altera affirmat, quod altera negat. Triplici autem forma earum genus continetur. Prima est *Contrariarum*, ſeu *Repugnantium*, *Incongruarum*, quarum altera univerſaliter affirmat, quod altera univerſaliter negat: v. c. *Omnes homines ſunt mortales*, *Nullus homo est mortalis*, vel *Omnis orator est vir bonus*, *Nullus orator est vir bonus*. Earum est vel utraque falſa, vel alterutra vera: utraque vera eſe non potest. Altera est forma *Contradictoriarum*, ſeu *Repugnantium*, *Alterutrarum*, quarum quod altera univerſaliter affirmat, altera particulariter negat, et contra: v. c. *Om-*

Digitized by Google

Omnis Philosophus veritati studet, *Quidam Philosophus veritatem negligit:* harum altera vera, altera falsa, esse debet. Tertia est forma *Subcontrariarum*, seu *Supparium*, seu *Particularium negantium*, quarum quod altera particulariter affirmat, altera particulariter negat: v. c. *Quidam oratores non sunt viri boni*, *Quidam oratores non sunt viri boni:* atque ex iis utraque potest esse vera, non item utraque falsa.

§. 12.

De Consequentia, seu Subalternatione.

Subjectio seu *Consequentia*, vulgo *Subalternatio*, ea est Enunciationum ratio, qua altera alteram, veluti totam partem, continet, et quod altera universaliter affirmat, altera particulariter affirmat, et contra, quod altera universaliter negat, altera particulariter negat: v. c. *Omnis homo est mortalis*, *Quidam homo est mortalis.* Harum si universalis vera sit, particularem quoque veram esse necesse est, non contra, si particularis vera sit, universalis etiam continuo vera est: v. c. *Quidam homines sunt sapientes*, *Omnes homines sunt sapientes.*

§. 13.

De Pariatione.

Pariatio, vulgo *Aequipollentia*, est in iis Enunciationibus, quae verbis quidem discrepant, re ipsa idem significant, seu cum idem judicium diversa ora-

tione exprimitur: v. c. *Demosthenes summus fuit orator*, *Summa fuit dicendi vis in Demosthene.* Ejus saepius haud exiguum est momentum in Demonstrationibus, cum loco unius Definitionis alia ponitur, v. c. *Triangulum est figura descripta tribus lineis rectis*, et, *figura rectilinea, cujus anguli aequales sunt duobus rectis.*

§. 14.

De Conversione.

Conversio ea est Enunciationis affectio, qua subjectum in locum praedicati, et contra, praedicatum in locum subjecti ponitur: v. c. *Triangulum est figura tribus lineis rectis descripta*, et, *Figura tribus lineis rectis descripta est triangulum.* Ejus est triplex forma. Prima est *Conversio simplex*, qua qualitas et quantitas Enunciationis eadem manet. Haec valet primum in universaliter affirmantibus iis, quarum subjectum ac praedicatum aeque late patent, v. c. *Omne quadratum est figura, quatuor lineis rectis aequalibus totidemque angulis rectis descripta*, et *Omnis figura quatuor lineis rectis aequalibus totidemque angulis rectis descripta, est quadratum:* deinde valet in universaliter negantibus, v. c. *Nullus homo est immortalis, Nullus immortalis est homo:* denique in particulariter affirmantibus, v. c. *Quidam antiqui magnum habuerunt ingenium, Quidam magno ingenio homines fuerunt antiqui.* Secundam *Conversionis* formam vocant *per accidens*, qua

Digitized by Google

qua mutatur quantitas Enunciationis, v. c. *Omnis Philosophus est homo*, *Quidam homo est Philosophus.* Tertia est *Conversio per contrapositionem*, qua particularis negans mutatur in particularem affirmantem, adjecta negandi particula ad praedicatum vel ad subjectum, v. c. *Quidam homo non est Philosophus*, *Quidam non Philosophus est homo.* Est vero Conversionis haud contemnenda utilitas, cum in dijudicanda veritate, vi, extensioneque Enunciationum, tum in constituenda demonstratione informandisque syllogismis.

§. 15.

De differentia Enunciationum secundum earum usum et evidentiam.

Superest, ut de tertia classe Enunciationum dicamus, quae continetur *usu* earum atque *evidentia.* Ac secundum *usum* quidem sunt vel *Theoreticae* vel *Practicae. Theoreticae* sunt tales, quibus quid esse vel non esse dicitur: v. c. *Triangulum habere tres angulos*, *Trianguli tres angulos aequales esse duobus rectis. Practicae* vero sunt eae, quibus quid fieri, modusque quo id efficiatur, significatur; v. c. *Cognitis duabus lineis et uno angulo*, *quomodo reliqui duo anguli et linea inveniatur:* vel, *Oratorem egregium existere*, *si ad naturam excellentem praestans disciplina et continua exercitatio accesserit.*

Secundum Evidentiam sunt vel *Mathematicae*

Digitized by Google

quarum praedicatum quare ſubjecta tribuatur, removeaturve ab eo, integra perfectaque cauſa intelligi potest: vel ſunt *Morales*, i. e. *veriſimiles*, *probabiles*, *opinabiles*, quarum praedicatum quare ſubjecto tribuatur, removeaturve ab eo, integra perfectaque cauſa intelligi non potest: continenturque *ſenſibus*, *testimonio*, et *conjectura*, (vid. I, 1, 7.)

§. 16.

De Enunciationibus Mathematicis.

Mathematicae Enunciationes dominantur cum in ipſis Mathematicis disciplinis, tum in iis, quae ad earum formam inſtitui tradique poſſunt. Sunt vero illae Enunciationes vel *Theoreticae* vel *Practicae* vel *Demonſtrabiles* vel *Indemonſtrabiles*. *Demonſtrabiles* ſunt eae, quarum veritas demonſtratione intelligitur: *Indemonſtrabiles*, contra, eae, quarum veritas primo ſtatim obtutu in mentem incurrit, ut in demonſtrationem cadere omnino non poſſit. *Theoreticae* ſunt, quibus quid eſſe, aut non eſſe dicitur. *Practicae* vero eae, quibus ſignificatur aliquid fieri, aut non fieri, quaque id ratione efficiatur, aut non efficiatur.

Jam Enunciatio Theoretica Indemonſtrabilis vocatur *Axioma*, ſeu *Decretum*, *Effatum*, v. c. *Triangulum eſſe triangulum*, vel *habere tres lineas*.

Enunciatio Practica Indemonſtrabilis dicitur, *Pos-*

Digitized by Google

Postulatum: v. c. *Romam pervenies, si spatium interjectum permeaveris.*

Enunciatio Demonstrabilis Theoretica dicitur *Theorema*, v. c. *Trianguli tres angulos aequales esse duobus rectis.*

Enunciatio Demonstrabilis Practica dicitur *Problema*, v. c. *Quadrangulum regulare, ducta ex oppositis angulis recta linea, in duas partes aequales dividi.*

Ceterum Theoremata Problemataque, cum primum demonstrata sunt, vim auctoritatemque habent Axiomatum ac Postulatorum.

§. 17.

De Definitionibus.

Pertinent quoque ad Enunciationes Mathematicas *Definitiones:* quarum hac est vis, ut praedicatum aeque late pateat ac subjectum, illudque ita circumscribat ac significet, ut intelligi et ab omnibus aliis rebus secerni possit. Quod Definitionis officium his verbis significavit Cicero de Orat. II. 25. *In definitionibus hoc praecipit ratio ac doctrina, ut vis ejus rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam, neque superfit.* Ejus hoc sit exemplum: *Triangulum est figura descripta tribus lineis rectis.* Suntque et ipsae vel *Theoreticae*, quibus, quaenam res sit, significatur, v. c. *Circulus est linea curva in se rediens, cujus omnia puncta a centro aequaliter distant:* vel sunt *Practicae*, quibus, quomodo

Digitized by Google

quid fiat efficiaturve, significatur, v. c. *Circulus fit, cum linea circa unum punctum movetur in orbem.* (1)

§. 18.

De Divisionibus.

Divisionum haec est vis ac natura, ut praedicatum aeque late pateat ac subjectum, ejusque partes contineat: v. c. *Triangulum est vel aequilibus descriptum lineis, vel inaequalibus: Animal vel est praeditus ratione, vel ea caret.*

§. 19.

De reliquis Enunciationum nominibus.

Sunt denique aliae quoque Enunciationes, quae ex ipsa re et usu suo nomina invenerunt.

Hypothesis est Enunciatio, cujus veritas minime illa quidem est explorata; sed ponitur tamen ad tempus pro certa, ut cognoscatur an ea, quae inde consequuntur, secum ipsa et cum aliis rebus consentiant.

Lemma dicitur, quod ex alia disciplina tamquam certum et demonstratum, veluti mutuo, sumimus.

Con-

(1) Theoreticae vulgo appellantur *nominales*, practicae *reales*. Nos, ut omnem tolleremus ambiguitatem, illis potius nominibus uti volumus. Nam nominalis definitio, aeque ac realis, est rei; et potest confundi cum verbali.

Digitized by Google

Consectarium, quod ex alia Enunciatione continuo et sponte intelligitur.

Scholia sunt, quae ad rem, de qua agitur, explanandam, illustrandamque adjiciuntur.

Cap. III.

DE IDEIS.

§. 1.

De Idea ac Notione, earumque materia et forma.

Ideam vocamus quidquid mens cogitat, seu rem omnem, quae a mente cogitatur. Eam vero distinguimus a *Notione*, quae ipsa mentis cogitantis est actio, cum *Idea* illud sit, quod ea actione efficitur. Omnis Idearum varietas ex duplici proficiscitur fonte, *Materia* et *Forma*. Nam, ut aliae res omnes, ita Ideae, duabus his proprietatibus continentur. *Materiam Ideae* vocamus rem ipsam, quae cogitatur, ejusque attributa, *Formam* modum rationemque, quibus nobis res ejusque attributa innotescunt.

§. 2.

De Materia Idearum secundum Aristotelicos.

Materia Idearum ab Aristotelicis in duas partes distribuitur, quarum altera complectitur *Praedicamenta*, seu *Categorias*, i. e. attributa, quae in rebus vere sunt, altera *Praedicabilia*, κατηγορούμενα, i. e. attributa, quae rebus tribui possunt. *Categorias* fecerunt decem: Substantiam, Quan-

Digitized by Google

titatem, Relationem, Actionem, Passionem, Ubi, Quando, Situm, Habitum: *Praedicabilia* quinque, Genus, Spacium, Differentiam, Proprium, Accidens. Nos haud dissimilem rationem sequemur. Nam recentiores Dialectici tantum de Praedicabilibus egerunt, Categorias temere neglexerunt et ad Ontologiam rejecerunt.

§. 3.

De Ideis Singularibus et Universalibus.

Primum igitur res omnes, quae menti per sensus corporis innotescunt, sunt *singulares*, seu *Individua*. Deinde plurium Individuorum comparatione mens eorum similitudinem colligit et in unam includit ideam, quae dicitur *Forma*, seu *Species*. Veluti ex hisce Individuis, *Socrates*, *Cajus*, *Asparia*, *Corinna*, similitudo colligitur, una Forma comprehenditur, et communi nomine *Homo* vocatur. Ita *Genus* etiam existit plurium Formarum similitudine, quam una idea complectimur: veluti cum ex similitudine Hominis et Brutorum efficimus ideam *Animantis* (1). Genera et Formae dicuntur *Ideae universales*; Individuorum ideae sunt *singulares*.

§. 4.

De Universalium Idearum utilitate.

Individuorum est infinita copia et varietas, ut ea sin-

(1) Conf. Seneca Ep. LVIII.

Digitized by Google

singillatim omnia cognoscere non nisi Divina mens possit. Humano vero ingenio hoc natura tribuit, ut Individuorum magnam copiam una idea formae generisve complecti et mente tenere possit.

§. 5.

De Ideis Abstractis et Concretis.

Individua revera sunt atque existant, habentque multa atque varia attributa, unde vocata sunt a recentioribus *Ideae Concretae.* Genera et Formae non revera sunt, sed sola mentis cogitatione informantur, cum attributum, quod in compluribus inest Individuis, ab iis quasi divellitur et seorsim spectatur, unde ab iisdem vocatae sunt *Ideae Abstractae.*

Porro Individua dividi nequeunt, ut, vel sic tamen, eadem maneant: unde, hoc ipsum, *Individua* appellata sunt: contraria est ratio Idearum universalium, quae cum dividuntur, non pereunt; v. c. Humanum Genus in duas dividitur Formas, marum et foeminarum, quarum utrique idea et nomen hominis tribui debet: contra Socrates duabus constat partibus, anima et corpore, quarum neutra nec homo nec Socrates est.

Denique Individua a novitiis Dialecticis vocantur etiam *res omni modo determinatae*, quod ita suis partibus constant, iisque, quasi finibus, circumscripta sunt, ut eadem manere non possint, si aliquid iis vel additum vel detractum fuerit. Quod contra est in Ideis universalibus. Atque in his

Digitized by Google

quidem praecipue Philoſophi opera conſumitur; nam Individua nec definiri nec dividi poſſunt.

§. 6.

De Subſtantia et Attributo.

Individua duplicis ſunt generis. Nam vel per ſe conſtant ſuaque vi ſubſiſtunt, unde dicuntur *Subſtantiae* (1), vel ſine aliis, quibus adhaereant, quorumque vi ſuſtententur, eſſe nequeunt: quae dicuntur *Attributa*, vulgo *Accidentia* (2): v. c. corpus est Subſtantia, motus est Accidens. Accidens ſine ſubſtantia eſſe nequit: Subſtantia contra ita informatur, ut quae ſine Accidente poſſit. Ceterum in Enunciationibus Subjectum habet Subſtantiae auctoritatem, Praedicatum Accidentis locum tenet.

§. 7.

De Qualitate et Quantitate.

Attributorum omnis varietas ad duo revocatur capita, *Qualitatem* et *Quantitatem*. Attributis iis, quibus magnitudo menſuraque ſpectatur, continetur *Quantitas:* contra *Qualitas* complectitur omne ejusmodi Attributum, quo magnitudinis menſuraque ratio nulla habetur: v. c. cum dicimus,

(1) Cic. Top. 5. *Quarum rerum nullum quaſi ſubest corpus:* ubi al. Edd. *quaſi ſubſtat corpus;* quas ſequitur Gesnerus Theſ. V. Graece Οὐσία.

(2) Gr. Συμβιβηκός Cic. N. D. I. 32. *ea quae aliis accidunt.* Quintil. ſaepe dixit *Accidens.*

Digitized by Google

mus, *Demosthenes fuit eloquens*, praedicatum ut Qualitas duntaxat spectatur: cum vero ita enunciamus, *Demosthenes omnium fuit eloquentissimus*, tum vero et Qualitas et Quantitas praedicati spectatur. Ceterum nec Qualitas sine Quantitate, nec Quantitas sine Qualitate, esse potest.

§. 8.

De Essentia, Proprietate, Modo, Relatione.

Individua cum sola per se spectantur, attributa eorum omnia sunt unius potestatis ac momenti, et uno vel addito, vel demto, vel mutato, ipsum individuum mutatur (§. 5.). At cùm spectantur tamquam subjecta alicui generi vel formae, tum vero eorum attributa magnopere inter se differunt pondere et auctoritate. Et primum sunt vel *necessaria* et *immutabilia*, vel *fortuita* et *mutabilia*. Necessaria sunt vel *primi* vel *secundi ordinis*. Primi ordinis est *Essentia*, seu *interna natura*, quae prima est et reliquorum attributorum fons atque causa. Secundi ordinis est *Proprietas*, quae et ipsa est necessaria, sed ex Essentia tamen, veluti ex causa, proficiscitur: eaque est vel *peculiaris*, vel *communis*. Fortuita sunt vel interna, quae dicuntur *Modi*: vel externa, seu *Relationes*. Trianguli v. c. *Essentia* est in eo posita, ut tres lineae rectae extremis se punctis tangant. Hinc continuo *Proprietates* oriuntur. vel *communes*, anguli, nam angulos aliae quoque habent figurae; vel *peculiares*, tres anguli; nam tres angulos alia fi-

Digitized by Google

figura, excepto triangulo, nulla habet. *Modus* ejus est, quod sit vel rectangulum, vel aequicrurium, vel aequalibus, vel inaequalibus lateribus; nam qualecumque sit, tamen triangulum erit. *Relatio* (1) est, quod vel majus, vel minus alio triangulo sit, quae existunt ex comparatione rei cum alia.

§. 9.

De Vi seu Qualitate, et Magnitudine seu Quantitate Ideae.

Denique idea alia ratione spectatur, vel secundum *vim*, vel secundum *magnitudnem*: seu ut vulgo loquuntur, secundum *intensionem* et *extensionem*. Est autem *vis intensioque ideae* in ejus attributis iis, quibus ab aliis omnibus ideis *differt*: *Extensio* vero et *magnitudo* ejus continetur ea copia Individuorum, in quibus illa attributa insunt. Trianguli v. c. vis et intensio posita est in eo, ut sit figura descripta tribus lineis rectis: contra magnitudo et extensio continetur copia et numero omnium, quae umquam descripta sunt et describi possunt, triangulorum.

Igitur genera et formae minimam habent intensionem, maximam extensionem: Individua contra maxi-

(1) Graece dicuntur τὰ πρός τι. Cicero Top. 3. *res quae quodam modo affectae sunt ad id quod quaeritur.* Quintilian. III. 6. *Ad aliquid; unde ductae sunt translatio et comparatio.* Ubi Gesnerum hoc ipsum *relatio* reponi.

Digitized by Google

maximam habent intensionem, minimam extensionem.

§. 10.

De Ente, et Principio Repugnantiae.

Omne verum, quod in mentis cogitationem cadere potest, omnisque adeo res, secum ipsa consentit, v. c. *Triangulum*, *Deus*. Huic oppositum est illud, quod in mentis cogitationem cadere nequit, quod ipsum sibi repugnat, v. c. *Triangulum quadratum*, *Deus creatus*. Prius est *Aliquid*, posterius *Nihil*: et Graecorum imitatione prius dicitur *Ens*, posterius *Non Ens*. Atque haec ita sunt a se invicem disjuncta, ut nulla ratione copulari possint, nilque omnino inter ea intercedere queat. Itaque *fieri nequit, ut idem et sit, et non sit:* quod decretum dicitur *Principium Repugnantiae*, seu *Contradictionis*. Cum vero hac formula enunciatur, *Inter esse et non esse nil est medium* appellatur *Principium exclusi medii.*

§. 11.

De Possibili et Impossibili.

Sed Ens cum esse possit, Non Ens contra esse nequeat, Graecorum imitatione hoc *Impossibile*, illud *Possibile* vocatur. Atque ex his Possibile varias habet formas et gradus, Impossibile nec formas nec gradus habet, unde hoc quoque decretum in scholis fertur, *Non Entis nulla sunt attributa.*

§. 12.

Digitized by Google

§. 12.

De mere Posſibili et Exiſtenti.

Posſibilis duplex est genus: alterum *mere posſibile*, quod nullum quidem in se repugnantiam habet, neque tamen extra cogitationem subsiſtit: alterum *subsiſtens*, seu *Exiſtens*, quod non tantum cogitari potest, sed exstat alicubi. Unde natum est hocce decretum, *Ab esse ad posse valet conſequentia*, et contra, *A posse ad esse non valet conſequentia.*

§. 13.

De Posſibili et imposſibili Hypothetico et Abſoluto.

Sed non, ut quid *mere* est *posſibile*, et per internam suam naturam exiſtere potest, ita continuo quovis tempore ac loco fieri potest: v. c. fieri nequit, ut Cajus, qui numquam arcum tractavit, columbam praetervolantem sagitta transfigat: at idem fieri poterit, cum Cajus rationem usumque tractandi arcus assecutus fuerit. Atque hinc oriuntur duo genera Posſibilis et Imposſibilis, alterum *Internum* seu *abſolutum*, alterum *Externum* seu *Hypotheticum.*

Posſibile Abſolutum est Ens, seu illud, quod sibi ipsum non repugnat: v. c. *Triangulum*, *Deus.*

Imposſibile abſolutum, est non Ens, quod sibi ipsum repugnat: v. c. *Triangulum quadratum*, *Deus creatus*

Posſibile Externum, quod non tantum in se non repugnat, sed cujus jam causae exiſtant quibus

bus fieri posſit: v. c. *Cajum, cum ſit bonus ſagittarius, columbam transfigere.*

Impoſſibile Externum, quod quidem in ſe non repugnat, ſed cujus tamen cauſae quibus efficiatur, nondum exiſtant: v. c. *Cajum, antequam arcus rationem uſumque aſſecutus ſit, columbam praetervolantem transfigere.*

Igitur omne Externum Impoſſibile est Internum Poſſibile: non, contra, Internum Poſſibile continuo est Externum Poſſibile.

Porro Interni Poſſibilis Impoſſibilisque nulli ſunt gradus: Externi Poſſibilis Impoſſibilisque varii ſunt gradus, ut aliud alio magis minusve poſſibile aut impoſſibile ſit.

§. 14.

De Neceſſario et Contingenti.

Omni rei est aliquid oppoſitum: v. c. Triangulo oppoſitum est, ut non ſit triangulum. Jam cujus oppoſitum est impoſſibile, dicitur *Neceſſarium*: v. c. *Socrati moriundum eſſe;* oppoſitum enim ejus rei, ſc. ut ſemper vivat Socrates, fieri nequit. Cujus vero oppoſitum est poſſibile, dicitur *Fortuitum, Contingens*, Gr. ἐνδεχόμενον: v. c. *Socratem veneno moriturum.*

Jam vero, ut poſſibile impoſſibileque duplicis ſunt generis, ita ad eandem rationem duplicis est generis Neceſſarium et Contingens. Nam cujus oppoſitum est abſolute impoſſibile, dicitur *abſolute Neceſſarium:* v. c. *Socratem*

es-

Digitized by Google

esse Socratem. Cujus oppositum est externe impossibile, dicitur *Hypothetice Necessarium*: v. c. *Socratem libere magnoque animo capitis causam dicere*; nam in ejus naturam et mores cadere non poterat, ut humiliter ageret; judicibusque supplicaret; quamquam in se hoc non repugnaret.

Eadem est ratio *Contingentis.* Nam cujus oppositum interne possibile, est *Interne* seu *Absolute Contingens*: v. c. *Cajum nulla sagittandi arte praeditum columbam praetervolantem transfigere.*

Contra *Externe* seu *Hypothetice Contingens* est, cujus oppositum est externe possibile: v. c. *Cajum, qui mediocriter arcu valet, columbam praetervolantem transfigere.*

Externa Necessitas est vel *Physica*, vel *Moralis. Externa Contingentia* ipsa quoque est vel *Physica*, vel *Moralis*, complectiturque probabilitatem, agendi indifferentiam, et casus ancipites.

Ut Possibilis Impossibilisque Interni nulli sunt gradus, ita Interni Necessarii Contingentisque gradus esse nequeunt. Contra, ut Externum Possibile Impossibileque varios habent gradus, ita Externum Necessarium atque Contingens magnam habent graduum varietatem, ut aliud alio magis minusve necessarium aut contingens sit.

Ceterum Externum Necessarium est Internum Contingens.

§. 15.

Digitized by Google

§. 15.

De Cauſa.

Cauſae vis per totam rerum omnium, quae ſunt et eſſe poſſunt, naturam latisſime dominatur; quippe ſine ea nihil quidquam eſſe aut intelligi potest. Est vero *Cauſa principium a quo quid fit. Id quod a cauſa fit* dicitur Effectus. Ejus univerſe quidem tria ſunt genera. *Cauſa Poſſibilitatis*, quae est in convenientia rei ſecum ipſa. *Cauſa Intelligendi*, qua ad alicujus rei cognitionem ducimur. *Causſa Exiſtentiae*, qua fit, ut res vere ſit atque exſtet.

§. 16.

De Cauſa Exiſtentiae.

Latisſime patet *Cauſa Exiſtentiae*, neque est illa ſimplex et una, ſed varias habet formas et partes. Earum in primis feruntur quinque, ut auctorem ſequamur Senecam Ep. LXV. *Quinque cauſa ſunt, ut Plato dicit: id, ex quo: id, a quo: id, quo: id, ad quod: id, propter quod: noviſſime id, quod ex his est. Tamquam in ſtatua id, ex quo, aes est: id, a quo, artifex est: id, quo, forma est, quae aptatur illi: id, ad quod, exemplar est, quod imitatur is qui facit: id, propter quod, facientis propoſitum est: id, quod ex istis est, ipſa ſtatua.*

Princeps et prima est *Causſa Efficiens*, in qua est principium actionis: v. c. artifex.

Digitized by Google

Secundo loco est *Materia*, quae se causae efficienti praebet, et ex qua illud efficitur, quod efficiendum est.

Tertio est *Finis*, seu effectio statuae; eo quippe spectat tenditque artificis opera.

Consilium, quod positum est in ea re, quae movit artificem, ut hanc operam susciperet.

Forma, quae materiae adjungitur, ut statua fit.

Exemplar denique, ex quo ducitur forma quae materiae additur.

§. 17.

De aliis Causarum generibus.

Sunt praeter haec alia causarum genera, eaque diversa pondere ac momento (1). Aliae ipsae rem conficiunt, dicunturque *Primariae* et *Conficientes*, aliae vim quandam ad conficiendum afferunt, unde dicuntur *Adjutrices* seu *Sociae*. Est quoque vel *Propior*, vel *Remotior*. Porro *Subjecta* seu *Subordinata*, quae ipsa, vel efficitur, vel regitur a causa Principe et Efficiente, eique velut *Instrumentum* servit. Tum est *Excitans*, per quam causa efficiens ad agendum impellitur: estque illa vel *ratione utens*, vel *bruta*.

Denique est *Permittens*, *Concedens*, *Non impediens*, quae ipsae quoque aliquam conferunt partem, ut res efficiatur.

§. 18.

(1) Aristot. Met. V. 2. Cic. Part. 26. de Fato, 16, seq.

Digitized by Google

§. 18.

De decretis et rationibus necessariis Causae et Effectus.

Ceterum haecce Causarum genera cum sua natura a se invicem differunt, tum, vario tempore locoque, pondus quoque earum atque momentum varium est. Ac de singulis quidem formis alibi dicendum erit. Nunc universe leges commemorabimus eas, quibus Causarum Effectuumque ratio continetur.

1. Nil fieri potest sine Causa.
2. Posito Effectu ponitur Causa: et contra.
3. Causa est prior Effectu.
4. Res nulla se ipsa efficere potest.
5. Omnis Effectus proficiscitur a substantia.
6. Non plus est in Causa, quam in Effectus.
7. Similium Causarum similes sunt Effectus: et contra.

§. 19.

De Formae Idearum.

Hactenus de *materia* Idearum exposuimus; superest, ut de *forma* earum dicamus. Est autem *forma* Ideae ejusmodi ejus attributum, quod non in re ipsa inest, sed nostra cognoscendi ratione efficitur. Ejus varietas tribus fere partibus continetur, quarum prima est in gradu luminis perfectionisque, quo menti obversantur: secunda, in mutua earum comparatione et relatione: tertia, in va-

Digitized by Google

rietate facultatum mentis, quibus percipiuntur et cognoscuntur.

§. 20.

De varietate Idearum, secundum lumen ac perfectionem.

Varii sunt gradus Idiarum lumine firmitateque, qua mens eas percipit: quos gradus in primis acute definivit Leibnitius. Eorum vim differentiamque exemplo patefaciamus. Fac te noctu prospicere in viam, et conspicere et aliquo spatio rem, quae utrum sit lignum, aut lapis, aut animal, aut homo, a te dignosci non possit; habes ideam quidem aliquam ejus rei, sed eam tamen valde *obscuram*. Sed ecce, movetur ea res; ut continuo intelligas, eam esse animatam, neque tamen utrum ea homo, an brutum sit. Jam appropinquat: vides, esse hominem, neque tamen, mas, an foemina sit, cognoscis. Propius accedit, apparet esse marem; nondum vero qualis, cujusve sit conditionis, perspicis. Propior etiam fit; ut videas militem primo, mox Cajum, eum esse. Itaque idea paulatim minus minusque *obscura*, et magis magisque *clara* evadit, quo magis ab universo Genere ad Individui cognitionem accedis. Neque vero haec gradum varietas in solis Individuis, verum in Generibus etiam Formisque valet. Nam *Idea obscura* est talis, qua rem ab aliis rebus secernere non possumus: *Ideae clarae* ea est vis illudque lumen, ut res ab aliis rebus distinguatur et secernatur. Suntque earum

rum varii gradus. Quippe eo est *clarior* idea, quo magis rem ab aliis rebus distinguimus; contra, eo est *obscurior*, quo minus eam ab aliis rebus distinguimus.

§. 21.

De formis Idearum Clararum.

Clarae Ideae duplicis sunt generis. Primum tales, ut res quidem ab aliis rebus dignoscatur, sed in ipsa re partes nullae secernantur: v. c. in *colore*, *voluptate*, *dolore*: quae vocantur *Simplices*, vulgo *Claroconfusae*. Deinde tales, quibus et res ab aliis rebus distinguatur, et in ea partes etiam dignoscantur: ut *triangulum*, *homo*, *Cajus*, et multa talia: quae ideae vocantur *Distinctae*, vulgo etiam *Clarodistinctae*.

Distinctarum etiam duplex est genus. Nam vel partes rei cognoscimus tot talesque, ut eam semper et ubique ab omnibus aliis dignoscere possimus; quae dicitur *Idea Perfecta*: vel partes quidem rei cognoscimus, neque tamen tot talesque, ut rem semper et ubique ab omnibus aliis distinguere possimus, quae dicitur *Idea Imperfecta*.

Praeterea, quo longius mens in dividendis rei partibus progreditur, eo fit perfectior idea distincta: unde nova earum nomina facta sunt. Nam, si mens ipsarum partium partes cognoscit earumque claram habet ideam, dicitur ea *Idea Completa*: si vero mens in primis rei partibus acquiescit, ne-

Digitized by Google

que ulterius progreditur, vocatur ea *Idea Incompleta.*

Quodsi denique mens dividendo ad minimas ultimasque rei partes pervenit, asfecuta est ideam omnibus numeris absolutam, quam vulgo vocant *Adaequatam.*

§. 22.

De varietate Idearum, quae oritur ex earum comparatione.

Attributa Idearum, quae ex earum comparatione exiſtunt, eadem fere ſunt, quae Enunciationum, quibus ſupra (2, 10.) expoſuimus. Sunt enim vel *Congruentes*, vel *Discrepantes.* Porro discrepantium duplex est genus; quippe ſunt vel *Contradictoriae* ſeu *Repugnantes*, vel *Contrariae. Contradictoriae* ſunt ejusmodi inter quas nil medium intercedat: v. c. *Nihil* et *Aliquid*, *Vita* et *Mors*, (conf. ſupra §. 10.) *Contrariae* vero ejusmodi, ut inter eas aliud quid interjectum esſe posſit: ut *Dies* et *Nox*, *Ater* et *Albus*, *Sapiens* et *Stultus.*

Congruentium duplex est diviſio. Nam vel conjungi posſunt, vel revera ſunt conjunctae. Priores vulgari conſuetudine *Composſibiles* dictae ſunt: v. c. *Homo* et *ſapiens.* Posteriores vocantur *Connexae:* ut *Homo* et *corpore praeditum esſe.* Deinde Connexae ſunt vel *Reciprocae*, ut, poſita una, altera ponatur, et ſublata altera, item tollatur altera: v. c. *Cauſa* et *Effectus*, *Mens*

et

Digitized by Google

et *Cogitatio:* vel sunt ejusmodi, tantum altera hac necessitate conjuncta sit: v. c. *Homo* et *Mas;* posito enim homine, non continuo ponitur mas; contra, posito mare, continuo ponitur homo; dicuntur itaque *Subalternae*; quod sibi invicem subordinatae sunt, ut formae et genera. Ceterum formae ejusdem generis partim sunt contrariae, partim congruae; consentiunt enim in genere, et dissentiunt in differentia, (vid. 3. 2 et 3.); unde dictae sunt *Alternae.*

§. 23.

De varietate Idearum, quae oritur ex varietate facultatum mentis, quibus percipiuntur.

Cum rerum ideas et corpore, et mente, et utriusque conjuncta opera, acquiramus; cumque et corporis varii sint sensus, et animae variae facultates, necesse est ita varias multiplicesque existere ideas, ut ipsa instrumenta mentis corporisque varia sunt. Et hoc quidem genus tum demum cognoscetur, cum de mentis viribus actionibusque expositum fuerit.

Digitized by Google

PARS II.

DE MENTIS FACULTATIBUS, QUAE AD VERUM INVENIENDUM, DIJUDICANDUM, ET COMMUNICANDUM CUM ALIIS, VALENT.

Cap. I.

DE COGNOSCENDI FACULTATE.

§. 1.

De via, qua Mentis natura indaganda est

Age igitur, cogitationem, quae hactenus in aliis rebus versata est, revocemus, et in se ipsum convertamus. Age, Menti nostra imperemus, ut in se ipsa redeat, se ipsa excutiat, inspiciat, suasque ipsa vires facultatesque contempletur. Quid enim expeditiorem ei reddat viam inveniendi veri, quam sui ipsius cognitio? Aut quid magis in naturam cogitantem cadere videatur quam ut suam ipsa aciem in se convertat? At vero longe aliter comparatum est. Nam ipsum illud, quod in nobis viget, agit, cogitat, se omnium minime cognoscit, et speculi instar, non suam, sed alienas suscipit species. Quare viam, quam unam nobis reliquit Natura, ingrediamur: ad Mentem nostram, veluti ad rem alienam, accedamus, et rationem, qua ad rerum cognitionem pervenit, duce experientia indagemus.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2.

De Mentis facultatibus universe.

Et primum quidem, quotidie experiuntur, varias esse ejus vires, actiones. Nam vel simpliciter ei rei cujusdam imago observatur, eamque vel veram, vel falsam, esse sentit, quae actio dicitur *Cogitatio:* vel rem appetit aut aversatur, quae est actio *Voluntatis*, vel dolorem aut voluptatem ex re percipit, ad eamque aut fugiendam aut appetendam varie movetur, unde existunt *Affectus*, *Motus*, *Perturbationes Animi*. Sed nuda simplexque Cogitatio sine Voluntate motuque esse potest. Voluntas motusque sine Cogitatione existere nequeunt. Itaque Cogitatio et latius patet quam Voluntas motusque animi, et eas veluti formas complectitur, et est materia, in qua Dialectica versatur. (vid. Proleg. §. 12.).

§. 3.

De fonte notionum, et connatis ideis.

Atque, eadem teste experientia, constat, omnem nostram cognitionem a corporis sensibus proficisci, ab iisque, veluti nunciis, rerum notitias in mentem inferri. Neque est, quod hoc loco disceptationem quaestionis ejus suscipiamus, quae antiquitus et patrum memoria agitata est, cum Plato eumque secutus Leibnitius, statueret, rerum ideas in ipsa mente involutas contineri, et a corporis sensibus saltem excitari; contra Lockius, aucto-

Digitized by Google

re Aristotele, contenderet, nullas ab initio in mente esse ideas, sed a sensibus demum eas in mentem, veluti novam et recentem, inferri (1). Quod si enim cui durum atque inhumanum videatur, Platonis Leibnitiique auctoritatem indicta causa repudiare; hoc certe, omnibus approbantibus, statuere possumus, rerum ideas sine sensibus vel suscipientibus, vel excitantibus, vel admonentibus: (non enim repugnamus, quomodo quis vocet) ideas igitur menti obversari, sine corporis sensibus, tamquam causis, non posse.

Ceterum cognitionis initia et progressus acute descripsit Stoicus apud Ciceronem, Acad. II, 10. *Mens enim ipsa, quae sensuum fons est, atque etiam ipsa sensus est, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur. Itaque alia visa sic adripit, ut his statim utatur: alia recondit, e quibus memoria oritur: cetera autem similitudinibus constituit, ex quibus efficiuntur notitiae rerum, quas Graeci, cum ἐννοίας, tum προλήψεις, vocant. Eo cum accessit ratio argumentique conclusio, rerumque innumerabilium multitudo, tum et perceptio eorum omnium apparet, eadem ratio perfecta his gradibus ad sapientiam pervenit.*

§. 4.

(1) Platon. Meno et Phaedon. Leibnitii Nouveaux Essais sur l'Entendement humain L. I. Aristot. Analyt. Post. II., 19. Lock. Essay on Human Understanding L. I.

Digitized by Google

§. 4.

De Sensu corporis.

Ex quinque sensibus, quos largita est hominum generi Natura, latissime patent *Visus* et *Auditus*. Neque enim solum multo plurimas menti adferunt ideas, sed tales maxime, quibus mens ita adficiatur, ut variae intelligendi vires excitentur atque efflorescant. (Conf. Proleg. §. 10.)

Sed in ipsa sentiendi actione tria cernuntur. Primum, res externa, quae in sensus incurrit iisque objicitur, unde vulgo dicitur *Objectum*. Tum, mutatio affectioque corporis, quae existit ex objecta re externa, ejusque in sensum incursione: eaque vocatur, *Sensus externus*, vulgo *Idea Materialis*. Denique, *Sensus Internus*, seu cogitatio mentis de re objecta, quae in externum sensum incurrit. Rei externae species, quae a sensibus menti infertur, dicitur *Visum*.

§. 5.

De differentia Phantasiae et Intelligentiae.

Sed in visis duplici mens ratione versatur. Nam vel ex iis, tamquam ex materia, novas effingit ideas, et ab iis ad rerum aliarum cognitionem profisciscitur: vel eas servat, et data occasione instaurat. Prior facultas dicitur *Intelligentia:* posterior *Phantasia* (1).

§. 6.

(1) Conf. Aristot. de Anim. III. 3.

Digitized by Google

§. 6.

De duabus partibus Phantaſiae, Memoria et Imaginatione.

Phantaſia, quae quaſi ſenſuum est vicaria, ipſa quoque duplicis est generis. Nam vel viſa, et, quae ex iis natae ſunt, ideas iterum apud ſe inſtaurat: vel ad earum ſimilitudinem alias informat. Prior est *Memoria* (1): posterior *Imaginatio*, cujus vis in ſomnis maxime apparet, et in artibus iis, quae imitatione continentur.

§. 7.

De Memoria.

Memoria est vel *Agens*, vel *Patiens*. Cum pristinae ideae ſponte, neque a mente advocatae, cogitationem ſubeunt, dicitur ea *Patiens Memoria*. Eaque ipſa duobus conſtat generibus. Pristinae quippe ideae vel ita mentem ſubeunt, ut eas non agnoscat, neque ſciat ſe eas aliquando aliunde hauſiſſe; quae est *Memoria Inſciens*: vel ita mentem ſubeunt, ut eas ſimul pro ſuis agnoscat, ſciatque ſe eas olim aliunde hauſiſſe; quae dicitur *Recordatio*. Denique *Memoria Agens* est ea, quae ideas pristinas facile ac celeriter ad nutum mentis inſtaurat, easque tanta luce illustratas, ut con-

(1) Hanc quoque Aristoteles fecit Phantaſiae partem de Memor. I p. 82.

Digitized by Google

continuo agnoscantur, eaque vocatur *Reminiscentia*, Gr. Ἀνάμνησις (1).

§. 8.

De variis Intelligentiae formis.

Reliquae omnes cognoscendi facultates ex una *Intelligentia*, veluti formae ex genere existunt. Ejus primus gradus ad rerum scientiam est in *Attentione*, quae visum menti objectum ita arripit, ut cogitationem ab aliis visis avocet, in hoc uno eo usque intendat, donec illud ab aliis omnibus visis secernere possit. Igitur attentione idea obscura efficitur clara. (I, 2, 20.).

Attentio cum ulterius progreditur, ut non tantum universe signatam visi speciem teneat, sed ejus etiam partes singulas cognoscat, vocatur *Consideratio*, vulgo *Reflexio*. Igitur consideratione idea clara efficitur distincta, (I, 3, 21.)

Porro mens, cum a re integra partem cogitatione sejungit, eamque seorsim spectat, dicitur *Abstrahere*, seu *detrahere*.

Habet etiam hanc mens facultatem ut plura visa, aut ideas, uno obtutu complectatur, et, quid differant inter se, consideret: quae facultas dicitur *Comparatio*. Comparatione igitur Detractioneque efficiuntur *Ideae universales*.

§. 9.

(1) Aristot. ibid.

Digitized by Google

§. 9.

De Acumine, Subtilitate, Ratione, Consilio, Sagacitate

Jam cum omnes cognoscendi facultates valeant ad inveniendum verum, idque ipsum sit in rerum conjunctione vel disjunctione (1, 2, 3.); novae hinc existunt facultatum formae. Nam qui rerum similitudinem differentiamquae scite indagare potest, et novas inde efficere ideas, quae non abhorreant a veritate, ei tribuitur *Acumen*. Qui genera formasque, quoad ejus fieri potest, bene dividit et distinguit, *Subtilis* vocatur. Contra qui individua multa ad unam formam revocare, itemque formas multas uno genere comprehendere apteque colligare potest, eum *Ratione* valere dicimus. Eum denique, qui rerum causas solerter indagat, et earum exitus prospicit, a *Consilio* aut *Sagacitate* laudamus.

§. 10.

De Notione et Existimatione, hujusque formis, Opinione, Scientia, Prudentia. Tum de facultatibus intelligendi, agentibus et patientibus.

Praeterea aliis modis differunt cognoscendi actiones. Nam vel simpliciter obversatur visum menti, quae est *Notio*: vel ita menti obversatur, ut simul cogitatio existat, utrum verum sit visum an falsum, quae dicitur ab Aristotele ὑπόληψις (de Anima, III, 3.) Latine *Existimatio* potest vocari:

Digitized by Google

ri: ejus formae sunt *Opinio*, *Scientia*, *Prudentia*.

Porro quaedam cogitationes sponte et ultro mentem subeunt, aliae a voluntate et industria mentis pariuntur. Itemque actiones aliae pendent a voluntate industriaque mentis, v. c. velimusne diu morari ac persistere in attentione, consideratione, ceterisque actionibus, an vero cogitationem nostram alio convertere. At longe plures exemtae sunt a voluntatis imperio, neque sese pendent a mentis industria, v. c. ut nos demus indagationi rei cujusdam et eam inveniamus, ut alienas cogitationes abigamus, ut eas pro veris vel falsis habeamus. Igitur Intelligentia, cum ejus pars Voluntati subjecta sit, pars suae ipsa naturae necessitate regatur, veluti Existimatio, pars denique cogitationum, eaque longe maxima, casu, id est, a causis nobis incognitis, existat: Intelligentiae igitur natura quin recte *Patiens* et dicatur et habeatur, dubitari non potest (1).

§. 11.

De Notione, Judicio, Ratiocinatione, et Demonstratione; ex vulgari Logicorum disciplina.

Est quoque alia divisio eaque celebrata juniorum Dialecticorum scholis atque compendiis, ea qua universa Intelligentia triplici fecatur actione, *Notionis*, *Judicii*, et *Ratiocinationis*.

No-

(1) Cicero Fin. V. 13, *Ingenerantur suapte natura, appellanturque non voluntariae.*

Digitized by Google

Notione unam ideam ſpectamus: haec, cum exprimitur verbo, dicitur *Terminus.*

Judicio duas ideas ſpectamus, easque vel conjungimus, vel disjungimus: hoc, cum exprimitur verbis; dicitur *Enunciatio.*

Ratiocinatione ex conſenſu vel diſſenſu duarum idearum in tertia quadam, colligimus eas ipſas vel conjungendas vel disjungendas eſſe. Eaque est omnis inventionis origo atque genitrix. Cum exprimitur verbis, vocatur *Syllogismus.* Ex plurimum ſyllogismorum connexione efficitur *Demonſtratio.*

§. 12.

De facultatibus Analyticis et Syntheticis.

Ipſa etiam vis, quam ſequuntur cognoscendi facultates, duplex est. Nam vel descendunt quaſi a generibus ad formas et individua, et a cauſis ad effectus; vel ab effectibus ad cauſas, et ab individuis ad formas generaque adſcendunt. Prior via dicitur *Analytica*, quod diviſione continetur, posterior *Synthetica*, quod in componendis rebus verſatur. Analytica via quae utuntur facultates, hae potiſſimum *Ingenii* et *Scientia* nomine celebrantur. Syntheticam ſequuntur *Obſervatio*; unde exiſtit *Experientia*, *Calliditas*, et *Ars.* Nam, ut ex Stoicorum ſententia ait Cicero Divinat. II, 71, *Obſervatio diuturna notandis rebus facit artem.* Et est illa quidem magis accommodata ad vulgarem hominum captum, quod in ſingularibus potiſſimum rebus verſatur, ſed est eadem ſubjecta multis difficul-

cultatibus et errorum periculis. Contra Analytica magis est conjuncta cum Philosophi officio, quippe quae ideas universales, rerum principia et causas primas, tractat, in quarum scientiam major cadit firmitas atque evidentia. Conf. Aristot. Met. I, 1, 2.

§. 13.

De facultatibus Superioribus et Inferioribus.

Platonis quoque aliorumque Veterum exemplo, cognoscendi facultates discribuuntur in praestantiores et deteriores, sive, ut nostri dicunt, in *Superiores* et *Inferiores*. Quae enim cum corpore minimum habent commercii, versanturque in ideis distinctis, abstractis, universalibus, intelligibilibus, sunt *Superiores*: quales a Graecis nominantur νοῦς λόγος. Sensus vero corporis, et Imaginatio, aliaeque facultates, quae occupantur in rebus sensibilibus, notionibusque claris et confusis, sunt *Inferiores*, et a Graecis vocantur Αἴσθησις, δόξα, φαντασία.

§. 14.

De comparatione Ingenii cum Ratione.

Denique varietas alia existit ex vario horum facultatum *motu*, quae quidem varietas tantam saepius habet vim, ut ejusdem facultatis varii gradus ipso genere differre a se invicem videantur. Celeritas velocitasque intelligendi. *Ingenii* nomine celebratur: contra progressus ad inveniendum verum

Digitized by Google

circumspectus considerateque *Ratio* dicitur. *Ingenium* impetu fere repentino ac veloci agitur in veritate invenienda, et tam brevi rerum connexiones similitudinesque percurrit, ut eas vix agnoscat, et continuo, veluti uno saltu superatis interjectis rebus, in rem propositam incidere videatur; unde ei *felicitas* tribuitur ea, quae a Graecis εὐστοχία (1) dicitur, ducta similitudine a collineandi scopumque feriendi sollertia. Contra tardius est iter *Rationis*, quippe quae acumine et sagacitate nititur, reliquisque facultatibus tamquam instrumentis utitur, et veluti rationes subducendo pedetentim progreditur, donec eo, quo tendit, pervenit. Ingenium cum subito moveatur, ut veluti divinitus excitari videatur, plus quidem habet in vulgus admirationis: sed idem sua se celeritate mobilitateque saepius praepedit (2); aut, quasi telum, praeter scopum fertur, et in joculares incidit errores. Ut Aristoteles (3) recte dixerit magnum ingenium non existere sine aliqua dementiae mixtura. At vero Ratio in mentis sanitate posita est, ejusque iter minus quidem habet admirationis, quippe quod quilibet unus et intelligere, et sequi se posse, putat: est vero idem multo certius, regiturque attentione, consideratione, aliisque facultatibus. Porro Ingenium fere est patiens, pareque sine

(1) Vid. Ruhnken. in Elogio Hemsterhusii.

(2) Longinus de Subl. Sect. XXXIII.

(3) Aristoteles Probl. XXX. 1. Conf. Seneca de Tranq. c. 15. Cicero Tusc. I, 33. Itique J. Davis.

Digitized by Google

sine ipsum necessitari naturae: Ratio contra est agens, sinique ipsa juris et arbitrii. Cumque Ingenium vulgo uniua fautricis naturae habeatur munus, quod ipse sibi dare nemo possit: neque hac in parte reprehendenda est Ratio; nam potest usu studioque ad eam adduci praestantiam, quae velocitate Ingenio haud multum cedat, constantia veritateque multum antecellat. Quibus vero ipsa natura tribuit ingenium, illud Rationis legibus adstringant atque dirigant.

Cap. II.

DE ORATIONE, EIUSQUE PARTIBUS.

§. 1.

De facultatibus iis, quibus homines invicem cogitata communicant.

Mentis interpretem Natura nobis dedit *Linguam*, qua vocis sonos proferre, cogitatuque nostra cum aliis communicare possimus. Nam cum aliae quoque sint rationes, quibus quatuor reliqui sensus tangi, per eosque menti aliorum cogitatio significari, possint; tamen ejus rei efficiendae certissima est via *auditus*, et efficacissimum instrumentum *Lingua*. Primum longe plurima pars rerum voce significari potest. Deinde perspicue distincteque declarantur. Tum nulla potest materia aptior excogitari ad suscipiendam imaginem ideae universalis. Praestans ipsi menti rerum, cum singularium, tum in primis universalium, ideae, verbis, veluti cla-

vis, adfiguntur; ut neque ex ea excidant, neque temere obterant et commisceantur. Denique verba vocesque cum literarum ductibus exprimuntur, existit *Scriptio*, praestantissima ratio communicandae cogitationis cum absentibus, et conservandae rerum memoriae.

§. 2.

Quid sit Verbum, Signum, Loqui, Referre, Intelligere, Interpretari.

Verba igitur sunt cogitatorum nostrorum signa expressa sono vocis. *Signa* vocantur res, quae ita cum aliis sunt conjunctae, ut earum cogitationem in mente excitent. *Loqui* dicitur is, qui cogitata sua verbis enunciat: *Referre*, qui alterius cogitata verbis enunciat. *Intelligit* alterum, qui easdem cum ejus verbis coujungit cogitationes. *Interpretari* eum dicimus, qui ostendit, quas alius cum verbis suis coniunxerit cogitationes.

§. 3.

De Grammatica et Oratoria.

Totum illud *intelligere* multo latius patet ac quidem vulgari consuetudine accipitur, qua intelligere dicitur *cognoscere, quid quis esse aut non esse, velle aut nolle, dicat.* Nam loquendi haec est vis, ut in alterius mente non solum easdem, quas ipsi habemus, cogitationes excitemus, sed eadem etiam ratione eodemque modo excitemus, atque hae cogitationes apud eum ad quem loquimur,

mur, eodem atque apud nos, qui loquimur, sensu motuque sunt conjunctae. Et, ut hoc utamur, non intelligimus magnificum oratoris locum, etiamsi quae singulis verbis potestas sit subjecta teneamus, nisi ejus loci pulcritudinem ita percipiamus, ut eodem sensu motuque, quo orator, cum diceret, commovebatur, ipsi quoque commoveamur. In vita hominum communi etiam haud raro videamus, non recte intelligi quorumdam dicta monitaque; non quod verborum significatio ignoretur, sed quod non animadvertatur, quod consilio, sensu, motuque animi dicantur. Igitur earum rationum, quae ad proferendas communicandasque cum aliis cogitationes valeant, duplex est genus: alterum, quo simpliciter *quid sit fierique debeat* explicatur: alterum, quo simul *efficiendorum commovendorumque animorum ratio habetur*. Ex priori existit *Grammatica*: ex posteriori *Oratoria* et *Poësis* (1).

§. 4.

De Partibus Orationis tribus, Nomine, Verbo, et Convinctione.

Cum res sint vel substantiae, vel accidentia; voces quoque, quibus res significantur, sunt vel substantiarum, seu *Nomina*, vel accidentium seu *Verba*. Itaque partes, quibus oratio efficitur, proprie sunt

(1) Theophrastus ap. Ammonium in Commentar. in Aristotel. περὶ Ἑρμηνείας. p. 282. Ed. Ald. Oratoriam et Poesin dicit accommodari hominibus, Grammaticam rebus ipsis. Confer. J. Harris. Hermes. p. 401.

Dolco, cet. Actio passioque inest etiam nominibus substantivis: quae a verbis oriuntur: v. c. *Laudatio Platonis*, potest enim vel esse ea laudatio, quae Platoni ab alio tributa est, vel ea, quam Plato aliis tribuit.

Dicitur quoque verbum, vel subintellecta quadam substantia, cui accidens adjunctum est, v. c. *Laudat*, *Laudet*, *Laudans*; unde existunt *Modi*, *Indicativus*, *Optativus*, *Subjunctivus*, *Participium*, *Imperativus*; vel nulla significata substantia, cui accidens adjunctum sit, i. e. infinite, unde est *Infinitivus*.

At Verum Logicum continetur enunciatione (I, 1, 3.); neque vero enunciatio sine copula esse potest (ib.); quamquam ea saepius, cum absit, tamen subintelligi possit (I, 2, 3.); unde intelligitur, *Infinitivum* (1) et *Participium* (2), neque Enunciationes efficere, neque in Modis numerari debere. Contra *Indicativus*, *Optativus*, *Subjunctivus*, *Imperativus*, uno verbo complectuntur

tici. Sanctius Min. III, 2. et Vossius Anal. III, 3, id omnino negant: Perizonius contra contendit. Omnino est aliquid in rerum natura, quod nequit actio neque passio sit, nimirum inter utramque non medium, sed utriusque oppositum, i. e. *Quies:* sunt etiam talia rerum attributa. v. c. *Esse*, *Existere*, *Posse*, *Manere*, *Durare*. Verum tamen tacita cogitatione verbis neutris semper aliquam agendi patiendive vim adjungimus.

(1) Sanctius Min. I, 14. et ibi Perizon.

(2) Perizon. ad Sanct. I, 15. et Harris. Hermes. I, 10.

Digitized by Google

tur ſubjectum, praedicatum, et copulam (I, 2, 3.); et quidem ejusmodi copulam, qua ſignificatur modus, quo praedicatum ſubjecto tribuatur aut negetur; igitur *Modi ſunt Enunciationes Modales*, (I, 2, 9.). Cetérum; *Participium* est adjectivum cum ſignificatione temporis, actionis pasſionisve.

§. 7.

De Nomine, Caſu, Genero, Numero, Praepoſitione, Pronomine.

Subſtantia, v. c. *Cajus*, vel Accidens, cui Subſtantiae vim tribuimus, v. c. *Virtus*, *Sapiens*, vocatur *Nomen*. Jam cum relationes ejus Subſtantiae ſignificantur mutationibus ipſius nominis, exiſtunt *Caſus*. Sed ex horum numero, Peripateticorum quidem ſententia, eximendus est *Nominativus*, qui rem magis ipſam ſolam, quam ejus quandam relationem, ſignificat. Cumque fieri nequeat, ut omnia relationum genera tam paucis caſibus exprimantur, inventae ſunt *Praepoſitiones*, ut in hunc uſum cum caſibus conjungerentur.

In nominibus est *Generis* differentia. Qua quidem differentia definienda hanc rationem ſecuta videtur conſuetudo, ut *Masculinum* tribueret iis rebus, in quibus vis efficiens, auctoritas, et dignitas appareret. *Foemininum* contra iis, in quibus patiendi vis, mollities, venuſtas, aut aliud attributum, cerneretur, quod cum muliebri natura conjunctum videretur: *Neutrum* denique iis, in quibus nul-

lum utriusque hujus generis attributum spectaretur.

Numerus est tam in Nomine, quam in Verbo, *Singularis*, *Pluralis*; Ideae universales vocis quidem forma sunt singulares, re ipsa plurales.

Pronomen inde dicitur, quod ponitur pro nomine: estque illud vel *Demonstrativum*, *Ego*, *Tu*, *Ille*: vel *Relativum*, v. c. *Qui*, *Qualis*, *Talis*, *Quantus*, *Tantus*: vel *Infinitum*, v. c. *Quidam*. *Demonstrativum* veluti monstrat rem, de qua sermo est: ejusque tres sunt personae, cum loquens vel ipse de se, vel ad alium, vel de alio, loquitur.

§. 8.

De Vocibus, quae vel se ipsae, vel per alias, quid significant.

Denique alia divisione partes orationis omnes distribuuntur in duo genera. Horum alterum diserte aliquam rem significat, veluti *Verba*, *Nomina*, *Pronomina*, *Adverbia*. Alterum per se nihil significat, et tum demum aliquam vim habet, cum adjungitur illis partibus orationis, quas modo memoravimus: ejus formae sunt *Praepositio*, *Articuli*, *Conjunctiones*.

§. 9.

De varietate Vocum, quae existit ex earum Comparatione.

Explicita vi atque indole praecipuarum orationis par-

Digitized by Google

partium, sequitur, ut de iis earum generibus dicamus, quae ex earum comparatione relationeque existunt. Quemadmodum fieri nequit, ut cujuslibet individui peculiarem ideam mente suscipiamus, (conf. I, 3, 4.), ita non magis fieri potest, ut individuo cuilibet, quod menti innotescit, peculiare Nomen tribuamus. Itaque humanum ingenium, prout magnam individuorum copiam una formae generisve idea complecitur, ita hanc formae generisve ideam uno Nomine significat et continet. Quare pauca admodum individua propriis Nominibus insigniuntur, reliqua omnia communi generis aut formae Nomine comprehenduntur. Nomen individui a Philosophis dicitur *Terminus singularis*; a Grammaticis, *Nomen proprium*: Nomen ideae universalis ab illis vocatur *Terminus Universalis*; ab his, *Nomen Appellativum*. Potest etiam sine Nomine Proprio significari individuum, addito Pronomine ad nomen appellativum; nam certum quoddam individuum significatur Pronomine demonstrativo; v. c. *Hicce vir, de quo dixi*: individuum quodcumque, contra, significatur infinito Pronomine; v. c. *Vir quidam*, quod a Philosophis dicitur *Individuum Vagum*.

Terminus Certus, seu *Univocus*, est cum quo omnes eandem ideam conjungunt; v. c. *unum*, *duo*, *tria*, et alia. *Terminus incertus*, seu *Aequivocus*, cujus vera significatio fluctuat, at ab aliis aliter accipitur; v. c. *Bonum*, *Pulchrum*, *Turpe*. Huc referendus est *Terminus Homonymus*,

mus, qui plures habet significationes; v. c. *Deus*, *Ingenium*, *Spiritus*: *Synonymus* contra est, cum aliud est nomen, quod eandem rem significat; v. c. *Lux*, *Lumen*, *Stella*, *Sidus*, *Astrum*. Sed cum in Homonymis, tum in Synonymis, semper aliquid est differentiae. Homonymo subjicitur *Analogus*, cujus potestas ex similitudine oritur, quique continet Metaphoras, Tropos, Figurasque orationis.

Termini Abstracti significant accidens, veluti rem per se subsistentem, nulla admista notione substantiae, cui illud inhaereat: v. s. *Divinitas*, *Doctrina*, *Pietas*: *Concreti* continent simul substantiam, cui accidens inhaereat: v. c. *Deus*, *Doctus*, *Pius*.

Categorematicus per se certam rem significat, v. c. *Homo*, *Equus*. Contra *Syncategorematicus* nil significat, neque vim exerit, nisi cum Categorematico conjungatur: v. c. *Omnis*, *Nullus*, *Quidam*, et alii, de quibus supra §. 5 et 7. expositum est.

Terminus Finitus, seu *Absolutus*, est quo fines, quibus ideae magnitudo circumscribitur, accurate designantur: v. c. *Longitudinem sex pedum habens*: quod unico saepius vocabulo fit: v. c. *Aliquid*, *Nihil*, *Ens*, *Non Ens*. *Terminus Infinitus*, seu *Relatus*, contra, is est qui ideae magnitudinem non suis finibus circumscriptam exprimit: v. c. *Longus*, *Pulcher*, *Doctus*.

Terminus Obscurus est is, cujus quae sit potes-

Digitized by Google

testas non patet: *Inanis* cui aut nulla vis subjecta est, v. c. *Blitri*, *Scindapsus*, aut, quae subjecta esse putatur, esse omnino nequit, v. c. *Triangulum quadratum.*

PARS III.

DE METHODO.

CAP. I.

DE METHODI NATURA VARIISQUE GENERIBUS.

§. 1.

De indole ac vi Methodi.

Qui res ad usum necessarias, v. c. aurum, quaerunt, primum nosse debent quid sit aurum, quaque nota ab aliis rebus distinguatur: deinde locum, quo aurum lateat, sciant necesse est: tum, instrumenta, quibus abditas terrae venas aperiant, praesto sint et cognoscantur: denique, et viam, quae ad autum ducat, et rationem, qua instrumentis utantur, perspectam habeant. Eodem modo comparatum est veritatis indagandae officium atque negotium. Nam, primum, scire debemus, quid sit ipsum Verum, quaque nota a falso distinguatur, quod exponitur, P. I, 1, 2. et III, 2. deinde, Locus et Fons Veri cognitus esse debet, qui est quadruplex, et explicatur, P. III, capitibus sequentibus: tum Instrumentis, quibus capiatur tractenturque Verum, opus est; quae quidem

Digitized by Google

dem instrumenta sint Mentis facultates, de quibus, P. II. et III. dicitur: denique, via, quae ad veritatem ducit, Ratioque, qua instrumentis cognoscendi utendum est, perspectae esse debent; atque haec via et ratio dicitur *Methodus*.

§. 2.

Totius loci divisio

Est igitur *Methodus* certa via ac ratio, quam humana Mens sequi debet ad inveniendum Verum. Ejusque vis non unice continent ipsa via et ratione, sed tria quoque reliqua inveniendi Veri officia complectitur; ut, si recte intelligi debeat, exponendum etiam sit de Veri Nota ac Fontibus, atque de Usu Facultatum Mentis. Quare, ut totum hunc locum, quoad ejus fieri potest, accurate pertractemus, dicemus, primum, de *ipsa* Methodo: tum, de Nota Veri et Falsi: deinde, de iis Facultatibus, quibus potissimum ad Verum pervenitur, quae sunt rectus Verborum Usus, Definire, Dividere, Argumentari: tum de Fontibus Veri, unde manat vel Mathematica Evidentia, vel Moralis, quae ipsa est triplex, Sensuum, Testimonii, et Conjecturae: denique, de Disputando ac Docendo.

§. 3.

De universali distributione Methodi, in Syntheticam et Analyticam.

Verum, cujus indagatio inventioque proposita est

est philosopho, in universalibus ideis positum est. Jam cum omnis nostra cognitio proficiscatur a sensibus, per quos nobis individua innotescunt, et individuorum comparatione Formas, Formarum comparatione Genera, efficiamus, eaque ratio, quod in componendo versatur, *Synthetica* dicta sit; intelligitur, Mentem sumpte natura *Synthesicam Methodum*, sequi, atque ad ideas universales pervenire. Igitur danda est opera, ut, primum, invidua accurate consideremus atque expleremus, deinde, attente ea comparemus, ab iisque certam firmam distinctamque ideam universalem ducamus atque colligamus: quorum alterum, quomodo efficiendum sit, traditur in capite de Sensibus, alterum in eo de Definitionibus. Hoc si perfecerimus, habebimus ideas ejusmodi, ad quas, cum alias ideas, tum eas res, quae in sensus incurrunt, tamquam ad exempla ac normas, exigamus atque dijudicemus.

Contrarium est iter *Analyticae Methodi*, quae ab universalibus initium ducit, et ad peculiaria progreditur, dividendo Genera in suas Formas, et Formas in minores Formas atque Individua. Igitur sedulo cavendum est, ne Genera distrupamus potius quam scite elegantenque in veras suas Formas partesque dissolvamus: tum illud omnino agendum, ut Formae, quae divisione Generum exsistunt, continuo accuram definitione complectamur. De utroque officio peculiariter Dialectica praecipit: de illo, in capite de Divisionibus, de hoc

hoc, in eo, quod est de Definitionibus. Ceterum, cum Synthetica Methodus a sensibus ordiatur, quibus Individua Effectaque deprehendimus, eaque Generibus Causisque sint posteriora, vocata est *Via a posteriori*. Contra, Analytica Methodus, quod a Generibus ad Formas Individuaque, et a Causis ad Effecta progreditur, atque a priori ad posterius pergit, dicta est *Via a priori*. Unde intelligitur, vere dixisse Aristotelem (1). *viam mentis nostrae contrariam esse viae naturae.*

§. 4.

De Scientiae Historiaeque differentia.

Porro, duplex cognitionis nostrae existit genus inde, quod vel in universalibus, vel in singularibus, seu individuis, versatur. Nam cum in individuis ita occupatur mens, ut eorum mutationes, casus, vicissitudines, factaque, exponat, consequitur *Historiam*, quae proprie ipso genere segregata est a Philosophia (conf. Prol. §. 3.) neque ullam cum ea habet conjunctionem, nisi quatenus causas rerum indagat, et ex rebus singularibus colligit, ideas universales, ad quas judicium de hominum factis casibusque exigat, (conf. ib. §. 4.) Ceterum Historia cum in individuis occupetur, eaque re vera existant, et ad certum locum tempusque adstricta sint, sine temporum locorumque cognitione, seu Chronologia et Geographia,

(1) Physic. Auscult. l. 1.

Digitized by Google

phia, constare sibi nequit. At vero, quae in universalibus versatur cognitio, dicitur *Scientia*, eaque variis Methodorum formis et acquiritur et traditur.

§. 5.

De Methodo Mathematica.

Methodus Mathematica est illa quidem composita ex Analytica Syntheticaque ratione, sed maximam tamen partem ex Analytica. Est vero ejus tanta evidentia ac firmitas, ut major neque esse, neque cogitari possit. Cujus rei causa posita est cum in ipsa methodo, tum in ejus disciplinae materia ac fine. Methodus ea est, ut recto initio Synthetice a simplicissimis ideis paulatim ad compositas perveniat, et definitiones, theoremata, problemataque componat, quorum demonstrationem Analytice conficit, cum ea in minimas dissolvat partes, quae antea explicitae et extra omnem dubitationem positae fuerunt. Materia ejus est *quantitas* corporum ejusque mensura, quae manifestis accuratisque signis definiri et oculis subjici possunt. Finis denique est, ut videat tantum, quid consequatur ex iis principiis, quae posuit; non ut demonstret, vel principia, vel ea, quae ex iis consequuntur, in rerum natura existere.

§. 6.

De Methodo Philosophica seu Methaphysica.

Ad Mathematicae Methodi similitudinem conformata est Metaphysica, et, quae huic tamquam fundamento superstructae sunt, aliae Philosophiae partes. Primum enim, universaljum proponit idearum definitiones, in quibus inveniendis maxime valet Synthetica Methodus; quippe, aut dedita opera ex individuorum comparatione colliguntur, aut sensu experientiaque sponte in mente natae ideae evolvuntur, et in definitionis formam rediguntur. Has deinde dividendo, paulatim ad peculiares minusque universales progreditur ideas. Sed, ut negari nequit, magnam lucem afferre hanc rationem Philosophiae, ita hoc quoque probe est tenendum, non firmitatem etiam evidentiamque Mathematicam cum *Philosophia* communicari posse. Nam, ut Methodus utriusque disciplinae sit eadem, materia profecto et fine diversissimae sunt. Materia Philosophiae est *qualitas*, et ea quidem ejusmodi rerum, quae a corporis sensu remotae sunt, ut earum gradus ac mensura definiri nequeant. Porro signis utitur non concretis, ut Matheſis, sed abstractis, seu verbis, quae et ob curiora sunt signis Mathematicis, et ambiguitatis multum habent, et erroribus parent. Finis denique ejus non is est, ut cognoscat tantum quid ex principiis consequatur; sed ut ostendat etiam, ea, quae consequuntur, in rerum

natura existere (1). Igitur quo magis sunt abditae et sensuum judicio remotae res, quas Philosophia tradit, eo magis vias, quae ad Verum ducunt, omnes persequi debet; ut in docendo non contenta sit demonstratione, quae ad confitendum potius quam ad adsentiendum cogat: sed uberiorem etiam orationem expromat, qua in animos influat, fidemque sibi faciat. Verissime monet Tullius: *Mathematicorum iste mos est, non Philosophorum. Nam Geometrae, cum aliquid docere volunt, si quid ad eam rem pertinet eorum, quae antea docuerunt, id sumunt pro concesso et probato: illud modo explicant, de quo ante nihil scriptum est. Philosophi, quamcunque rem habent in manibus, in eam quae conveniunt, congerunt omnia, etsi alio loco disputata sunt. Quod ni ita esset, cur Stoicus, si esset quaesitum, satisne ad beata vivendum virtus posset, multa diceret? cui satis esset respondere, se ante docuisse, nil bonum esse nisi quod honestum esset: hoc probato, consequens esse, beatam vitam virtute esse contentam: et, quomodo hoc esset consequens illi, sic illud huic: ut, si beata vita virtute contenta sit, nisi honestum quod sit, nihil aliud sit bonum. Sed tamen non agunt sic. Nam et de honesto, et de summo bono,*

(1) Vid. Moses Mendelsohn's Abhandlung über die Evidenz in metaphysischen Wissenschaften, Berlin, 1764. 4.

Digitized by Google

no, separatim libri sunt: et cum ex eo efficiatur, satis magnam in virtute ad beate vivendum esse vim; nihilo minus hoc agunt separatim. Propriis enim et suis argumentis et admonitionibus tractanda quaque res est, tanta praesertim (1).

§. 7.

De Socratica Methodo.

Socratica ratio est illa quidem posita in utriusque Methodi, maxime tamen Syntheticae, usu: et, cum hac de causa, tum propter alia ejus bona, maxime est accommodata humano ingenio, atque merito verissima certissimaque Philosophiae magistra et habetur et nominatur. Nam Socrates (2), qui Philosophiam primus a rebus occultis et ab ipsa natura involutis avocavit, et ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis rebus et malis, quaeretet: Socrates igitur habebat quidem argumentum, in quo versaretur, non magis capax Mathematicae evidentiae, quam Metaphysicam (3), ceterum magis illud ad communem hominum captum intelligentiamque comparatum. Verum tamen ejus perspicuitas et vis persuadendi in primis ex ipsa ratione ac via existebat (4). Primum ipse se ad eo-

(1) Tusc. V. 7.

(2) Cic. Acad. I. 4.

(3) Mendelsohn, l. c.

(4) Nam abstrusissimis etiam rebus lucem adfundi hac ra-

eorum, cum quibus agebat, ingenia accommodabat: et, quo liberius eorum esset judicium, simulabat se nil scire, sed communiter cum iis verum indagare. Porro pauca certa firmaque, plerasque verisimilia, esse ajebat. Scientiam ab Opinione distinguebat, neque omnem disputationem ad Scientiam, seu Mathematicam evidentiam, referebat, sed magnum etiam locum relinquebat verisimilitudini et veris opinionibus (1). Tum disputationem ordiebatur interrogando ea ratione, ut vel ex attenta individuorum consideratione formas, et ex formis genus, colligeret, vel involutam mentis notionem paulatim eliceret, justa definitione comprehenderet, ex eaque consequentias derivaret, quae ad illud, quod quaerebatur, ducerent. Ita fiebat, ut eos, contra quos disputabat, maxime in suam sententiam traduceret (2), cum arbitrarentur se non a Socrate doceri, sed ipsi ex se parere rerum cognitionem (3). Utebatur etiam frequenter inductione, propterea, quod nihil ipse ad persuadendum adferre volebat sed ex eo, quod ille sibi dedisset, qui cum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario apprabare deberet (4).

Dein-

ratione, testes sunt Platonis Dialogi haud pauci. v. c. Theaetetus, Sophista, Philebus, Parmenides, alique.

(1) Plat. Menon.

(2) Plat. Gorg. p. 291. Xenoph. Ἀπομν. IV. 6. 15.

(3) Plat. Menon. Theaetet. et alibi.

(4) Cic. Invent. I. 31. Quintilian. Inst. Or. V. 11.

Digitized by Google

Deinde verbum ad disputationem nullum adhibebat, cujus vera vis non accurata esset perspecta; quo magis illud asequebatur, ut disputatio, ducta ex perspicuis evidentibusque initiis, procedens certa via ac ratione, verbis denique comprehensa, a quibus omnis abesset ambiguitas atque abscuritas, ad certum exitum perveniret. Hac accedebat illa sollertia, qua ad varia ingenia varias docendi refellendique machinas adhibuit: in quibus est in primis ironia, qua sophistas confutavit aliosque homines vanos et sapientiae opinione inflatos. Ceterum cum hic universe de Methodo agamus, neque locus hic est, neque fieri etiam facile potest, ut oratione explicemus omnem Socraticae disputationis vim atque praestantiam, quae profecto multo certius cognoscitur ex ipsis exemplis, quae immortalibus ejus discipulorum, Platonis ac Xenophontis, scriptis prodita sunt (1).

§. 8.

De Methodo Academicorum.

A Socrate, tamquam fonte, complures fluxerunt dissentientes inter se philosophorum familiae, quae quam Methodum frequentarint, haud alienum videtur hoc loco breviter monere. Et vero sententiis magis ac placitis quam Methodo, dis-

fi-

(1) J. Clericus Logicae P. IV. Cap. IX. et Silv. Philolog. Cap. II. et J. A. Ernestus *de Philosophia populari.* Opusc. Or. p. 189.

Digitized by Google

fidebant; cum, ex magistri variis et in omnem partem fusis disputationibus alius aliud apprehendentes (1), viam tamen et rationem fere eandem omnes sequeretur. Primum Xenophon Socratis disputationes vere sincereque prodidit, ad earumque rationem ipse sua scripta conformavit. Plato in materia multum immutavit, Socratemque de rebus physicis disputantem fecit, quas quidem repudiaverat: in methodo tamen germanus est Socraticus.

A Platone profecti sunt duarum auctores familiarum: alterius Xenocrates et Speusippus, quos quasi heredes disciplinae suae in Academia, ubi disputare solebat, reliquit, unde dicti sunt *Academici:* alterius Aristoteles, qui, a magistro dissentiens eam sectam condidit, quae *Peripateticorum* nomine celebrata est, quod disputabant inambulantes in Lyceo. „ Utrique, ut ait Cicero (2), Platonis ubertate completi, certam quamdam disciplinae formulam composuerunt, et eam quidem plenam ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, et nulla adhibita affirmatione consuetudinem disserendi, reliquerunt. Ita facta est, quod minime Socrates probabat, ars quaedam Philosophiae, et rerum ordo et descriptio disciplinae: quae quidem erat duobus nominibus una; nihil enim inter Peripateticos et illam

(1) Cic. Or. III. 16.
(2) Acad. I. 4.

Digitized by Google

lam veterem Academiam differebat (1). Tertia Philosophiae pars, quae erat in iudicio et diserendo, sic tractabatur ab utrisque: quamquam oriretur a sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus: mentem volebant rerum esse iudicem, solam censebant idoneam, cui credieretur; quia sola cerneret id quod esset simplex et unius modi, et tale quale esset. — Sensus autem omnes hebetes et tardos arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quae subjectae sensibus viderentur. — Itaque hanc omnem rerum partem *opinabilem* appellabant. Scientiam autem nusquam inesse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus: qua de causa definitiones rerum probabant, et ad has omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant: verborum etiam explicatio probabatur, id est, qua de causa *quaeque* essent ita nominata; quam *etymologiam* appellabant: post argumentis, et quasi rerum notis, ducibus utebantur ad probandum et ad concludendum id, quod explanari volebant: in qua tradebatur omnis Dialecticae disciplina, id est, orationis ratione conclusae. Huic, quasi ex altera parte, oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix ornatus perpetuae, ad persuadendum accommodatae." Sed Academici, qui ipsi quoque in varias abierunt sectas dissentientes inter se de Veri judicio ac nota, quin Methodum quidem Socraticam constanter te-

nue-

(1) Acad. I. 9.

nuerint, dubitari nequit. Quod vel his argumentis abunde constat, quod Cicero, qui germanus fuit Academicus, disserendi rationem Xenophonteam et Platonicam accurate sequitur, et ita pluribus locis de Socratica Academicaque ratione loquitur, ut eam pro una eademque habuisse videatur (1): quodque Philonem maxime probabat, qui Arcesilae sectam sequebatur, cum Arcesilas disciplinam Academicorum iterum ad Socratis Platonisque formam, a qua deflexerat, revocasset (2).

§. 9.

De Methodo Aristotelis.

Atque haec de Academicis ac Peripateticis conjunctim et universe dicta sunt; sequitur ut de Aristotele peculiariter dicamus. Plato maxime quidem Socraticam interrogandi rationem tenuit, subinde tamen ei copiosius quoddam uberiusque genus adjunxit: quod ab eo assumserunt Academici et Peripatetici, teste Cicerone (3), qui Aristotelis orationem saepius laudat, eamque adeo cum aureo flumine comparat (4), et lectores allicere dicit incredibili quadam cum copia, tum etiam suavitate. Atqui rationis quidem diligentiam et subtilitatem in ejus scriptis omnibus, qui ea legunt, admirantur om-

(1) Tusc. I, 4. Nat. Deor. I, 5. et alibi.

(2) De Or. III, 18. Diog. Laert. IV, 28. et ibi Interpretes.

(3) l. c. Acad. I, 4.

(4) Acad. II, 38.

Digitized by Google

omnes, suavitatem incredibilem perpauci percipiunt; unde fit, ut, recentiore hac aetate, Aristoteles fere in contemtu neglectuque jaceat, et a paucissimis legatur. Operae pretium est, hujus rei causam hoc loco exquirere. Duplex erat, teste Gellio (1), genus scholarum Aristotelis; alterum ἀκροατικὸν et ἐσωτερικὸν, quae habebantur tempore matutino, in quibus subtilius limatiusque disputabat, veramque suam et interiorem doctrinam explicabat; neque ad eas temere quemquam admittebat, nisi cujus ingenium, et eruditionis elementa, atque in discendo studium laboremque, explorasset: alterum genus erat ἐξωτερικὸν, quod inter pomeridianas ambulationes habebatur, ad quas unumquemque sine delectu admittebat; quippe populariter et ad communem captum disserebat. Hinc scripta quoque ejus fuerunt ἐσωτερικὰ et ἐξωτερικὰ, ut discipuli quoque ejus Theophrasti: quod significat Cicero (2) cum ait: *De summo bono duo genera librorum sunt: unum, quod ἐξωτερικὸν appellabant, populariter scriptum: alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt*, id est, ut nos interpretamur, subtiliter scriptum, neque elaboratum ad communem intelligentiam (3). Igitur

(1) N. Att. XXV. 25. Salmas. ad Simplic. 227. sequ. Menag. ad Diog. L. V. 27.

(2) Fin. V. 5.

(3) Hanc esse mentem Ciceronis, ratio ipsa ostendit, nec possunt intelligi ὑπομνήματα et materia librorum scriben-

tur differebant hi libri, cum ratione, tum materia. Acroaticorum materia erat Philosophia remotior subtiliorque, et quae ad naturae contemplationes disceptationesque dialecticas pertineret (1): de dicendi arte Exotericis scholis praecepit, tertiam Philosophiae partem, quae est de moribus et actionibus, utroque modo explicuit, et Acroatico, et Exoterico (2). Ratio porro atque oratio Exotericorum erat plana, facilis, perspicua; Acroaticorum, contra, adstricta, difficilis, et obscurior. Quare qui ad nostram aetatem pervenerunt Aristotelis libri, cum sint neque populariter scripti neque aperti ad intelligendum, quin ex Acroatico sint genere dubitari nequit. Omnino hujus sententiae habemus auctorem Themistium (3), elegantissimum prudentissimumque Philosophum, qui de utroque hoc librorum genere cum alia monet, tum haec: „Exotericos libros populares esse, et ad vulgi captum accommodatos, perspicuos etiam et plenos lucis, dum utiles, tum suaves; ut Venus et Gratiae iis florem et illecebras adjunxisse videantur: Acroaticos, contra, quasi esse mysticos, et sacras initiationes continere; ut, quamquam in omnium

mu-

bendorum: de quibus videatur Ammonius in Categor. Aristot. p. 4.

(1) A. Gell. I, c.

(2) Conf. Salmas. l. c. qui cetera fallitur, cum Ciceronem reprehendit, et ἐξωτερικοὺς λόγους, non pro libris scriptis, sed pro sermonibus accipit.

(3) Or. XXV. p. 319.

Digitized by Google

manibus versentur et veluti ante pedes volvantur, tamen cognitionem habeant magis abditam et ob septum quam regia quae est Ecbatanis." Igitur Exotericam, seu popularem, Philosophiam dialogis consignavit, in quibus secutus est alterum illud Platonis genus, copiosum et fusum, non illud Socraticum concisum et breve: quod intelligi potest cum ex fragmentis quibusdam, tum ex forma eorum, quam Cicero expressit in libris de Oratore et de Finibus (1). Et cum his argumentis, tum testimonio Ammonii, Philosophi docti in primis et acuti, probabile fit, Aristotelem Exotericam Philosophiam dialogorum forma conscripsisse, cujus verba facere non possumus quin Latine vertamus: „Aristotelis (2) scripta, inquit, sunt vel *Dialogica*, in quibus alii loquuntur, vel ἐντευκτικά, in quibus ex sua ipse persona disputat, quae dicuntur etiam *Acroamatica*, quod eorum oratio ad ἀκροατὰς, seu germanos discipulos, haberetur. *Dialogica* igitur sunt, in quibus non ex sua, sed aliorum, persona loquitur, veluti Plato, eaque vocata sunt *Exoterica*, quod in communem usum scripta essent. Sed plurimum inter *Dialogica* et ἐντευκτικά interest: in his ad germanos loquitur discipulos, et sententiam suam ita exponit, ut eam accuratissimis argumentorum conclusionibus demonstret, quas alii capere et assequi nequeunt: in il-

(1) Ep. ad Attic. XIII, 19. Ad. div. I. 9.
(2) Comment. in Categ. p. 4. ed. Ald.

Digitized by Google

illis, quippe conscriptis in communem hominum usum, sententiam suam ita expromit, non ut eam necessariis conclusionibus demonstret, sed facilioribus simplicioribus rationibus probet, quas aliis etiam homines capere et assequi possint."

Jam Ciceronis aetate Aristoteles ab ipsis Philosophis, praeter admodum paucos, ignorabatur: quibus eo minus ignoscendum esse ajebat Cicero, quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae et inventae sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam cum copia, cum suavitate (1). Hanc igitur suavitatis laudem quin Exotericis maxime scriptis tribuerit, dubium non est. Sed a Topicis, qui sunt ex Acroaticis, Trebatium obscuritas rejecit (2): quos quidem ab obscuritate adeo non reprehendit Cicero, ut cum iis etiam illam suavitatis laudem communicasse videatur (3). Nimirum Cicero, singularis, ingenii et acerrimi studii homo, instrumenti Aristotelici, sc 'Οργάνου, scientiam atque usum tenebat, sine quo nemo ad Philosophi intelligentiam pervenire potest (4), et quo si quis uti sciat, disjectis tenebris, lux ac suavitas oboritur. Postea restituto Aristotelicae studio Philosophiae, Acroatici tantum libri frequentabantur, quod in iis solis germana interiorque Phi-

(1) Top. I.

(2) Top. I.

(3) Quamquam sunt, qui putent, hos non eosdem esse atque ii qui supersunt, vid. Fabric. B. G. T. II. p. 202.

(4) Themist. l. c. et Ammon. l. c. p. 5.

Philoſophi doctrina contineri videretur: Exoterici paulatim ex hominum notitia abibant; tantum penitus interibant, maximo verae Philoſophiae et bonarum literarum damno.

Ceterum Methodus ipſa in libris iis, qui ſuperſtites ſunt, fere Analytica est atque demonſtrans (1), de quibus valet, quod est apud Ciceronem, Peripateticos de rerum initiis omnique mundo loquentes, multa non modo probabili argumentatione, ſed etiam necesſaria Mathematicorum ratione concluſiſſe (2) Sed in principiis, ex quibus analyſis ducitur, differebat a Platone, qui ideas univerſales tamquam prima et initia ponebat, atque a ratione ad ſenſus pergebat: cum Aristoteles univerſales ideas ex individuis colligeret, et a ſenſibus ad rationem pergeret (3). In Exotericis vero ſcholis et libris Syntheticam Methodum ſequebatur, *in materia probabili verſabatur*, et probabilibus argumentis utebatur. Socraticam etiam atque Platonicam interrogandi rationem discentibus adhibebat: deinde, in oratoriis quidem maxime ſcholis, ſed in aliis, etiam inſtituit dicendi exercitationem in utramque partem, ut non contra omnia ſemper, ut Arceſilas, diceret, et tamen ut in omnibus rebus, quidquid ex utraque parte dici poſſet, exprimeret (4). Quaestionem a propriis rebus ac perſonis ad

(1) Ammon. l. c. J. Facciolat. Rud. Log. p. 106. ſeq.
(2) Cic. Fin. V. 4.
(3) Conf. J. Facciolatus Rudiment. Log. p. 12.
(4) Cic. ibid.

Digitized by Google

ad universi generis orationem traducebat, quae vocabatur *thesis*; in eaque adolescentes, non ad Philosophorum morem temiter disserendi, sed ad copiam rhetorum in utramque partem, exercuit, et *locos*, id est τόπους, sic enim appellat, quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio (1).

§. 10.

De Methodo Stoicorum.

Superest ut de Stoicis dicamus. Horum disciplina cum universa erat comparata ad informandum sapientem talem, qualis in re et natura esse nemo posset, tum Methodus eorum et Logica ratio ad certam scientiam referebatur, nullam opinioni relinquebat locum (2), et totam illam partem ad vivum resecabat. Igitur discendi initium a Dialectica fieri volebant, eamque in virtutium numero ponebant, quippe quae sapientem ἀδιάπτωτον, id est, ab errore tutum, praestaret (3). Omne igitur ejus officium in eo ponebant, ut Verum certa nota a falso distingueretur certaque ratione dijudicaretur; unde factum est, ut eorum Dialecticae magis dijudicatio veri quam ejus inventio proposita esset (4), et quasi sepimenti locum teneret, quo uni-

(1) Cic. Or. 14.
(2) Acad. II, 18, 19, 20. I, 11.
(3) Diog. Laert. VII, 46, 83.
(4) Cic. Top. 2. de Or. II, 38.

Digitized by Google

universa Philosophia circumvallaretur (1). De ejus forma audiamus ipsum Ciceronem (2): *In hac*, inquit, *arte (Dialectica Stoicorum), nullum est praeceptum, quomodo verum inveniatur, sed tantum est, quomodo judicetur. Nam et* (3) *omne quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus, aut non esse, et si simpliciter dictum sit, suscipiunt Dialectici, ut judicent, verumne sit an falsum, et, si conjuncte sit elatum, et adjuncta sint alia, judicent, rectene adjuncta sint et verane sit summa uniuscujusque rationis: et ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus, et multa quaerendo reperiunt non modo ea, quae jam non possuni ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorta, et potius detexta prope, retexantur. Hic nos igitur Stoicus iste nihil adjuvat, quoniam quemadmodum inveniam quid dicam non docet: atque idem etiam impedit, quod et multa reperit, quae negat ullo modo posse dissolvi, et genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens; sed exile, aridum, concisum, minutum.* Erant omnino Stoici prudentissimi in disserendo (4) et judicandi vias diligenter persequebantur (5), sed spi-

(1) J. Davis. ad Cic. Leg. I, 24.

(2) De Or. II. 38.

(3) Haec lectio placet, ob locum Fat. 10, prae alia lectione *est*, quam proposuimus Bibl. Crit. P. I. p. 20.

(4) Cic. Brut. 31.

(5) Top. 2.

Digitized by Google

ſpinoſi in partiendo (1) et in concludendo contorti (2), et ſyllogismos plurimos excogitabant (3). quorum laqueis cum alios irretiebant (4), tum ipſi ſe impediebant (5). Praeterea, cum verborum proprietatis ſequi vellent, curioſi erant in fabricandis novis rerum nominibus. Quibus quidem cauſis efficiebatur, et eorum Dialectica reliquas etiam partes Philoſophiae obſcuras et ambiguas redderet (6). Ceterum Scriptor eruditus et in primis feſtivus, Lucianus (7), vere acuteque Stoicorum et Mathematicorum disciplinas ſimiles judicat; quod utraque a principiis proficiscerentur minime poſitis in re et natura, ſed ex iis accuratiſſima diligentia conſequentiaque novarum rerum notiones duceret, quas, ut ſit conſentanea et ſeveriſſima concludendi ratio, tamen, cum incerta ſunt principia, incertas eſſe neceſſe ſit (8).

§. II.

De Methodo Hiſtorica.

Ceterum ad disciplinae alicujus cognitionem multum valet *Methodus Hiſtorica*, quae est in eo po-

(1) Tusc. III, 10.
(2) Ib. IV, 5, 14.
(3) Lucian. Vit. Auct. T. I. p. 560. ſeq.
(4) Lucian. l. c. Cic. de Or. I, 10.
(5) De Or. II, 38.
(6) Plutarch. Adv. Stoicos, p. 1070. C.
(7) Hermotim. T. I. p. 817. ſeq.
(8) Summam Dialecticae Stoicorum exhibuit Diog Laërt. VII, 46. ſeq.

Digitized by Google

posita, ut ejus disciplinae fata et vicissitudines ab ipsis primordiis repetantur, incrementa per temporum ordinem notentur, hominumque, qui de ea bene meriti sunt, vitae ac studia exponantur. Habet profecto haec Methodus magnam vim, non solum ad praeparandas imbuendasque eirorum mentes cognitione ejus doctrinae, cujus interiorem rationem capere per aetatem nondum possunt: sed *provectioribus* etiam insignem adfert utilitatem *ad judicandum* inveniendumque, cum alieniis exemplis edocentur, quibus rationibus, vel perventum sit ad veritatem, vel ab ea aberratum, quid ex re atque vero in disciplina tradatur, quid ab hominum opinionibus in eam invectum sit.

§. 12.

De Methodo Fabulari, et similibus.

Sunt aliae, praeter illam, Methodorum rationes, eaeque magis etiam accommodatae puerorum ingeniis et infantum adeo aetatulis. Veluti *Fabularis*, quae res universales singulari comprehendit casu, et, quid verum sit, ficto ostendit exemplo. Ab hoc initio ipsam Philosophiae disciplinam esse profectam, quae antiquissimis temporibus fabularum involucris tradebatur, testis est Historia. Omnino, cum omnis nostra cognitio ex corporis oriatur sensibus, ut cum iis quaeque Methodus est maxime conjuncta, ita maxime est accommodata rudibus ingeniis. Atque ad hoc genus referendae sunt rationes eae, quae videndi audiendive sensum adjuvorem

Digitized by Google

rem assumunt, et a Musica, Pictura, Poësi, aliisve artibus, desumta lenocinia disciplinis addunt, easque hujus suavitatis veluti commendatione mentibus tradunt. Harum varia sunt genera variaque officia, de quibus praecipere non est *Logicae*, sed *Criticae*.

Cap. II.

DE NOTA VERI ET FALSI.

§. 1.

Disputatio contra eos, qui rerum externarum veritatem tollunt.

Jam age videamus, quomodo et his viis progrediamur, et animi facultatibus utamur, ad Veri inventionem atque judicium; et primum quidem notam et signum quaeramus, quibus Verum a Falso secernamus. Sed, ecce, sub ipsam hujus itineris ingressionem vocibus interpellamur eorum, qui omnino nil verum esse clamant. Quid ergo? Num eos veluti insanos clamare finamus et viam ipsi nostram persequamur? an potius substistamus paululum: et quid dicant audiamus? Audiamus vero, quamquam insani videntur; nam vel ad mentem eos revocabimus, vel, perspecta eorum insania, nostram ipsi viam alacrius persequemur: fortasse quoque non intelligimus quid sibi velint, et falso eos insanire putamus.

Igitur, o boni, quid tandem dicitis? nam, si recte audimus, nil verum esse dicitis. Hoc sane est, quod dicimus. Quid vero, an negatis, v. c.

tria esse tria, vel hominem esse hominem? Talia quidem minime negamus. An vero res extra vestram cogitationem esse, seu existere, negatis? Et hoc est quod negamus, et alia sunt. Hoc primum satis magnum est, de aliis postea videbimus: de vobis vero quid statuitis? esse ne vos, ipsi putatis, nec ne? Esse omnino: et firmiter quidem hoc tenemus; nam, se ipsum non esse, sanae mentis homo cogitare nullo pacto potest. Itaque et nos esse affirmetis, si quidem, ut dicitis, sana vobis est mens? Vos quidem, minime estis. Itane vero, nos non esse putatis, et illud, quod esse vocamus, vos quasi praecipuum habetis; quid igitur causae est, quod a via nos revocatis et sistere gradum jubetis, si ne esse quidem nos putatis? Atqui non estis, sed videmini nobis esse. At, simus, nec ne, nostrum est *judicium*: videamurne vobis esse, vestrum est: sed tamen illud *videri* satis magnam apud vos habet vim, ut ita nobiscum agatis atque colloquamini, ac si simus. Ita sane facimus: neque tamen propterea vos magis vere esse affirmemus, quam eas res, quas per somnium videmus, quae videntur esse, cum re vera non sint. An vero nunc quoque somniatis? Fortasse. Sed hoc somnium, in quo nunc estis, quodque ὕπαρ, seu vigiliam, nobis appellare liceat, nonne magnopere differt ab illo altero somnio, quod vobis apparet, postquam dormitum concessistis, quodque ὄναρ dicitur: in hoc nullus est ordo, nulla con-

connexio, quidlibet ex quolibet fit, uno temporis puncto quis ex mendico fit Rex, et ex Italia in Ægyptum transfertur: in illo, contra, est certus ordo, omniaque suis causis apta connexaque sunt: nonne hoc nobis datis: Damus vero: quamquam ordinem illum constantem, quam vos in vita, seu vigilia, inesse dicitis, non agnoscimus. Neque etiam hoc nunc agitur, quantus sit ordo in vita; satis est, infinitis partibus majorem esse ordinem τοῦ ὕπαρ, quam τῶν ὀνείρατος; in hoc omnia sine causis, in illo, contra, ex certis causis fieri, quamvis eas non semper perspiciamus; datisne hoc nobis? Damus quidem. Praeterea, nonne ὕπαρ sensuum perceptiones habet evidentissimas, ὄναρ obscuras et debiles? Ita est: sed eadem varietas est in somniis iis, quae dormientibus objiciuntur, ut aliud alio manifestius efficaciusque sit. Sed tamen manifestissimam somni visionem, postquam experrecti estis, vanam esse agnoscitis? Et certo quidem. An vero ex hoc somnio, τῷ ὕπαρ, in quo nunc sumus, aliquando experrecti estis, ut vestrum errorem agnosceretis, et nunc recordaremini vos nunc non vigilare, sed somniare? Non meminimus hoc quidem. Igitur et hocce somnium, quod nobis ὕπαρ videtur, nunc quidem pro vera vita habere debetis, donec aliquando edormiveritis et experrecti fueritis? Non magnopere repugnamus, quin in hoc somnium pro vita habeamus: quamquam plures etiam rationes sunt, ut, contra, vitam hanc pro somnio ha-

habeamus, quas, nisi molestum est, audiatis. Minime id quidem molestum nobis est, exponite rationes? Facite mendicum in stramento, abjectum somniare se Ephesi beatum virum esse, in maximis voluptatibus degere, et in mollissimo leculo dormientem somniare, se in Deorum convivio esse, ac nectare et ambrosia frui. Quid tum? Facite porro, eum ex secundo hoc somnio *ad se* redire, et cognoscere, se non in Deorum convivio nectare et ambrosia frui: sed putare tamen se Ephesi beatum virum esse: denique expergisci et videre se mendicum in stramento cubare. Quid vero vobis vultis tam absurdo somnio? Nihilum, eandem esse rationem vitae nostrae putamus ac somnii ejus, quo mendicus sibi videbatur Ephesi beatam vitam degere: ita et *homines* somniant, quum obdormiverunt, veluti *ille*, *quum* se in Deorum convivio esse putaret: quum expergiscuntur, tum vero vigilare se putant, neque tamen magis vigilant quam ille, quum agnosceret se non in Deorum convivio esse, sed videretur tamen sibi adhuc Ephesi in deliciis vivere. Ut vos ex alio in aliud inducitis somnium, neque omnino vultis expergisci! an, prout ii, qui jucunda fruuntur somnii visione, aegre ferunt se excitari, ita vobis ipsi beati videmini, neque *vultis* expergisci, ne forte agnoscatis vos esse mendicos et in stramento abjectos: sed vultis ostendamus vobis, quantum a ratione aberretis? Volumus quidem. Inter ὕπαρ et ὄναρ hoc interest nimirum

quod

quod in illo et causarum est ordo et sensuum evidentia, in hoc neutrum inest; notne hoc nobis modo dedistis? Et nunc nihilo vobis damus. Jam inter illas duas visiones mendici nil omnino interest, neque differunt causarum ordine, et evidentia; ut adeo temere alteram cum vita, alteram cum somnio, conferatis: nonne ita se res habet? Habet vero. Neque etiam somnium existit, nisi quadam cogitatorum factorumque a phantasia facta instauratione et temeraria transformatione; nisi forte vestra somnia aliter existunt? Minime vero; sed sunt, ut vestra esse et existere dicitis. Igitur, si haec vita somnium est, consequitur, nos nunc dormire et antea in vera fuisse vita, ex cujus recordatione nostrae nunc cogitationes existant, et aliquando nos in lectum descendisse vel certe nobis dormivisse, ut hocce somnium, quod ὄνειρον vocamus, videremus: horum omnium nos quidem nil meminimus: vos, si magis memoria valetis, age narretis? Neque nos meminimus. Ergone somnium tandem vobis excusimus, ut agnoscere tis vos vigilare? Satis hoc quidem; neque vero nimis profunde dormiebamus. Ita, credimus, faciendum vobis esse; nam si nil verum esse contendicis, ne hoc quidem affirmare debetis, vitam hanc esse somnium? Atqui facimus ita. Igitur res externas vere esse statuitis, si quidem non amplius somno tenemini? Minime quidem *esse* eas affirmamus, sed *videri esse*. Numquid *videri* ut in somnio; quam-

quam hoc dicere non potestis, siquidem experrecti estis? Non quidem ut in somnio, sed *videri* tamen. Quid, ita? Quod sensus hominum sint hebetes ac debiles, et res, quae sensibus cognoscuntur, continuo fere mutantur; idcirco nil ab hominibus ita, ut re vera est, percipitur, sed ita, ut sensibus videtur. Sed tamen illud, quod vobis videtur, eam apud vos habet auctoritatem, ut ei fidem habeatis: cum in via prodeuntes accessistis ad foveam, satisne hoc verum visum putaris, ut ne pedem proferatis et in foveam incidatis? Satis id quidem. An vero, quum v. c. ad lautum invitati convivium cibos exquisitos vinaque excellentia videtis, sensibus vestris non creditis, neque quidquam gustatis? Infaniremus profecto. Neque hoc minus firmiter statuere videmini, sine cibo et potu vitam vos degere *non posse*; quippe qui ad hunc usque diem vixistis? Ita est. Praeterea, res aliae vobis certae videntur, aliae probabiles, aliae dubiae; et cum mentis cogitationem intenditis in rem dubiam, ea saepe probabilis videri incipit, nonnumquam certa? Omnino quidem. Igitur, o boni, convenit inter nos de re ipsa, de verbo disputavimus; nam quod nos *esse* dicimus, hoc vos appellatis *videri*: neque vero causa est, quod propter unum verbum de toto vitae statu pugnemus; nec enim nos aliud affirmamus, quam res externas ita cognosci, uti a corporis sensibus tamquam nunciis menti nuncientur,

Digitized by Google

tur, diligentia etiam atque judicio ad earum facie certam nos pervenire cognitionem: quales re vera sint nescire fatemur (1).

§. 2.

Constitutio hujus loci.

Sed, ut sint vere res eae, quae menti innotescunt, nil profecimus ad firmam cognitionem, si eaedem res aliter atque sunt menti imprimantur, et v. c. illud, quod equum vocamus, sit mulus; et, ut iis, quorum oculi bile sunt suffusi, omnia flava esse videntur, ita nobis res omnes aliae, ac re vera sunt, esse videantur. Quid enim? si omnium hominum sensus eadem sunt in perversitate, nonne omnes in eodem errore consentire necces-

(1) Haec Socratice et populariter contra istos dubitatores disputavimus, quod hanc rationem nostro consilio maxime accommodatam arbitraremur. Nam subtiliora argumenta ad alias disciplinas pertinent, quas ut ii, in quorum gratiam scribimus, perspectas habeant, postulare non possumus. Cartesii Leibnitiique opinionem, qui putant non esse verum vinculum animi et corporis, non erat quod hoc loco moraremur; cum nec illi res externas esse negent, nec notam judiciumque veri tollant. Qui omnino extra nos quid esse negant, quos Idealistas vocant, neque ipsi veri notam judiciumque tollunt, in iis quidem rebus, quae sola mentis cogitatione continentur: vid. Wolf. Psychol. §. 777 et 787.

Ceterum omnes hi tum demum dubitant, cum de hoc loco disputant: extra hunc locum, atque extra disputationem, agunt ut nos reliqui homines.

Digitized by Google

demque auctoritatem secuti sunt veteres Academici ac Peripatetici, qui statuerunt, quamquam oriretur a sensibus veritas, tamen non esse judicium ejus in sensibus: mentem esse rerum judicem, solamque idoneam cui crederetur, quia sola cerneret id quod semper esset simplex et uniusmodi et tale quale esset: quod illi *ideam* appellabant, jam a Platone ita nominatam. Sensus autem omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quae subjectae sensibus viderentur: quae essent aut ita parvae, ut sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles et concitatae, ut nihil unquam unum esset constans, ne idem quidem, quia continenter laberentur et fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum *opinabilem* appellabant. Scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus: qua de causa definitiones rerum probabant, et ad has omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant (1).

§. 5.

De Stoicorum sententia.

Stoica ratio eo spectabat, ut Sapientem effingeret talem, qui numquam falleretur, nulla in re labe-

(1) Acad. I, 9. Quamquam multis partibus a Platone dissensit Aristoteles, tamen, in hoc quidem loco, qui est de veri falsique nota, non dissensit, et recte Cicero hanc sententiam utrique tribuit scholae.

Digitized by Google

beretur. Igitur in sensuum visis certam notam inesse statuebant, qua vera a falsis distinguerentur, quam vocabant ἐναργείαν, seu *Evidentiam*, cujus hanc esse vim, ut ex re externa visum, seu species, menti imprimeretur talis, qualis non posset imprimi ab alia re. Visa alia esse *comprehensibilia*, quibus res extrinsecus oblata respondeat, alia *incomprehensibilia*, quibus res extrinsecus oblata non respondeat: visum verum etiam simpliciter *Visum* vocabant (1). Visum habere hanc vim, ut, quemadmodum lanx in libra ponderibus impositis deprimatur, sic animus perspicuis cedere debeat (2). Zeno, princeps ejus scholae, Veri perceptionem atque judicium hac similitudine declarare solebat: „ Cum extensis digitis adversam manum ostenderat, *Visum*, inquiebat, *hujusmodi est*. Deinde, cum paullum digitos contraxerat, *Adsensus hujusmodi*. Tum, cum plane compresserat, pugnumque fecerat, *Comprehensionem* illam esse dicebat: qua ex similitudine, etiam nomen ei rei, quod antea non fuerat, κατάληψιν imposuit. Cum autem laevam manum arcte vehementerque compresserat, *Scientiam*

(1) Conf J. Davis ad Cic. Acad. II, 24. Alii adeo Stoici omnia visa vocabant vera: conf. Jac. Facciolat. Acroas VIII.

(2) Cic. Acad. II. 12, ut contra rem ipsam et sententiam Stoicorum librae similitudinem assensioni tribuat Walkerus ad Cic. I. c. Stoici visum extra nostram potestatem ponebant, assensionem voluntariam esse dicebant: conf. Gell. XIX. 1. et Heynium, praestantissimum interpretem Enchiridii Epictet p. 172.

tiam talem esse dicebat: cujus compotem, nisi sapientem, esse neminem (1)." Sed ad haec, quae visa sunt et quasi accepta sensibus, adsensionem adjungebat animorum: quam esse volebat in nobis positam et voluntariam. Visis non omnibus adjungebat fidem, sed iis solis, quae propriae quandam haberent declarationem earum rerum; quae viderentur; id autem visum, cum per se ipsum cerneretur, *Comprehensibile*, cum acceptum jam et adprobatum esset, *Comprehensionem* vocabat, similem iis rebus, quae manu prehenderentur: quod autem erat sensu comprehensum, id ipsum *Sensum* adpellabat: et, si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, *Scientiam*, sin aliter, *Inscientiam* nominabat, ex qua existeret etiam *Opinio*, quae esset imbecilla et cum falso incognitoque communis. Sed inter Scientiam et Inscientiam, *Comprehensionem* illam collocabat, eamque neque in rectis, neque in pravis numerabat, sed soli credendum esse dicebat; e quo sensibus etiam fidem tribuebat; quod comprehensio, facta sensibus, et vera esse illi et fidelis videbatur: non quod omnia, quae essent in re, comprehenderet, sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret, quodque eam Natura quasi normam scientiae et principium dedisset, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur: e quibus non principia solum, sed latiores quaedam ad rationem inveniendam viae ape-

(1) Cic. Acad. II. 47.

Digitized by Google

rirentur. Errorem autem et temeritatem et ignorantiam et opinionem et suspicionem, et, uno nomine, omnia, quae essent aliena firmae et constantis adsensionis, a virtute sapientiaque removebat (1).

§. 6.

De Epicuri et Cyrenaeorum sententia.

Epicurus nimium etiam auctoritatis tribuit sensibus, quippe in iis Veri judicium non solum ponebat, sed eos omnino numquam fallere pronunciabat, et eo rem demittebat (2), ut si unus sensus in vita semel mentitus esset, nulli unquam esset credendum. Igitur, si quando sensus nos fallere viderentur; opinionis esse, non sensuum, errorem; Huc addebat, tamquam secundo loco πρόληψιν, seu notitiam rerum, quae ex sensibus oritur. Denique boni malique judicium in voluptate et dolore ponebat. Cyrenaei, affines ceterum Epicuro, percipi quidquam extrinsecus posse negabant; ea sola percipi, quae tacta intimo sentiantur, ut dolor et voluptas; neque quo quid sono aut colore sit sciri posse, tantum sentiri adfici se quodammodo (3).

§. 7.

(1) Acad. I. 12. Stobaeus Ecl. Eth. 2. p. 183.
(2) Acad. II. 25.
(3) Acad. II, 24, et ibi J. Davis.

Digitized by Google

§. 7.

De sententia Arcesilae, auctoris secundae Academiae.

Cum Stoici ita informassent Sapientem, ut nil opinaretur, omnia comprehensione et scientia teneret, hujus disciplinae auctori Zenoni opposuit se Arcesilas, mediae auctor Academiae, et *nihil omnino sciri posse* affirmabat. *Primum*, notam veri Visi nullam esse qualem Zeno esse diceret, formam, nempe, in mente impressam et signatam ex eo quod esset, talem qualis esse non posset ab eo quod non esset, nullum enim tale Visum esse a vero, quale non etiam a falso posset esse (1). Deinde, non sensibus tantum, sed animo, quidquam veri percipi posse negabat: omneque animi sensusque judicium aspernatus, *nil* ipse statuebat, sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputabat (2). Cumque Socrates negasset, quidquam se scire praeter illud unum, nihil se scire: Arcesilas hoc ipsum tollebat, ut jam ante eum Metrodorus (3), et dixit, ne hoc quidem sciri posse, utrum sciri aliquid possit nec ne (4). Finem denique Philosophiae esse ἐποχὴν, id est, retentionem judicii. Sed juvat ejus

(1) Cic. Acad. II. 24.
(2) Cic. de Or. III. 18.
(3) Acad. II. 23.
(4) Acad. I. 13.

Digitized by Google

ejus sententiam Ciceronis explicare verbis (1): *Cum Zenone sibi Arcesilas omne certamen instituit, non pertinacia aut studio vincendi, ut mihi quidem videtur, sed earum rerum obscuritate, quae ad confessionem ingnorationis adduxerant Socratem, et, veluti jam ante Socratem, Democritum, Anaxagorum, Empedoclem, omnes paene veteres, qui nihil cognosci, nihil scire posse dixerunt: augustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitae, et, ut Democritus, in profundo veritatem esse demersam, opinionibus et institutis omnia teneri, nihil veritati relinqui: deinceps omnia tenebris circumfusa esse dixerunt. Itaque Arcesilas negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum quod Socrates sibi reliquisset. Sic omnia latere censebat in occulto, neque esse quidquam quod aut cerni aut intelligi posset: quibus de causis nihil oportere neque profiteri neque affirmare quemquam, neque adsensione adprobare, cohibereque semper et ab omni lapsu continere temeritatem: quae tum esset insignis, cum aut falsa, aut incognita res adprobaretur: neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni adsensionem adprobationemque praecurrere. Huic rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut, contra omnium sententias, dies jam ple-*

(1) Ib. et Sext. Empyr. Pyrrhon. Hypotyp. I, 33: et Adv. Logicos. VI. p. 4, 12. sequ.

Digitized by Google

plerosque deduceret; ut, cum in eadem re partia contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio sustineretur.

§. 8.

De sententia Carneadis, auctoris tertiae Academiae.

Ut Zenoni Arcesilas, ita Chrysippo contradixit Carneades, tertiae auctor Academiae. De nota veri eadem ratione pronunciavit contra Stoicos, qua Arcesilas, *non posse ideam, seu speciem, a vera re menti imprimi, qualis non posset imprimi a falsa re.* Ceterum Arcesilae sententiam vel mitigavit, vel auxit atque amplificavit. Nam cum Arcesilas omnem assensionem ad vivum resecasset, et contra omnia disputasset, neque quidquam in rebus Veri reliquisset (1); Carneades ita statuit, ut diceret, nil quidem percipi posse, neque tamen omnia esse incerta (ἀδηλα); incertis assentiendum non esse, incomprehensibilibus assentiendum saepius esse, quod ea assensione sublata omnis vitae status everteretur: nil igitur homines *percipere et comprehendere, opinari omnia*, et habere illud incomprehensibile, cui adsentiendum esset, varios probabilitatis gra-

(1) Vid. supra §. 7. et Nemesium ap. Euseb. Praep. Evang. XIV. 7.

gradus, quos sequendos esse hominibus (1). Probabilitatis criterium, seu notam, esse: Veritatis nullam, neque in sensibus, neque phantasia (2), neque ratione. Illud etiam Arcesilai tuebatur, *ne ipsum quidem hoc percipi posse, nil percipi posse* (3). Contra Chrysippum ita ejus ingenium exarserat, ut eum quovis modo urgeret, et suis ipsum rationibus confutaret; ut vulgo diceretur, eum a Chrysippo armatum fuisse (4). Syllogismos, quibus Stoici utebantur, contra ipsos converti, ut firmissima etiam veritatis fundamenta, ne repugnantiae quidem principio excepto, labefactare conaretur (5). Quod quin ex tempore potius, quam animi sententia, fecerit, dubitandum non est. Ceterum non negavit esse aliquid Veri, comprehendi tamen illud, et percipi posse negabat (6); cum Arcesilas omnino nil

(1) Cic. Acad. II. 10. Carneadis et Clitomachi mens exponitur, ibid. 31, 32.

(2) Sext. Emp. Adv. Log. VII. 404. *phantasium* vocat affectionem mentis, quae objecto viso oritur; quod nisi teneatur, Chrysippi definitio, quae est ap. Plutarch. Plac. Phil. et nostra quam disputat hoc loco Carneades, ejusque sententia intelligi non potest.

(3) Acad. II. 9, 34.

(4) Acad. II. 27.

(5) Acad. II. 28, 29.

(6) Ita et Cicero, qui cum Philone sequebatur Carneadem, Acad. II. 38. Arcesilas contra cum Pyrrhone sentiebat, in rebus ipsis inesse incomprehensibilitatem, conf. Ammon. in Categ. Ar. p. 3. et Baileum in Lex. Crit. V. Carneades.

veri esse contendisset, et hanc ἀκαταληψίαν, seu incomprehensibilitatem, magis in rebus ipsis quam in mentis imbecillitate posuisset.

§. 9.

De sententia Scepticorum

Scepticl volebant illi quidem, ut vidimus, medium viam sequi inter Dogmaticos et Academicos: erant tamen revera Academici, et ad Arcesilam proxime accedebant. Nam ajebant, omni rationi, quare quid pro vero habendum sit, oppositam esse aequalem atque ejusdem momenti aliam rationem, quare idem pro falso habendum sit: quae et Arcesilae fuerat sententia. Deinde, cum Academici illud firmiter tenerent, nihil posse percipi, ne illud quidem unum, quod nihil percipi posset; facile apparet, eos non affirmasse nil esse verum, sed non statuisse utrum quid sit verum nec ne, et assensionem ab omnibus rebus cohibuisse: qui erat Scepticorum finis. Caeterum hanc rationem primus instituit et celebravit Pyrrho, eamque eruditissimis commentariis illustravit Sextus Empiricus, quos, magno literarum bono, ex veterum librorum naufragio servavit fortuna.

§. 10.

Constitutio hujus loci.

Sed age totum hunc locum in suas distribuamus partes, ut videamus, quid nobis agendum sit,

ut Veri notam inveniamus, neque temere oberret nostra disputatio. Primum igitur illud est tenendum, omnes hos dubitatores, Academicos, Scepticos, quique eos ex recentioribus secuti sunt, in disputatione tantum et schola dubitasse, in actione et vita versatos esse ut alii homines, qui Verum minime tollunt. Nam, et pueriliter fictum est, quod de Pyrrhone fertur, eum usque eo repudiasse sensuum fidem, ut ambulans in foveam incideret: et satis constat, Academicos non ex animi sententia contra omnem veritatem disputasse (1), sed ut Dogmaticorum, in primis Stoicorum, fastum retunderent, qui de rebus certe et confidenter pronunciabant, solos vero cum suis placita statuisse, et certam disciplinam secutos esse. Deinde animadvertendum, duplicis esse generis hos dubitatores: quorum alteri veritatem ex *rebus ipsis* tollunt, alteri ex *cogitatione*. Qui eam ex rebus ipsis tollunt, sunt Heraclitus, qui omnia fluere, nil constanter manere, dixit (2):

De-

(1) Cic. Acad. II. 10. et ibi J. Davis. Sext. Emp. Hyp. Pyrrh. I, 33. de Arcesila.

(2) Hoc de rebus corporis intelligendum, quas fluminis instar fluere, neque percipi posse, ut neque bis in idem flumen quis descendere possit; nam de rebus a corporea natura remotis firmiter etiam statuebat, ut est ap. Sext. Emp. Hyp. Pyrrhon. I. 29. Protagoras, qui ipse quoque omnia fluere contendebat, tamen omnia visa vera esse affirmabat, et id cuique verum esse quod ei videretur: confer. Aristot. Metaph. XIII, 5. Sext. Emp. Pyrr. I, 32. Adv. Math. VII. p. 442 et 448.

Digitized by Google

Democritus, et Plato, quorum hic eam in solis *ideis*, ille in *atomis* ponit: et alii, de quibus supra monuimus, (not. §. 1. hujus capitis). Cum quibus nobis quidem nulla est disputatio: nam relinquunt tamen aliquid, quod *videatur*, quodque satis magnam habeat auctoritatem, quare ei fidem tribuamus; et notam etiam relinquunt, qua illud, quod videtur, ab eo, quod non videtur, distinguamus. Porro, qui rerum bonarum malarumque discrimen tollere conantur, iis in aliis disciplinis est respondendum; nos quippe in Logicis de uno *Vero* agimus. Et si largiemur iis, bonum malumque non internam propriamque habere naturam, sed ab opinione, tempore, loco, aliisque rebus pendere; tamen necesse est illud nobis concedant, in ipsis iis rebus, quas bonas malasve appellamus, aliquid ineasse debere, *quare* nobis bonae malaeve possint videri; et, si maxime fluctuent hominum judicia in Bono Pulchroque, in Vero tamen eorundem firmitatem constantiamque infinitis partibus esse majorem.

Quare omnis est disputatio contra eos, qui Verum ab hominibus intelligi percipique posse negant, quales sunt Carneades, et Sceptici, nam antiquiores, Xenophanes, Empedocles, Parmenides. Verum non ex rebus ipsis, neque ex omni mentis cogitatione, sed a sensibus tantum corporis tollebant. Et ipsi, contra quos nobis disputandum est, in primis sensuum veritatem fidemque oppugnant; ut, labefactato hoc fundamento,

totum quasi corruat aedificium humanae cognitionis.

§. 11.

Distributio hujus loci.

Igitur ita versemur in hac disputatione, ut tam a Dogmaticorum asseveratione et pronunciandi temeritate, quam Scepticorum petulantia et obstinatione, nobis caveamus. Et primum quidem, revocemus nobis in memoriam, nos de *Logica Veritate* disputare, eamque positam esse in enunciatione, et variae esse firmitatis, pro numero auctoritateque causarum, quare praedicatum adjungatur; inde existere duplicem evidentiam, *Mathematicam* et *Moralem*; in illa esse certam et inconcussam veritatem et scientiam; in hac verisimilitudinem et opinionem, eamque tribus constare partibus, *Sensu corporis*, *Testimonio*, et *Conjectura*. Quare adversarii, cum mathematicam evidentiam convellere nequeant, moralem oppugnant. Nos pro ea propugnabimus, posteaquam de rebus iis exposuerimus, sine quarum cognitione illa disputatio suscipi regique non potest.

Cap. III.

DE ORATIONIS VERBORUMQUE USU.

§. 1.

Loci hujus constitutio.

Cum officium suum Logica praestare nequeat, ni-

niſi oratione utatur certa, accurata, perſpicua, videtur hic eſſe locus, quo de recto ejus uſu praecipiamus. Quae quidem praecepta intelliguntur, cum ex ipſa *Verbi* definitione, tum ex fine ipſius Logices. Nam *Verba* ſunt *Signa rerum et cogitationum linguae inſtrumento prolata:* finis Logices est *Veri judicium, inventio, et interpretatio.* Igitur Verborum uſus ita regendus est, ut ad illum finem perveniamus. De *interpretatione* poſtea dicetur: nunc univerſe de Uſu Verborum Orationisque agemus.

§. 2.

Lex prima.

Prima lex est, *Ut omni Verbo adjuncta ſit res.* Sonus enim, qui enunciatur, niſi ſit ſignum alicujus rei, non Verbum ſed *Sonus inanus* ſit: v. c. *Blittri, Scindapſus.* Et alii, qui ejusmodi ſonum pro Verbo accipiunt, falluntur, haud ſecus atque iis, qui imprudentes vacuam capſulam pro plena accipiunt.

§. 3.

Lex Secunda.

Neque ſatis est, ut quid ſignificetur Verbo: *debet illud, quod ſignificatur Verbo, non repugnare, ſed veri quid eſſe.* Niſi enim illud, quod Verbo ſignificatur, veri quid ſit, neceſſe est, omnes eos, qui Verbum audiunt, in fraudem induci ſimilem atque ii, quibus in capſula fal-

Digitized by Google

falsum aurum pro vero traditur. Veluti cum audiunt verba haec, *Antipathiam*, *Sympathiam*, *Instinctum*, eo paulatim inducuntur, ut credant, hisce Verbis verarum significationem rerum subjectam esse.

§. 4.

Lex tertia.

Porro: *res omnes earumque attributa ut ipsa sunt varia, ita significanda sunt variis verbis; ut ex ipsa forma verbi continuo intelligatur, utrum res, quae ei subjicitur*, v. c. *substantia an accidens, agens an patiens, sit.* Cui quidem officio licet per linguarum inopiam et temeritatem satisfieri nequit, tamen Philosophus, quoad ejus fieri potest, studebit, ut si res, vel attributum ejus, unico verbo exprimi nequeat, illud etiam pluribus verbis, tamquam terminis, circumscribat (1).

§. 5.

(1) Optandum quidem est, ut rerum attributa et affectiones certis et constantibus formis, vel praepositionibus, vel terminationibus, significari possint. Nunc ad hanc orationis praestantiam, longo tamen intervallo, proxime accedit Graeca lingua; et ejus rationem sequi necesse sit Philosopho: vid. Harrisium in praestantissimo opere, *Hermetis* nomine inscripto. Ceterum haec sunt naturalia vitia linguae, quae Lockius recenset, L. III. Cap. 9. Quem ipsum toto capite hoc maxime secuti sumus disputantem de usu verborum, L. III. Cap. 10, 11, 12.

Digitized by Google

§. 5.

Lex Quarta.

Cumque rerum attributa sint vel *ajentia* vel *negantia*, sedulo est cavendum, *ne verbis iis, quibus negantia significantur, verae rei potestatem subjectam esse putemus.* Qui profecto error longe est frequentior quam vulgo putatur. Nam cum plerisque omnibus verbis verae res subjectae sint, ii, qui non satis animum advertunt, paullatim eo delabuntur, ut omnibus omnino verbis verae rei potestatem ipsi errore consuetudinis adjungant; unde videmus, *tenebras*, v. c., *spatium*, a nonnullis pro veris haberi rebus, quum proprie in absentia rerum posita sint. Temere agunt etiam qui verba negantia tamquam ajentia ponunt, et cum ajentibus conjungunt; veluti si quis dicat, *Homerum caecitate praeditum fuisse.* Itaque verbum negans, cum rei absentiam significet, si pro ajente quis accipiat, is similitet labatur, ac si quis capsulam, in qua signum est ablati auri, accipiat ea mente, ac si aurum adhuc in ea sit (1).

§. 6.

Lex quinta.

Debet etiam notio, quae verbo subjicitur, non vaga et obscura, sed clara suisque terminis accu-

ra-

(1) Haec sunt voluntaria vitia linguae, seu quae ab hominum negligentia pendent.

rate descripta esse. Quare cavendum est, ne verbis utamur iis, quorum qua sit potestas, vel ignoramus, vel non accurate tenemus. Nam qui temere audiunt et pronunciant verba, quorum vim non bene perspiciunt, sensim in eam includunt opinionem, se cum verbo rem ipsam tenere. Suntque hi similes iis, qui capsulam ab aliis acceptam, numquam aperuerunt, neque sciunt quale et cujusmodi sit quod in ea inclusum est, neque tamen eo minus illud scire sibi videntur (1).

§. 7.

Lex Sexta.

Igitur omni cura faciendum est, ut *cum verbo semper ipsam ei subjectam rem animo cogitemus*; ne paullatim a re abducamur, et in sono haereamus inani. Cujus praecepti non possumus laudare meliorem gravioremque Ernesto interpretem (2): *Hic vero*, inquit, *magna in utramque partem educationis vis est. Si enim homines ita a teneris unguiculis instituerentur, ut, quidquid audirent legerentve, quod nondum aut sensibus perceptum, aut cogitatione comprehensum esset, ejus vim requirerent; facile efficerent, ut verbis, vel auditis vel prolatis, semper ideas notionesque rerum. ipsarum claras sal-*

tem

(1) Lock. L. III. Cap. II. §. 9, 10.

(2) Initia Doctr. Solid. Pars Dialectica Cap. II. §. 28. Conf. Lock L. III. Cap. 19. §. 4.

tem jungerent. Nunc, cum plerique statim ab incunabulis multa audiant, quorum nullam ideam ipsi, saepe adeo nec illi qui loquuntur, tenent, multa etiam ediscere cogantur, quae non intelligunt, nec intelligere possunt; statim ab illo tempore consuetudinem contrahunt multa loquendi sine sensu, longas precum formulas eo tempore memoriae mandatas, recitandi, et omnia alia cogitandi, quam verba postulant. Atque haec consuetudo apud plerosque, ut solent infantiae consuetudines, tam altas agit radices, tam pertinax evadit, ut non nisi cum vita deponatur.

§. 8.

Lex Septima.

Praeterea, ut alios intelligamus ipsique *ab aliis* intelligamur, linguae consuetudinem atque usum teneamus, penes quem, u. ait Horatius, arbitrium est et jus et norma loquendi. *Verbis utamur consuetis et pervulgatis, significatione consueta ac pervulgata.* Hoc vero non eo valet, ut in docendo scribendoque vitia etiam pervulgatae consuetudinis sequamur, quod Epicurus fecit, cum populariter philosophari studeret: sed imitemur potius elegantem illam Socratis et *Platonis* rationem, qui popularem quidem sequebantur sermonem, sed ejus tamen vitia et emendabant et vitabant. Cumque novis rebus nova quoque nomina sint ponenda, concedendum est hac in par-

parte disciplinarum subtilitati: sed, hoc nil impediente, verba nova ad linguae rationem et consuetudinem debent esse conformata, ut, quoad ejus fieri potest, sponte quilibet significationem eorum intelligere possit. Omnino fieri nequit, ut, qui subtiliter accurateque philosophentur, verbis utantur omnibus ejusmodi, quorum vis quotidiani sermonis consuetudine pervulgata sit. Nimium tamen studium in novis fabricandis nominibus figiendum est, quo in primis Stoici disciplinam Philosophiae difficilem horridamque reddiderunt.

§. 9.

Lex Octava.

Quod si etiam aliquando fieri debet, ut verbo novam significationem tribuamus, monendum est de ea; ne alii imprudentes in errorem inducantur. Rei etiam novae, cujus significatio verbo tributa est, vis definitione aperiatur, eamque significationem in ea disciplina et loco, quo eam induximus, constanter teneamus: aut, cum ab ea recedimus, non committamus quin diserte admoneamus. Quod etiam valet de *Homonymis*, seu iis verbis, quibus ipse usus plures adjunxit significationes; quarum cum una sit princeps et propria, reliquae ab illa per similitudinem ducae, unde fiunt tropi et metaphorae (1), in disci-

(1) Figuras rhetoricas et totam Oratoriam ut inanem et veritatis studio contrariam rejicit Lockius, L. III, C.

cipiis quidem potissimum utatur propria significatione, aut ea quae consuetudine plurimum frequentata sit; et sive hanc, sive illam, sive aliam quamcunque sumamus, de ea primum moneamus, et accurate eam definiamus. Valet idem *Synonymis*, seu verbis quae eandem rem significant. Nam cum re vera nulla sint Synonyma, sed videantur esse; propterea, quod uni eidemque generi formae diversae subjectae sint, quae et secum ipsae et cum genere saepius ab ignaris confundantur; haec igitur cum ita sint, Synonymis non temere et promiscue est utendum. Quare vel hinc appareret, quanti sit momenti, definitionibus non solum ipsius rei vim aperire, sed verbi etiam potestatem explicare, cum ex ejus origine, tum ab Homonymis discretione.

§. 10.

Lex Nona.

Ceterum, *rectus verborum usus non tantum singulorum proprietate bonitateque continetur, sed apta quoque eorum conjunctione.* Nam potest etiam, qui claris perspicuisque utitur, verbis obscu-

C. 10. §. 34. A theoretica Philosophia absint, nostra etiam sententia. Sed Lockius non cogitavit de tertia Philosophiae parte: vid. quae monuimus, P. II. C. 2 §. 2. Idem antiquitatis scientiam contemsit, L. III. C. 6. §. 10. Erat omnino durior ad haec studia. Recte igitur ei respondit Leibnitius, vir etiam in hoc genere admirabilis. Nov. Esf. p. 294, 314.

Digitized by Google

scurus fieri, nisi ea dilucide et apte conjungat. Igitur, primum, singulae enunciationes ita sunt constituendae, ut primo perspiciatur obtutu, utrum sint negantes an ajentes, universales an particulares, quo verbo subjectum, quo praedicatum, quo copula, significetur, quae pars enunciationis subjecto, quae praedicato, quae copulae, subjecta sit: et alia, quorum ratio ex capite de Enunciationibus est petenda. Deinde justae magnitudinis earum habenda est ratio, ne vel nimis sint breves et concisae, ut audientes quovis momento insistere coacti, brevi defatigentur, eorumque, quae ante dicta sunt, obliviscantur; vel nimis longae, ut audientes quid, quomodo, et de quo dicatur, non intelligant, neque exitum reperire possint: ex quibus hoc est eorum, qui Ciceronem, illud eorum, qui Tacitum inepte imitantur, vitium. Sint quoque ipsae inter se enunciationes continuatae atque nexae naturali vinculo, quod plerumque fit recto particularum usu, nonnumquam etiam cum eaedem omittuntur tempora ac loco. Qua in re quoque duplex est et contrarium vitium: alterum eorum, qui nullam enunciationem nisi aliqua particula ordiuntur, v. c. *Quemadmodum*, *Posteaquam*, *Verumenimvero*, atque ita se maxime Ciceronis similes esse putant: alterum eorum, qui cum, tanquam ex tripode oracula, ita omnia ex abrupto, pronunciant, tum sibi gerunni videntur Taciti. Atque hae sunt praeci-

Digitized by Google

cipuae leges perspicuitatis: alias si adderemus, in Grammatices invaderemus fines.

Cap. IV.

DE DIVISIONE ET PARTITIONE.

§. 1.

De Divisionis fine, et quomodo a Definitione differat.

Ad accuratam rerum cognitionem pervenire *non* possumus, nisi earum assequamur ideas distinctas. Sed idearum distinctarum duae sunt opifices, *Divisio* et *Definitio*; quarum utraque rem explicat, haec resolvendo, illa componendo. Et *Definitio* quidem tot partibus simul sumtis rem ostendit, quot simul in aliam rem cadere nequeunt, quibusque res definita tamquam finibus circumscribatur. *Divisio*, resoluto toto, partes ostendit alios ab aliis sejunctas (1).

§. 2.

De Differentia Divisionis et Partitionis.

Distributione, seu analysi, totum dissolvitur in suas partes. Sed cum Totum, quod distribuitur in partes, vel sit Genus aut Forma, vel Substantia aut Individuum, duplex oritur distribuendi ratio. Nam generis distributio in formas, vel formae in minores formas, dicitur *Divisio:* substan-

(1) Conf. Jac. Facciolatus, Rudiment. Log. p. 42.

Digitized by Google

ſtantiae vel individui in ſuas partes distributio vocatur *Partitio*. Exemplum Diviſionis hoc ſit: *Homo est vel ſtultus vel ſapiens, Triangulum est vel aequalium laterum vel inaequalium:* Partitionis hocce: *Homo conſtat animo et corpore, Triangulum habet tria latera.* Utriusque differentia ita ſignificatur a Cicerone (1), cum dicit: *in Partitione quaſi membra ſunt, ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, et cetera: in Diviſione formae ſunt, quas Graeci ἰδέας vocant, nostri, ſi qui haec forte tractant, ſpecies appellant. — Formas qui putat idem eſſe quod partes, confundit artem, et, ſimilitudine quadam conturbatus, non ſatis acute, quae ſunt ſecernenda, distinguit.* Et, ut dicatur etiam uberius, quid inter ſe differant: quae diviſione oriuntur, retinent generis nomen, non item ea quae partitione exiſtunt. Veluti cum *aedificium* dividitur in *domum* et *ſtabulum*, *domus* in *publicam* et *privatam*, *publica* in *ſacram* et *profanam:* omnibus his tribuendum est *aedificii* nomen, neque ita posſunt dividi, ut illud amittant: contra, cum in partes distribuitur, v. c. *fundamenta, aream, parietes, tectum*, nulla harum partium *aedificii* nomen retinere potest. Denique diviſa ſunt *disjuncta*, nec ſimul in idem ſubjectum cadere posſunt: at partita ſunt *conjuncta*, et ſimul in idem ſubjectum cadent: v. c. triangulum

(1) Top. 6, 7.

lum non potest simul et rectum angulum et latera omnia aequalia habere: sed tres lineae in eodem triangulo inesse debent.

§. 3.

De formis et partibus Divisionis

Divisio fieri nequit nisi generis in suas formas, Formarum differentia et est et vocatur *fundamentum divisionis:* formae ipsae, in quas genus distribuitur, dicuntur *disjuncta.* Cum formae denuo dividuntur, existit *subdivisio*; novae illae formae dicuntur *subdivisa.* Cum idem genus duplici ratione et consilio dividitur, ita ut divisio utraque ex diverso fundamento ducatur, existit συνδιαίρεσις, quam recentiorum consuetudo *codivisionem* appellavit; earum formae alternae dicuntur *codivisa.* Exemplo res ostendatur. *Aedificium* est vel *domus* vel *stabulum*, vel *lapideum*, vel *ligneum:* hae sunt *codivisiones;* (nam est aedificium vel in hominum usum vel animalium), alterum *materia:* domus et stabulum, lapideum et ligneum, sunt *disjuncta:* domus et lapideum aedificium, item stabulum et lapideum ligneum aedificium, stabulum, et lapideum aedificium, sunt *codivisa.* Domus publica et privata sunt *subdivisa.* Ejusdem divisionis, subdivisinis, et codivisionis formae sunt disjunctae quidem inter se, non continuo cum aliis formis.

§. 4.

Digitized by Google

§. 5.

De varietate Diviſionum, ratione fundamenti.

Rationes dividendi variae ſunt, pro varietate generis, quod dividitur, et ejus attributorum. Igitur ſubſtantia dividitur ſecundum accidentia, v. c. *Anima est vel praedita ratione, vel ea destituta.* Accidens, contra, ſecundum ſubſtantias, in quibus inest, v. c. *Intelligentia est vel divina, vel humana.* Cauſa ſecundum effectus ſuos, v. c. *Architectus est vel civilis vel militaris.* Effectus ſecundum cauſam, v. c. *Sonus est vel a duro, vel a molli corpore.* Aliis etiam Diviſionibus ſubjectae ſunt cauſae atque effectus, de quibus dictum est ſupra I, 3; 15, 16, 17; Et omnino, quot informari poſſunt differentiae rerum univerſalium, tot earum fieri poſſunt Diviſiones.

§. 7.

De Legibus Diviſionis.

Atque ex his, quae dicta ſunt, facile intelliguntur leges, ad quas adſtrictum est Diviſionis officium. Prima est, ut *Diviſio ne careat fundamento:* quod fit, cum illud, cujus ratione genus dividitur, non inest vel in ipſo genere, vel una ex formis; v. c. *Lapis est vel ſtultus vel ſapiens, Lapis est vel animatus vel inanimatus* (1). Altera est: *Formae debent aequare ge-*

(1) Hoc, cum abſolute enuntiatur, falſum est: in hy-

genus: i. e. formae, in quas genus divisum est, simul sumtae, conficere debent summam totius generis: v. c. *Figura est vel regularis vel irregularis.* Tertia lex est: *Forma sint repugnantes;* inter repugnantes, seu contradictorias duas res nil medium interesse potest: (conf. I, 3, 22.) Jam cum Divisio fiat per differentiam formarum, et formae debeant conficere summam *generis; formae*, in quas genus distribuitur, non *possunt esse* nisi repugnantes. Male diviseris ergo *homines* in *stupidos* et *impios;* nam praeter hos alii sunt homines, neque his duabus formis totum genus continetur: male quoque diviseris in *pios* et *impios:* si quidem inter utrosque alii, quasi medii, esse possunt, qui neque pii neque impii sint. Igitur repugnantia inter formas constituenda est diserte, adjecta negandi particula, qua omnes *reliquae* forma comprehendantur: v. c. *Homo* est *vel pius* vel *non pius*, vel *albus* vel *non albus*, (conf. I, 3, 10.) Hinc quarta nascitur lex, cujus haec est

Hypothesin cadere potest, vid. I, 2, 15. Nam disjunctio est alia, qua distribuitur genus in formas, v. c. *Homo est vel mas vel foemina;* harum enim foemarum utraque vere est. Alia est disjunctio, qua disjunctorum vel alterum duntaxat, vel neutrum, est: v. c. *Anima est vel simplex vel concreta: Motus vel est in loco ubi est, vel ubi non est, sed in neutro est motus; Ergo omnino non est motus:* de his agitur in loco de Dilemmatibus, et supra I, 2, 10. De veris distributionibus generis in formas hoc capite exponitur.

Digitized by Google

est formula: In *Divisione ne fiat saltus*. Vis ejus ac sententia haec est, ne firma Divisionum, Codivisionum, subdivisionumque, temere confundantur, ut in his: *Ædificium* est vel *templum vel stabulum*, *Homo* est vel *pius*, vel *stupidus*.

§. 6.

De Legibus Partitionum.

Leges, quibus subjecta est *Partitio*, sunt ejusdem rationis et viae. Nam quamquam *partes* Totius non sunt disjunctae sed conjunctae (conf. supra §. 2.); sunt tamen a se invicem discretae ut una cum altera confundi non debeat. Cumque partitio sit individuorum, eaque vere existant, sequamur in partiendo ipsam naturam, neque plures vel pauciores, neque majores vel minores, faciamus partes, quam sunt in ipsa natura, quae omnia certa justaque ratione distribuit atque definivit.

Cap. V.

DE DEFINITIONE.

§. 1.

De vi et indole Definitionis

Altera idearum distinctarum est opifex *Definitio*, (vid. III., 4, 1.) quae est *Enunciatio, qua subjecti natura et vis ejusmodi declaratur praedicato, quo subjectum ab omnibus aliis re-*

Digitized by Google

bus dignosci ac secerni possit (1). Atque hinc intelligitur, *Definitionem*, aeque ac Divisionem, tantum pertinere ad ideas universales, id est, ad formas et genera; quia individuorum naturae nec pervestigari potest, nec ejusmodi significari praedicato, quod non etiam in aliud quoddam individuum cadere possit. Ipsum quoque nomen *Definitionis* inditum est huic enunciationi ab ejus officio, quod in eo positum est, ut subjecti magnitudinem atque extensionem suis circumscribat finibus, quibus omnes subjecti formae individuaeque contineantur (2). Ceterum partes *Definitionis*, ut Enunciationis, sunt tres; Subjectum, quod vocatur *Definitum*, Praedicatum, quod appellatur *Definitio*, et Copula.

§. 2.

De ejus finibus caute designandis.

Ceterum hoc non ita est accipiendum, ac si, ut

(1) Aristotelici Definitionem ac Divisionem non ad Enunciationes, sed Ideas, seu mentis notiones referunt; eamque rationem plerique omnes recentiores secuti sunt. Hoc valere potest, cum sola cogitatur. Definitio, neque simul cogitatur vera sit nec ne, et cujus sit definiti. Sed, cum omne Verum Logicum contineatur enunciatione, et de Definitionibus Divisionibusque praecipi nequeat, nisi si tamquam Enunciationes informentur; nos quidem non dubitavimus antiquam rationem deserere.

(1) Graece ὅρος. Igitur extensio rei universalis definitur cum ejus intensionis clara et distincta proponitur idea; conf. supra I, 3, 9.

Digitized by Google

ut quid definiatur, ita continuo ejus interna vis ac natura patefiat; quod quidem in paucisſimis Definitionibus valet. Ejus rei non una est cauſa. Nam, primum quidem, ideae univerſales, quae ſolae in Definitionem cadunt, non re vera ſunt, ſed mentis cogitatione informantur (1). Deinde, cum forma exiſtat ex ſimilitudine individuorum, genus ex ſimilitudine formarum, haec ipſa ſimilitudo, et hoc ipſum in qno conveniunt individua et formae, non ſemper accurate ac penitus ab hominibus cognoscitur (2). Praeterea Definitione idea univerſalis ſuis finibus circumſcribitur; unde fit, ut eam quidem ab aliis ideis univerſalibus ſecernere, non tamen continuo ejus interiorem naturam perſpicere, poſſimus (3). Denique alia difficultas inde exiſtit, quod rerum, quae definiuntur, nomina non ab omnibus hominibus eadem vi et potestate accipiuntur; unde fit,

(1) Vid. Lockius, L. III. C. 3, 6.

(2) v. c. Res ſingulares omnes, quas *hominum* nomine appellamus, in his rebus conveniunt, ut ſint *ſubſtantiae quae conſtent menti rationali corpore animali*: et hanc hominis facimus definitionem. Sed quid ſit ſubſtantia, quid mens, quid corpus, quid ratio, quid animalis, accurate perſpectum non habemus; et, ſi vel maxime haec ſingula perſpiceremus, tamen quomodo mens cum corpore ſit conjuncta, ignoramus.

(3) v. c. Aqua, ignis, terra, et pleraeque aliae res, facile a ſe invicem discernuntur; earum tamen interna natura non intelligitur.

Digitized by Google

fit, ut de verbo disputent, rem ipsam negligant (1).

§. 3.

De momento ejus atque utilitate.

Neque tamen hoc eo valet, ut Definitionum auctoritatem labefactemus. Immo, contra, omnis accuratae disciplinae summum in iis ponimus momentum. Nam Philosophus officium suum, quod in rebus universalibus versatur, explere non possit, nisi earum efficiat notiones claras et distinctas, quae sunt Definitiones. Et Definitio res involutas aperit, et, qua nota ab aliis rebus debeant distingui, docet. Omni porro institutioni, ac disputationi, veluti fundamentum, subjicienda est Definitio, ut intelligatur, quid sit illud de quo agatur, neque temere commisceatur disputatio, cum illi, qui disputant, eidem verbo non eandem rem subjecerint (2). De-

(1) v. c. Cum alii *Poëfin* sine versuum modo esse negent, alii, contra, eam in solutam etiam orationem cadere contendant, magis de verbo quam de re disputatur. Si disputatio est de verbo, statuendum est ex usu atque sententia eorum, a quibus profecta est vox *poëfis*, id est, Graecorum. Si de re ambigitur, res a priori est, debet dividi donec perveniatur ad *Poëtas* formam. Sed nimirum in pulchri Philosophia minus etiam, quam in aliis Philosophiae partibus, genera ab ipsa natura sunt circumscripta certis suis finibus, sed magis a sensu et opinione hominum pendent; quod vulgo ita dicunt, *pulchrum magis esse subjectivum quam objectivum.*

(2) Cicero Off. I, 2.

Digitized by Google

Denique accurata Definitio hanc habet vim, ut ex ea novarum rerum notitiae duci possint, et attributa omnia intelligi, quae vel insunt in re definita, vel in eam cadunt.

§. 4.

De Definitione Rei et Verbi.

Duplex est universe genus Definitionum: alterum *Rei*, alterum *Verbi* Res, quae definiuntur, sunt universales; hae igitur notionibus claris et distinctis, veluti finibus suis, sunt circumscribendae: quod fit, cum significatur, cui sint generi subjectae, et quomodo differant ab aliis formis: id est, cum ponitur earum *Genus et Differentia Speciei* (1). Verbum ita definitur, ut ejus vis ac potestas ex usu et rationibus linguae aperiatur. Ponamus utriusque exemplum. *Triangulum est figura descripta tribus lineis rectis*, est Definitio Rei: *figura* est Genus: *descripta tribus lineis rectis*, est Differentia Speciei. *Triangulum est, quod habet tres angulos*, est Definitio Verbi, quippe ratio redditur, quare triangulum hoc nomine appelletur.

§. 5.

De triplici Definitione Verbi.

Verbum triplici definitur modo. Primum, *Notatione*, seu *Etymologia*, cum ejus vis ac signifi-

(1) Vid. quae contra Lockium monet Leibnitius Nouv. Esc. III, 3, 10. p. 249.

Digitized by Google

ficatio ab ipsa ejus origine repetitur: v. c. cum dicitur *Modestia* ea virtus esse, *quae modum teneat in rebus* (1). Alter est modus *Synonymiae*, quo plura nomina, quae rem eandem significare videntur, distinguuntur: v. c. cum ostenditur, quid differat inter *modestiam*, et *moderationem*, *temperantiam*, *animi tranquillitatem*, et *animi demissionem* (2). Tertius est modus *Homonymiae*; quo plures ejusdem nominis significationes distinguuntur: v. c. *modestiam* significare vel simpliciter *omnis rei quandam mediocritatem*, vel *temperantiam*, vel *temperantiae formam*, vel *scientiam opportunitatis idoneorum ad agendum temporum*, vel *pudorem*. Ceterum quamquam Verbi Definitiones non continuo Rei essentiam aperiunt, magna tamen est earum vis ad rem, de qua agitur, ab aliis rebus discernendam, suntque omnino adhibendae ad omnem accuratam disputationem: (conf. III, 3.) Et Aristoteles quidem recte locum iis dedit in *Antepraedicamentis*; quae sunt ejusmodi, ut antequam ad disputationem accedatur, cognosci intelligique debeant.

§. 6.

(1) In Definitionibus, quae notatione fiunt, nimi fuerunt Stoici: a quibus, haec consuetudo fluxit ad Ictos Romanos: vid. Menagium in *Amoenitatibus Juris Civilis*.

(2) Definitiones quae fiunt per Synonymiam magnam habent conjunctionem cum definitionibus *rei*; nam distinguitur per eas nomen formae a nominibus aliarum formarum et generum: vid. supra III, 3.

Digitized by Google

§. 6.

De Rei Definitione duplici, Theoretica et Practica.

Definitio Rei fit Genere et Differentia Speciei. Ejus duae sunt formae, quarum in altera diserte ponitur Genus et Differentia Speciei, in altera significatur per causam vel effectum; illae dicuntur *Theoreticae*, hae *Practicae*: (conf. I, 2, 13.) Veluti, *Deus est natura infinita*, *Circulus est linea curva in se rediens, cujus omnia puncta aequaliter a centro distant*, sunt Definitiones Theoreticae: *Deus est natura, quae hanc rerum universitatem procreavit*, *Circulus fit, cum Linea circum unum punctum movetur in orbem*, sunt Definitiones Practicae. Utrumque hoc Definitionum genus duplici methodo invenitur, Analytica et Synthetica.

§. 7.

De inveniendis Definitionibus Theoreticis methodo Analytica.

Theoreticae Definitiones inveniuntur methodo Analytica, cum Genus in suas formas distribuitur, donec ad formam eam perventum est, de qua agitur; ita enim fit, ut Genus et Differentia Speciei cognoscatur. Ejus efficiendae rationem luculente ostendit Cicero. Top. 6. „ *Sic igitur veteres praecipiunt: cum sumseris ea, quae sint ei rei, quam definire velit, cum aliis*

aliis communia, usque eo persequi dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Ut hoc: Hereditas est pecunia. *Commune adhuc; multa enim genera sunt pecuniae. Adde quod sequitur*, quae morte alicujus ad aliquem pervenit. *Nondum est Definitio, multis enim modis sine hereditate teneri mortuorum pecuniae possunt. Unum adde verbum*, jure, *jam a communitate res disjuncta videbitur, ut sit explicata definitio sic:* Hereditas est pecunia, quae morte alicujus ad quempiam pervenit jure. *Nondum est satis: adde*, nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta: *confectum est.*"

§. 8.

De inveniendis Definitionibus Theoreticis methodo Synthetica.

Synthetica methodo inveniuntur hae Definitiones, cum multa inter se individua comparamus, in quibus inest illud attributum, quod definire volumus; unde ejus etiam Genus ac Differentia Speciei cognoscitur. Veluti cum multa hereditatum exempla nobis ipsi proponimus, inter se comparamus, et illud in quo consentiunt, quodque iis invicem omnibus commune est, breviter ac perspicue declaramus. Nam Genus positum est in similitudine formarum, et Forma in similitudine individuorum formâ, eâque ab aliis formis distinguendâ, efficitur ejus formae idea clara et distincta, id est definitio.

§. 9.

Digitized by Google

§. 9.

Comparatio duorum horum Theoreticae de finitionis generum.

Synthetica via facilior est et expeditior, quippe in eam ipsa nos mentis nostrae natura primam ducit. Ceterum Definitiones, quae hac via inveniuntur, quominus omnes certae firmaeque sint, tres in primis sunt causae. Prima, quod potius significationem nominis, quam rei ipsius vim, aperiunt. Altera, quod non semper numerum individuorum satis magnum habemus, ex quibus eorum similitudinem colligamus. Tertia, quod genera formaeque, in quas individua vulgo ab hominibus distribuuntur, magis ab hominum opinione atque consuetudine, quam ab ipsa natura, factae sunt. Veluti cum *Hominis* Definitionem collegimus ex iis, quae nobis innotuerunt, individuis, quibusque hominis nomen inditum est, neque vero in iis fuerunt vel nigro colore, vel nani; necesse est aethiopas et nanos in hanc Definitionem non cadere, neque pro hominibus haberi posse. Aut cum indagandâ vi et naturâ, v. c. *Tragoedia*, ita agimus, ut omnes, quae exstant et feruntur, Tragoedias inter se comparemus, remque eam, in qua conveniunt, notemus ac pro Definitione Tragoediae habeamus; magis vim verbi quam rei naturam teneamus. Quod si vero Definitiones Tragoediae, quae vel feruntur vulgo, vel ab hominibus doctis factae sunt, quae

Digitized by Google

quae profecto valde sunt inter se disentientes: sed si eas invicem comparemus et in una tamen quadam re convenire deprehendamus, eamque rem pro natura Tragoediae accipiamus; habebimus non tamen internam ejus rei naturam, sed illud, in quo uno de ea hominum varii sensus consentiunt, cujus idea maxime universalis et abstracta, proinde minime perfecta accurataque erit (1). Itaque, Analytica ratione in subsidium vocata, *Genus* supremum, cui subjecta est v. c. Tragoedia, in suas Formas est distrubuendum, donec perveniatur ad eam ipsam Formam, quae Tragoediae nomine appellatur. Hac ratione invento ejus Genere et Differentia Speciei, finis etiam, et ex fine officium ejus, cognoscetur, eritque Definitio perfectior et accuratior. Atque hinc intelligitur, certiorem quidem esse Analyticam rationem Synthetica; sed ad Definitiones utramque esse adhibendam; ita ut Definitiones Synthetice inventae dijudicentur Analytice, et, contra, Analytice inventae dijudicentur Synthetice.

§. 10.

De Definitionibus Causalibus, sive Practicis, iis, quae Analytica ratione inveniuntur.

Definitio Practica, quae fit Analytice, est ejusmodi, *qua effectus per causam declaratur*: v. c. ea, quam supra dedimus, *Circuli* Definitio,

(1) Lock. I, 6, 32, et nos supra I. 3, 20 et 21.

Digitized by Google

tio, eum fieri, *cum linea circum punctum movetur.* Sed cum variae sint causae, quibus res efficiatur (conf. I, 3, 15—17.), eo perfectior accuratiorque Definitio erit, quo plures ejus causae declarentur. Cumque ipsae res, quae per suas causas definiendae sunt, variae sint ac multiplices, ipsius earum varietatis habenda est ratio. Igitur aliter Substantiae quam Accidentia, et utrorumque varia genera varie sunt definienda. Veluti in Substantia declarari debet materia, forma, causa efficiens, finis: v. c. cum *Horologii partes, materia, structura finis, explicantur.* In Accidente ostendi debet, cum efficiens causa, tum Substantia, cui inhaeret, tum modus existendi: v. c. *Eruditio est scientia, quae aequiritur multis legendis libris: Incessus est cum ita movetur animal, ut pedem alteri continuo praeponat.*

§. 11.

De Definitionibus Causalibus iis, quae fiunt Synthetice.

Definitio Practica, quae Synthetice fit, ejusmodi est, *quâ Causa per effectum declaratur.* Igitur effectus debet talis esse, qualis a nulla alia causa efficitur. Veluti, si *Piscem* definias ita, ut dicas *animal esse quod natet*, male definiveris: melius v. c. *Horologium* definiveris, *machinam, quae horas ejusque partes indicet.* Cumque effectus sit vel Substantia vel Accidens, haec ipsa

ſa varietas non est negligenda, et modus etiam ſignificandus, quo effectus a cauſa oriatur: v. c. *Pulvis pyrius conſtat granis, quae, admoto igne, ſimul omnia flammam concipiunt, quae ſtatim quidem perit, ſed circumfuſum aërem dimovet ac propellit.*

§. 12.

Comparatio duorum horum Practicae Definitionis generum.

In Definitione Cauſali Synthetica, cauſa per effectum accurate definiri nequit. Nam cum modus, quo a cauſa oritur effectus, perfecte intelligi nequeat, niſi ipſa cauſae natura perſpecta ſit; ea vero adhuc ignoretur, quippe quae ipſa demum aperiri debeat Definitione; apparet, has Definitiones eo tantum valere, ut res definita ab aliis rebus ſecernatur. Veluti, *Deus est ea natura, quae hoc univerſum procreavit: Anima est illud quod in nobis cogitat et appetit*, hae igitur Definitiones, et illae v. c., quas modo propoſuimus, *Horologii* et *Pulveris pyrii*, res quidem definitas a rebus aliis ſatis distinguunt, non tamen earum naturam ostendunt. Itaque vim habet ad explicandam rei naturam ea Definitio, quae fit Analytice; quippe quae cauſam rei exponit; et cum officio Philoſophi, quod in exquirendis cauſis verſatur, propius est conjuncta. Veluti *Horologii* naturam magis ostendes, ſi partes, earum formam, deſcriptionem, et modum,

Digitized by Google

dum, quo efficitur motus aptus ad significandas temporis partes, explices, quam si solum effectum ponas, qui est positus in *significatione temporis*. *Pulveris* quoque *pyrii* naturam melius veriusque explices, si singula, ex quibus componitur, materiae genera enumeres, eorum et vim declares, et commiscendorum conficiendorumque rationem ostendas, quam si solum ejus effectum demonstres.

Optime vero ad rem aperiendam comparatae sunt Definitiones Causales, cum simul et Analyticae sunt et Syntheticae, id est, cum et causam rei et ejus effectum ostendunt: v. c. in definiendis machinis, remediis morborum, et aliis multis rebus.

§. 13.

Comparatio Definitionum Analyticarum et Syntheticarum generatim.

Definitiones Synthetieae rem ab aliis duntaxat separant, ostenduntque, quid sit illud, quod Rei definitae nomine appellatur. Analyticae vero propius ad rei naturam explicandam accedunt. Nam licet ideae Generum et Formarum non vere subsistant, et Theoreticae Definitiones in materia instabili versentur, illae tamen, quae Analytice fiunt, minus habent inconstantiae quam quae Synthetice. Et Analytica ratio eo usque distribuit Genus in Formas, donec ad rem, de qua agitur, perventum sit, et constet, quae vis

et idea ei sit adjungenda. Sed in ipsis Analyticis Definitionibus, sine dubio, Causales majorem habent vim, quam Theoreticae, ad ostendendam rei naturam, quippe quae causis, quibus res efficitur, ejusque partibus continetur. Neque tamen ita dictum est a nobis, ac si omnes res per suas causas definiri posse statuamus. Nam si Deum ita definias, ut eum dicas *Naturam, quae ipsa sui sit causa*, nihilo magis ejus aperueris naturam. *Voluptatem* diu Theoretice definiverunt Philosophi, *sensu grato animi*, sibique cum Genere Differentiaque Speciei etiam ejus vim et naturam explicasse visi sunt. Extitit postea alius, qui eam Definitionem repudiaret, et aliam eamque causalem adferret, *Voluptatem existere intuitu perfectionis*. Enim vero haec non multo melior est, quam illa, Definitio. Nam, ut in vetere non ostenditur quid sit *gratum*, quid *sensus*, sed illud, quod nemo nescit, *Voluptatem, esse gratum sensum*, dicitur: ita nova illa Definitio habet obscuritatem in verbis, *perfectio*, et *intuitus*; et, ut maxime sit perspectum quid sit *perfectio* et *intuitus*, minime tamen ex illa Definitione intelligitur, quo modo quave ratione Voluptas oriatur. Nam Substantia, cujus est Accidens Voluptas, nimirum anima, modus quo existit voluptas, actio passioque animi, quae in accurata Definitione Causali explicanda sunt, non declarantur. Veluti si dicas, *Nutritionem fieri capiendis cibis*, nihilo ejus naturam melius teneas, quam

an-

antea; nam ex multis causis una tantum adfertur: (vid. supr. §. 9.)

§. 14.

De rebus, quae definiri nequeunt. Et primum, de Individuis, quae non in Definitionem, sed Descriptionem, cadunt.

Sunt vero multae res, quae definiri nequeant. Primum Individua non Definitione, sed *Descriptione*, declarantur. Neque enim eorum tot et tales notae possunt enumerari, quot et quales non in aliud etiam Individuum cadera queant. Quamquam *Descriptiones* plerumque valent ad rem ab aliis secernendam, saepius etiam ejus indolem ac naturam multo plenius aperiunt, quam Definitiones. Nam, ut hoc utamur, indoles et ingenium Socratis certius accuratiusque potest explicari, quam natura mentis humanae: et, quod supra monuimus (§. 9.), ut quaeque universalior est idea, ita longius abest a perfectione. Ceterum Individua ea, quae sola sunt in alioque Genere, v. c. *Deus*, *Mundus*, minime a Definitione removentur; quippe quae ita spectantur, ut quae totius Generis, in quo sunt, vim complectantur. Huc etiam pertinent Individua, quae licet non sint sola in suo genere, tamen nobis quidem sola sunt cognita: veluti cum novum animal, aut ignota herba ad nos defertur, ea ita definiuntur, ut ad Genus referantur illud cujus attributa habent, et

reliqua eorum attributa, quibus ab eo differunt Genere, significentur.

§. 15.

De aliis rebus, quae definiri nequeunt; quae sunt Ideae Simplices.

Porro Definitionem non capiunt res eae, quarum partes vel nullae sunt, vel dignosci nequeunt; quae res vocantur *Ideae Simplices.* Harum partim sunt *Abstractae*, partim *Concretae. Abstractae* sunt qualitates affectionesque rerum generales, quae in Ontologia explicantur, quarumque haud paucae sunt, quae definiri nequeant, v. c. *Existentia*, *Spatium*, *Duratio*, *Praesentia*, cet. *Concretae* sunt affectiones animi, quae existunt ex rebus perceptis Sensu vel interno vel externo, v. c. *Dolor*, *Voluptas*; et eorum varia genera; ipsum *cogitare*, et *sentire*: *dulcedo*, *amaritudo*, *acrimonia*; ipsum *gustare*, *videre*, *audire*, *odorari*, *tangere*. Nam licet quis v. c. *Visum* definiat, *res externas oculis percipere*, vel rationem etiam ostendat, qua radii lucis imaginem in oculo efficiant; tamen qui numquam vidit, non magis ex ea Definitione intelligat, quomodo ii qui vident afficiantur, quam is, qui nunquam gustavit aliquod cibi genus, ejus saporem ex alterius narratione cognoscat. Atque eadem est ratio omnium reliquorum Sensuum mentis et corporis et Idearum Simplicium. Est enim earum tam perspicua evidensque perceptio ipsa, ut

nullis verbis plenior manifestiorque possit effici. Neque vero hoc eam habet vim, ut nullas omnino Ideas Simplices definiri posse dicamus; praesertim, si non eam quaerimus Definitionem, quae ipsam rei naturam aperiat, sed eam, qua res constanti aliquo attributo notetur, quo ab omnibus aliis rebus secerni queat. Itaque *Motus* vere definiatur *mutatione loci* (1): et Sensus Motusque animi definiri aliqua ratione possunt, cum causa significatur, unde existunt. Pulchri quoque rationes et varia genera explicari possunt explicantarque in disciplinis, quamquam ipse Sensus animi, qui ex Pulchri perceptione oritur, verbis declarari nequit.

§. 16.

Leges Definiendi.

Sed, expositis generibus, vi, et indole Definitionum, age ducamus ex illo toto loco cautiones legesque eas, ad quas Definiendi officium dirigendum sit.

I. Primum igitur teneatur, quid sit ipsa Rei Definitio; scilicet, *Enunciatio, qua res universalis significatur ejusmodi praedicato, quo illa ab omnibus aliis rebus secerni atque dignosci possit.* (conf. supra §. 1, et I., 2, 13.)

II. *Definitio est vel Theoretica, vel Practica: utraque est vel Analytica, vel Synthetica.* Synthe-

ti-

(1) Conf. Leibnitium Nouv. Esf. III, 4. 8.

Digitized by Google

ticae fere valent ad rem ab aliis rebus distinguendam. Analyticae vero etiam vim habent ad ipsam rei naturam aperiendam; et ex iis ipsis Practicae firmiores certioresque sunt, quam Theoreticae.

III. *Diligenter igitur est attendendum, an Definitione res tantum ab aliis rebus distinguatur, an vero etiam ejus natura aperiatur.* Veluti, *Deus est natura, quae hoc universum procreavit; Anima est illud, quod in nobis sentit, cogitat, et appetit:* his Definitionibus res ab aliis rebus tantum distinguuntur. Sed, *Triangulum est figura descripta tribus lineis rectis; Circulus fit cum linea circa punctum movetur*, sunt Definitiones, quae ipsam rei naturam aperiunt.

IV. *Definitio est fons, ex quo alia rei attributa deriventur*, seu, ut vulgo loquuntur, *Definitio est principium demonstrandi.* Quod quidem de iis maxime valet Definitionibus, quibus rei natura aperitur, id est, de Analyticis. Sed valet etiam de reliquis. Nam in omni Definitione subjectum significandum est praedicato proprio, constanti, ac peculiari. Itaque v. c. ex hac Definitione *Dei*, qua dicitur *opifex hujus universi*, omnis ducitur Theologia naturalis.

V. In accurata disputatione atque veri indagatione *illud, de quo quaeritur, omnibus modis est definiendum*, omnesque ei et verbi et rei Definitiones sunt adhibendae. Ita enim fiet, ut rem accuratius ab aliis rebus secernamus, et

ad

Digitized by Google

ad naturam ejus cognoscendam propius accedamus (1).

VI. In Definitione Practica; ea quae fit Analytice, ut res per suas causas definiatur, omnes causae, et modus ratioque, quibus res efficitur, significari debent, (conf. supra §. 9.) Causae quoque memorandae sunt proximae, non remotae; per illas enim rei natura accuratius declaratur quam per has. Veluti *nutritionem* si *capiundis alimentis fieri* dicas, minime naturam ejus aperueris; nam quamvis aliquid dixeris, sine quo nutritio fieri nequeat, significandus est praeterea modus, quo alimenta concoquuntur, et in omnes corporis partes diffunduntur. Aut si *famen* dicas *oriri ex inedia*, vere dixeris, sed nimis universe. Itaque peculiarius ejus ortus significandus est, ut dicas, *famem esse ingratum sensum stomachi, qui efficiatur, cum ejus latera mutuo se conterant, quod nullus inter ea sit interjectus cibus*. Omnino, cum ex una causa plures possint effectus proficisci, facile apparet, non continuo effectum ab aliis effectibus accurate distingui, cum ejus causa universe significatur.

VII.

(1) Sic Aristoteles in Disputatione primum rei *Antepraedicamenta* voluit cognosci, quae sunt ejus Divisio et Definitio verbalis. Deinde, cum Definitionis realis duplex fecisset genus, *causale* et *essentiale* (quod nobis est *Theoreticum*), ex utriusque conjunctione effecit tertium, quod vocavit *perfectum*. Analyt. Post. II. 45. seq.

Digitized by Google

VII. In Definitione Theoretica, res definienda est vel per Essentiam, v. c. *Triangulum est figura descripta tribus lineis rectis:* vel per Proprietatem unam peculiarem, v. c. *Triangulum est figura rectis descripta lineis habensque tres angulos*; aut, *figura descripta lineis rectis, cujus anguli omnes habent centum et octoginta gradus:* vel per to. Proprietates communes, quot simul in aliam rem nullam cadere possunt, v. c. Definitio *Hereditatis*, supra §. 7, ex Cicerone laudata, eam esse *pecuniam, quae morte alicujus ad quempiam pervenit jure, nec ea aut legata testamento aut possessione retenta.* Atque hinc intelligitur, quomodo fit accipiendum id, quod a Dialecticis dicitur, *Definitiones esse arbitrarias.* Est nimirum in ejus, qui rem definit, potestate, utrum eam vel Analytice vel Synthetice, vel Practice vel Theoretice, vel per Essentiam, vel Proprietatem peculiarem unam, vel Proprietates communes multas, definire velit.

VIII. *Definitio neque sit latior neque angustior suo Definito.* Est vero latior, quae plura complectitur praeter ea quae Definito subjecta sunt: v. c. *Triangulum est figura rectis lineis descripta.* Angustior contra est, quae non complectitur omnia ea quae Definito subjecta sunt: v. c. *Triangulum est figura tribus lineis rectis aequalibus descripta.* Ac Theoreticae quidem Definitiones fiunt latiores suo Definito, cum vel genus, *remotius*, non *proximum*, significatur, vel

Digitized by Google

vel differentia ſpeciei non ſatis arcte adſtringitur. Augustiores contra fiunt, cum differentia ſpecini nimis arcte adſtringitur, et, loco attributorum generis, attributa ſpeciei ponuntur. Practicae vero Definitiones latiores fiunt ſuo Definito, cum cauſa non ſatis accurate ſignificatur: v. c. *Defectus Solis efficitur a Luna*, non est Diſiniitio; nam aliae quoque res a Luna effici poſſunt; igitur, addito modo, dicendum, *Defectum Solis effici a Luna interjectu ejus inter Solem et Tellurem*. Porro idem vitium exiſtit, cum vel non ſatis cauſarum adfertur, vel cauſae remotae tantum memorantur, vel modus, quo res exiſtit negligitur: (conf. ſupra Leg. VI. et §. 9, 12, 14.) Angustiores contra fiunt, cum cauſae ita ſignificantur, ut nequeant ad totum genus, quod definitur, referri, v. c. *Statua fit, cum lapis formatur in ſimilitudinem hominis*: vel, *Horologium est machina conſtans vectibus, rotulis, et catenis, quorum motu temporis partes ſignificantur*. Ista quippe Definitione ab Horologiorum genere Solaria et Clepſydrae excludunur.

IX. *Definitio ne ſit negans*. Nam ſi dicas quid res non ſit, nihilo illam melius ab aliis rebus distinxeris: v. c. *Philoſophia neque est Theologia neque Jurisprudentia, neque Medicina*. Neque tamen in universum valet haec lex. Debet enim negatio poni in quibusdam Definitionibus. Primum, in Definitionibus idearum negantium, quippe quae cenſentur alicujus rei ab ſententia et defectu, v. c.

Caecus est qui non videt, *Tenebrae sunt defectus lucis:* qua quidem in re probe est animadvertendum, quae sint ideae ajentes, quae negantes. Deinde, valet negatio in Definitionibus disjunctorum, v. c. *Compositum est quod partes habet*, *Simplex est quod partes non habet.*

X. *Definitio ne fiat per disjuncta.* Disjunctis enim efficitur non Definitio, sed Divisio, v. c. *Homo est vel mas vel foemina*, *Virtus est vel in agendo vel intelligendo.*

XI. *Definitio ne fiat per Synonyma.* Neque enim res ipsa declaratur et aperitur, cum simili verbo significatur; v. c. *Domus est aedificium*, *Ens est res*, *Anima est mens.* Et Synonyma locum habent duntaxat in Definitionibus verbi; et ne tum quidem Synonymum per Synonymum definiri debet, sed variae eorum significationes sunt distinguendae.

XII. *Definitio ne fiat in orbem*, quod fit cum res per se ipsa definitur. Est vero Orbis vel manifestus, v. c. *Deus est Deus*, *Qualitas est unde res dicitur Qualis:* vel est occultior, cum Definitio non adfert notionem distinctam, sed per ipsum Definitum explicatur, v. c. si dicas *Diem constare duodecim horis*, cumque interrogeris quid sit hora, respondeas, *Duodecimam partem Diei:* vel cum *Voluptatem* definiveris *grato animi sensu*, deinde ita definias *gratum*, ut illud ejusmodi esse dicas *quod voluptatem adferat.* Saepe quoque majoribus involucris latet Orbis, cum

Digitized by Google

cum pluribus demum conficitur Definitionibus: v. c. *Lex est mandatum Principis, Princeps est qui alteri imperat, Imperat qui alteri leges praescribit.*

XIII. *Definitio, quoad ejus fieri potest, sit brevis:* quam legem vulgo Dialectici hac formula enunciant, *Definitio ne sit abundans.* Igitur ex Definitione abesse debet, quidquid ex ea sponte intelligitur: v. c. *Triangulum est figura descripta tribus lineis rectis et tribus angulis*, est Definitio abundans; nam anguli tres sponte ex tribus lineis intelliguntur.

XIV. *Definitio sit, quoad ejus fieri potest, perspicua.* Quam quidem legem necessariam esse nemo non videt. Igitur verba adhibeamus ad Definitionem propria; abstineamus ab impropriis dictionibus, metaphoris, tropis, nisi forte loquendi usus propriam iis vim adjunxerit; ut male nonnulli reprehendant Romanos, qui obligationem *Vinculo juris* definiverunt. Porro res, quae in Definitione ponuntur, debent esse cognitae iis, cum quibus agimus: v. c. si Hominem ita definimus, ut dicamus, eum esse *substantiam, quae constet mente rationali et corpore animali*, debet explicari aut perspectum esse, quid sit *substantia, ratio, mens, corpus, animal.* Saepius etiam perspicuitatis causa Definitio *abundans* esse potest, v. c. *anima est substantia cogitatione et voluntate praedita:* nam

vo-

voluntas quidem ipsa intelligitur ex cogitatione, et cogitatio per se continet voluntatem.

Cap. VI.

DE ARGUMENTATIONE NECESSARIA, SYLLOGISIMO ET DEMONSRATIONE.

§. 1.

De Argumentatione, ejusque fundamento.

Tertium Dialectici officium est in *Argumentatione*, (vid. Prol. §. 14.) Haec est *ratio, quae a rebus cognitis ad rerum incognitarum intelligentiam ducit* (1). Ejus fundamentum in hac una positum est notione communi, *duas res, ut in tertia consentiunt vel dissentiunt, ita ipsas inter se vel consentire vel dissentire.* Igitur fit comparatio trium idearum: quarum cum quilibet bis ponitur, tres existunt enunciationes; ita quidem, ut ex duabus tertia efficiatur. Duae, ex quibus tertia efficitur: vulgo *Praemissae* vocantur: tertia, quae ex Praemissis efficitur, *Conclusio.* Idea, in qua duae reliquae con-

(1) Cic. Acad. I. 8. *Argumenti conclusio, quae est Graece ἀπόδειξις, ita definitur: Ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.* Haec Definitio ad solam Mathematicam evidentiam refertur. Accommodatior ad nostrum consilium est alia Definitio, quae moralem evidentiam quoque complectitur. Invent. I. 29: *Argumentatio videtur esse inventum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessarie demonstrans.*

Digitized by Google

consentiunt vel dissentiunt dicitur *Terminus Medius:* duae reliquae ideae, quae in tertia vel consentiunt vel dissentiunt, dicuntur *Termini Extremi.* Veluti:

A est B	A est A	}	*Praemissae.*
C est B	C non est B		
Ergo C est A	C non est A	}	*Conclusio.*

A et C sunt *Termini Extremi:* B. est *Terminus Medius.*

§. 2.

De Argumentationis partibus.

Hi tres termini, si unde ac simpliciter spectentur, neque ratio habeatur utrum sint singulares an universales, omnes sint ejusdem momenti: et, ut conclusio ex iis efficiatur, non refert, utrum subjecti praedicative loco quisque ponatur, neque utrum Praemissarum quaeque alteram vel antecedat vel sequatur. At vero cum res, quae in mentis cogitatione versantur, omnes sint vel singulares vel universales; facile intelligitur, in re atque natura magnam esse varietatem trium horum terminorum, et magnopere referre, qui sit eorum ordo, quae Praemissarum dispositio, qualitas et quantitas (1). Hinc Terminorum Extremorum is, qui latior est, dicitur *Terminus Major-*

(1) Ex dispositione et loco Terminorum in Praemissis, existunt *Figurae:* ex qualitate Enunciationum *Modi.* De quibus mox dicetur.

Digitized by Google

jor: qui angustior est, *Terminus Minor.* Et Praemisſarum, quae univerſalior habetur et tamquam principium ponitur, dicitur *Propoſitio:* quae minus univerſalis habetur et ſecundo quaſi loco mentis cogitationem ſubit, vocatur *Aſſumtio.* Veluti in hac argumentatione:

Omnes homines ſunt mortales.
Socrates est *homo.*
E. Socrates est mortalis.

Prima enunciatio est *Propoſitio:* ſecunda *Aſſumtio:* tertio, quae inde efficitur, *Concluſio*, Mortalis, est *Terminus Major:* Socrates, *Terminus Minor:* Homo, *Terminus Medius.* Concluſio denique efficitur conjunctione Terminorum extremorum ea, qua Major tamquam praedicatum tribuitur Minori tamquam ſubjecto.

§. 3.

De formis Argumentationis, Syllogismo et Inductione.

In Argumentatione duplex valet Methodus: Analytica, qua descenditur a generali ad minus generale, quae ratio dicitur *Syllogismus* (1): Synthetica, qua a peculiaribus vel minus generalibus adscenditur ad magis generalia quae ratio vocatur *Inductio* (2).

Exemplo utriusque vim ostendamus.

Syl-

(1) Cicero cum vocat *Ratiocinationem*, Inv. I, 33. Sic et Quinctil. VII, 8.

(2) Aristot. Top. I. 8. Analyt. Post. I, 1.

Digitized by Google

Syllogismus.

Omnes *homines* praediti ſunt ratione.
Afri ſunt *homines*.
E. Afri praediti ſunt ratione.

Inductio.

Europaei, *Aſiatici*, *Afri*, *Americani*, ratione ſunt praediti.
Sed *Eur.*, *Aſ.*, *Afri.*, *Am.*, ſunt homines.
E. Omnes homines ratione ſunt praediti.

Et *Syllogismus* quidem evidentiam adfert Mathematicam et neceſsario concludit, ſi quidem Praemiſſae ſunt certae.

Sed *Inductio* tum demum Mathematicam habet evidentiam, quum quid, omnibus individuis cognitis, de tota forma, vel, cognitis omnibus formis, de toto genere dicitur: quae *Inductio* vocatur *Perfecta*, cujus ratio intelligitur ex iis quae (P. III. C. IV.) de Diviſione et Partitione expoſuimus. At quum ea ſit humani ingenii conditio, ut omnia individua formarum, generumque formas omnes, raro cognoscamus; Inductio plerumque Moralem evidentiam probabilitatemque modo adfert: quae *Inductio* appellatur *Imperfecta* (1).

§. 4.

(1) Ejus forma est *Exemplum*. Sed de toto hoc genere dicetur in loco de Probabilitate.

Digitized by Google

§. 4.

De sex partibus, quibus continetur fundamentum Syllogismi.

Atque hoc simplex argumentationis fundamentum, quod exposuimus, §. 1. si adjungatur accommodeturque ad Definitionum Generumque rationes, sex partibus constare deprehenditur, quibus nitiur Syllogismus:

1. Quae consentiunt in tertio, consentiunt inter se.

2. Quae dissentiunt in tertio, dissentiunt inter se.

3. Quod dicitur de Genere, dicitur de subjectis formis et individuis.

4. Quod negatur de Genere, negatur de subjectis formis et individuis.

5. Cui tribuitur Definitum, ei tribuenda est Definitio: et vicisim.

6. Cui non tribuitur Definitum, ei non tribuenda est Definitio: et vicisim.

§. 5.

De legibus universalibus Syllogismi.

Leges Syllogismi sunt vel peculiares, quae propriae sunt cuique formae: vel universales, quibus totum genus Argumentationis subjectum est. Has, age, hoc loco enumeremus.

1. *Tres sint Termini in Syllogismo.* (vid. §. 1). Nil est frequentius vitio quatuor Terminorum, quo Me-

Digitized by Google

Medius Terminus non idem significat in *Propositione* et *Assumtione*. Hinc festivum illud commentum:

Qui quid *non amisit*, habet illud.

Tu *non amisisti* cornua.

E. Tu habes cornua.

II. *Ex Praemissis mere negantibus nil efficitur.* Debent enim in negante quoque Argumentatione Termine Extremi non *a Medio*, sed *in Medio* disseutire (vid. §. 1.). Quo loco attendendum est an Enunciationes vere sint negantes. Potest enim fieri, ut quae seorsum negat, eadem, conjuncta cum aliâ, affirmet. Veluti:

Quod *non cogitat* non sentit.

Lapis *non cogitat.*

E. Lapis non sentit.

Hujus enim Syllogismi Assumtio est negans, si seorsim et tamquam nuda Enunciatio spectetur: ajens vere est, si tamquam Assumtio spectetur. Quippe ejus negatio fluxit ex subjecto Propositionis, non ex copula (vid. I, 2, 3.), et hanc vim habet, *Lapis subjectus est generi rerum earum, quae non cogitant.*

III. *Ex Praemissis mere Particularibus nil efficitur.* In Enunciatione Particulari praedicatum non tribuitur toti subjecto (vid. I, 2, 4.) Atqui cum conclusio efficiatur progrediendo vel a toto ad partes, vel ab omnibus partibus ad totum (conf. supra §. 3, 4.); intelligitur, a partibus quibusdam non esse certum progressum.

IV. *Terminus Medius ne inferatur in Conclu-*

Digitized by Google

ſionem. Concluſio enim fit conjunctione Terminorum Extremorum. §. 1.)

V. *Ne ſit plus minusve in concluſione quam in Praemiſſis.*

VI. *Concluſio ſequatur partem debiliorem.* Qua formula haec volunt; ut, ſi Praemiſſarum altera fuerit Particularis vel Negans, Concluſio item Particularis Negansve eſſe debeat. Quod quidem verum eſſe, ex proxima Lege V. intelligitur.

VII. *In Concluſione ita conjungendi ſunt Termini Extremi, ut Minor ſubjecti, Major praedicati locum obtineat.* Terminus Minor, cum ſit in Aſſumtione, postremus est loco et tempore; itaque in Concluſione primus ponitur, primusque mentem ſubit. Et in accurata Enunciationis ratione ſubjectum non latius praedicato patere debet (1).

§. 6.

De Figuris Syllogismorum.

Loco, quem Terminus Medius in Praemiſſis Enun-

(1) Haec lex a quibusdam temere repudiatur. Nos illam valere putamus, cum hac ratione, quam adjecimus, tum aliis. Primum, ita ſemper justae concluſiones efficiuntur: non item, ſi contra agimus. Quod in ſecundae et tertiae figurae concluſione terminus major ſubjecti et minor praedicati locum obtinere potest, nil nos movet; quia ea concluſio est vel negans vel particularis, quae ſimpliciter converti potest (vid. I, 2, 4.). Denique ſi in quarta ſecus fieri potest, tum vero ea non quarta, ſed prima figura, est.

Digitized by Google

Enunciationibus obtinet, efficiuntur quatuor *Figurae.*

Prima est, in qua Terminus Medius est subjectum Propositionis et praedicatum Assumtionis: v. c.

Omnis virtus est laudabilis.

Eloquentia est *virtus.*

E. Eloquentia est laudabilis.

Secunda est, in qua Terminus Medius praedicatum est utriusque Praemissarum: v. c.

Nullum vitium est *laudabile.*

Eloquentia est *laudabilis.*

E. Eloquentia non est vitium.

Tertia est; in qua Terminus Medius utriusque Praemissarum est subjectum: v. c.

Omnis virtus est laudabilis.

Omnis virtus est utilis.

E. Aliquod utile est laudabile.

Quarta est in qua Terminus Medius est Propositionis praedicatum et subjectum Assumtionis: v. c.

Omnis virtus est *Laudabilis.*

Omne laudabile est utile.

E. Aliquod utile est virtus.

§. 7.

De Modis Syllogismorum.

Modus continetur Enunciationum Qualitate et Quantitate, quae a Dialecticis quatuor literis significatur, A, E, I, O. Quarum si ternae, quot fieri potest modis, conjungantur, LXIV existunt Modi in quaque Figura. Sed ex hac copia multum di-

Digitized by Google

minuitur per leges universales Syllogismorum, neque plus decem relinquuntur (1).

§. 8.

De Forma et Materia Syllogismorum.

In dijudicanda Syllogismorum veritate, spectatur eorum *Forma* et *Materia*. Haec in singularum Enunciationum veritate cernitur: neque de ea hoc capite dicendum est. Illa posita est in eo, ut Terminorum Enunciationumque collocatio, et qualitas quantitasque, conformatae sint ad leges Syllogismorum (2). Atque de Forma hoc capite agendum est.

§. 9.

De legibus et Modis Figurae Primae.

In Prima Figura Terminus Medius est subjectum Propositionis, et praedicatum Assumtionis. Igitur in Propositione aliquid dicitur de Genere, in Assumtione huic Generi ut praedicato adjungitur subjectum; in Conclusione subjecto Assumtionis praedicatum Propositionis tribuendum vel negandum est. Veluti in Propositione dicitur, *Omnem virtutem esse laudabilem*; in Assumtione generi virtutum subjicitur *fortitudo*; igitur in Conclusione col-

(1) A est universalis ajens, E universalis negans, I particularis ajens, G particularis negans. Modi, qui relinquuntur, sunt AAA, AAI, AEE, AII, AOO, EAE, EIO, EAO, IAI, OAO.

(2) Eadem ratione atque in Ideis. vid. I, 3, 1.

Digitized by Google

colligitur, *fortitudinem esse laudabilem.* Unde duae continuo hujus Figurae intelliguntur leges:

Prima: *Propositio sit universalis* (1).
Secunda: *Assumtio sit ajens* (2).

Tertia manat ex §. 5 Leg. VI, ejusque haec est vis: *Conclusio sequatur qualitatem propositionis, et quantitatem Assumtionis.*

. . . . . Ita-

(1) Si Propositio sit particularis, et Conclusio non falsa inde efficiatur; probe tenendum est, *veram* quidem eam esse *enunciationem*, non item *veram Conclusionem*: v. c. *Quidam homines sunt Poëtae, Omnes Europaei sunt homines, E. Quidam Europaei sunt Poëtae.* Neque enim ita licet: *Quidam homines sunt Europaei, Omnes Asiatici sunt humines, Ergo Quidam Asiatici sunt Europaei.* Omnino per tertiam hujus Figurae legem haec concludendi ratio tollitur.

(2) Idem tenendum est de hac lege. Quod enim ea neglecta tamen veri quid efficiatur per conjunctionem Terminorum Extremorum, erit hoc quidem vera *enunciatio*, non item *vera conclusio* v. c. *Omne Triangulum est figura descripta tribus lineis rectis. Nullum Quadrangulum est Triangulum, E Nullum Quadrangulum est figura descripta tribus lineis rectis:* quippe in Propositione, praedicatum et subjectum aeque late patent, quod non significatur in ea, sed nobis aliunde constat. Hic duntaxat rationem habemus *formae;* ad eamque satis est si propositio sit universalis. Ut si definitio, et subjectum praedicato sit aequale, eaque inter se reciprocentur, (conf. I, 2, 4, 17.) hoc vero ad *materiam* pertinet. Igitur non item vera exiitet enunciatio ex hac Propositione: *Omne Triangulum est figura descripta lineis rectis, Nullum Quadrangulum est Triangulum, E. Nullum Quadrangulum est figura descripta lineis rectis.*

Digitized by Google

Itaque *Modi* cadunt quatuor in hanc Figuram, AAA, EAE, AII, EIO; quorum haec sint exempla:

A. Omnis *virtus* est laudabilis.
A. Eloquentia est *virtus*.
A. E., Eloquentia est laudabilis.

E. Nulla *virtus* est reprehendenda.
A. Eloquentia est *virtus*.
E. E., Eloquentia non est reprehendenda.

A. Omnis *virtus* est laudabilis.
I. Quaedam facultas est *virtus*.
I. E., Quaedam facultas est laudabilis.

E. Nulla *virtus* est reprehendenda.
I. Quaedam facultas est *virtus*.
O. E., Quaedam facultas non est reprehendenda (1).

§. 10.

De legibus et Modis Secundae Figurae.

In Secunda Figura Terminus Medius est praedicatum utriusque Praemisſarum, et Terminos Extremos complectitur, veluti genus formas; quae, cum non conſtet utrum ſint ſubordinatae an disjunctae, (conf. I, 2, 11, 12. et I, 3, 22.) con-

(1) Horrida quidem ſunt, ſed tamen commemoranda, nomina Modorum a Scholaſticis: *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, Reliqua ſuo quaeque loco notabimus.

Digitized by Google

conjungi nequeunt in Conclusione. Igitur duae sunt hujus figurae leges:

Prima: Altera Praemisſarum sit negans.

Secunda: Propoſitio sit univerſalis. Cujus ratio posita est in eo, quod Terminus Extremus Asſumtionis debet fieri ſubjectum Conclusionis; neque igitur novi quid in conclusione invenitur, nisi haec lex obſervetur.

Modi vero in eam cadunt quatuor; EAE, AEE, EIO, AOO; quos his ostendamus exemplis:

E. Nullum vitium est *laudabile.*
A. Omnis eloquentia est *laudabilis.*
E. E., Nulla eloquentia est vitium.

A. Omnis eloquentia est *laudabilis.*
E. Nullum vitium est *laudabile.*
E. E., Nullum vitium est eloquentia.

E. Nullum vitium est *laudabile.*
I. Quaedam facultas est *laudabilis.*
O. E., Quaedam facultas non est vitium.

A. Omnis eloquentia est *laudabilis.*
O. Quaedam facultas non est *laudabilis.*
O. E., Quaedam facultas non est eloquentia (1).

§. II.

De legibus et Modis Tertiae Figurae.

Tertia Figura est ea, in qua Terminus Medius utriusque Praemisſarum est ſubjectum. Igitur eidem ſub-

(1) Horum haec ſunt nomina: *Ceſare, Camestres, Festino, Barocco.*

ſubjecto adjunguntur duo praedicata, quae praedicata quum non conſtet quam late pateant, univerſaliter poni nequeunt in Concluſione. Porro, cum Terminus Minor ſit in Aſſumtione, idemque ſubjectum Concluſionis fiat; Aſſumtio non potest eſſe niſi ajens, propter eandem cauſam, quae in Prima Figura valet. Itaque duae ſunt ejus leges:

Prima: Concluſio ſit particularis.
Secunda: Aſſumtio ſit ajens.

Ejus Modi ſunt ſex; eorumque haec ſint exempla (1).

A. Omnes *eloquentia* est laudabilis.
A. Omnis *eloquentia* in oratione poſita est.
I. E., Quoddam in oratione poſitum laudabile est.

E. Nulla *eloquentia* est reprehendenda.
A. Omnis *eloquentia* in oratione poſita est.
O. E., Quoddam in oratione poſitum, non est reprehendum.

I. Quaedam *virtus* in oratione poſita est.
A. Omnis *virtus* est laudabilis.
I. E., Aliquid laudabile in oratione poſitum est.

A. Omnis *virtus* est laudabilis.
I. Quaedam *virtus* est in oratione poſita.
I. E., Quoddam in oratione poſitum est laudabile.
O.

(1) Nomina addita ſunt iis: *Darapti*, *Felapton*, *Dicamit*, *Datiſi*, *Bocardo*, *Feriſon*.

Digitized by Google

O. Quaedam *virtus* non est in oratione posita.
A. Omnis *virtus* est laudabilis.
O. E., Quoddam laudabile non est in oratione positum.
E. Nulla *virtus* est reprehendenda.
I. Quaedam *virtus* est eloquentia.
O. E., Quaedam eloquentia non est reprehendenda.

§. 12.

De legibus et Modis Quartae Figurae.

In Quarta Figura Terminus Medius est praedicatum Propositionis et subjectum Assumtionis. Quare cum praedicata plerumque majora, numquam minora, sint suis subjectis; patet in hac Figura progressum fieri a peculiari ad universalius, atque adeo contrarium Primae Figurae. Cumque Terminus Extremus, qui est in Assumtione, subjecti locum habere debeat in Conclusione; non potest in hac Figura Conclusio effici universalis; nisi si Assumtio fuerit universalis negans, quod valet in modo AEE: reliqui Modi sunt AAI, IAI, EAO, EIO. Exempla eorum haec sint (1).

A. Omnis eloquentia est *virtus*.
A. Omnis *virtus* est laudabilis.
I. E. Quoddam laudabile est eloquentia.
A. Omnis eloquentia est *virtus*.
E. Nulla *virtus* inutilis est.
E. E., Nullum inutile est eloquentia.

(1) *Baralid, Calentes, Dibatis, Fescho, Fresison.*

I. Quoddam laudabile est *eloquentia.*
A. Omnis *eloquentia* est virtus.
I. E.; Quaedam virtus est laudabilis.

E. Nullum inutile est *eloquentia.*
A. Omnis *eloquentia* est virtus.
O. E., Quaedam virtus non est inutilis.

E. Nullum inutile est *virtus.*
I. Quaedam *virtus* est eloquentia.
O. E., Quaedam eloquentia non est inutilis.

§. 13.

Comparatio quatuor Figuarum.

Omnino Prima Figura ceteris anteponenda est, cum quod, Analytice, a Genere ad Formas Individuaque progreditur, tum quod ejus Conclusiones sunt in omni qualitate et quantitate: quatum laudum aut alteram aut neutram habent reliquae Figurae. Neque vero hoc eo valet, ut eas tamquam vanas et inutiles repudiemus: quippe quae non minus quam illa *in natura* rerum et mentis usu versantur. Ita enim tacita cogitatione quemque Terminum praedicati *subjective* loco ponimus, ut quisque nobis *magis* minusve cognitus est, et a Sensibus, *Memoria* Experientia, reliquisve Facultatibus, citius tardiusve subjicitur. Secunda rerum repugnantiam definit. Tertia indefinitam Enunciationum magnitudinem exemplis circumscribit. Quarta a peculiari ad universalia progreditur, formas. Generis

vel

Digitized by Google

vel adfert vel ſuperesſe ſignificat (1). Ceterum Dialectici haud pauci fuerunt qui praeciperent, reliquas Figuras ad Primam ésſe revocandam. Quod quidem neque recte ſemper fieri potest; neque neceſſe est, niſi in Demonſtrationibus, ut caveatur, ne Termini inter ſe confundantur. Et in ipſa Converſione praeſtat conſilii rationem et naturae facilitatem, quam horrida Scholasticorum praecepta, ſequi. Tota Converſio eo redit, ut Concluſionem, quam ex una reliquarum Figurarum confecimus, eandem ex Prima Figura conficiamus. Igitur aut Praemiſſae convertendae transponendaeve ſunt, aut ipſa Concluſio convertenda est. Cujus rei ratio petenda est cum ex legibus. Primae Figurae, tum ex praeceptis de Converſione Enunciationum (I, 2, 4.) (2).

§. 14.

(1) Haec fortaſſe cauſa fuit, ut Aristoteles eam ne memoraret quidem, quod magis cum Inductione quam cum Syllogismo conjuncta videretur. Galenus primus eam celebraſſe dicitur. Neque vero magis est rejicienda quam Secunda et Tertia. Quod contendit vir elegans et acutus, Imm. Kant. (*von der falſchen Spitzfündigkeit der Syllogiſtiſchen Figuren*) totum hunc de Figuris locum inutile et aerumnoſum commentum esſe Dialecticorum, vereor ut vere dictum ſit. Via naturae in Syllogismo utilem habet cognitionem, quamquam et impeditam a Scholasticis. Hanc rationem ex recentioribus acute ſubtiliterque perſecutus Lambertus in *Novo Organo*, libro Germanice ſcripto.

(2) Reductionis, ſeu Converſionis, leges ſignificantur nominibus modorum. Nam prima conſonans notat mo-

§. 14.

Syllogismis Compositis.

Atque hi quidem, de quibus hactenus exposuimus, Syllogismi, sunt *Simplices*. Sequitur ut de *Compositis* dicamus: qui sunt ii, quorum Propositio est composita. Jam, licet magna sit Enunciationum Compositarum varietas, nos duas modo spectabimus, *Hypotheticam* et *Disjunctam*; nam reliquae nil fere Syllogismo adferunt varietatis.

§. 15.

De Syllogismo Hypotheco.

Syllogismus Hypotheticus (1), est cujus Propositio est Hypothetica, id est, quae causam reddit quare praedicatum subjecto vel tribuatur, vel ab eo removeatur. (conf. I, 2, 7.) Causa dicitur *Antecedens*, Praedicatum *Consequens*. Jam, quum praedicatum plerumque latius pateat sub-

modum Primae Figurae, ad quam Syllogismus revocandus est: secunda, rationem Conversionis, quam ipsam his versiculis complexi sunt: *S. vult simpliciter verti, P. vero per accidens, M. vult mutari, C. per impossibile duci.* Igitur v. c. Camestres revocandum est ad Celarent. per M., i. e. per transpositionem Praemissarum.

(1) De hoc multa praeceperunt Stoici, paucissima de Simplici: Aristoteles, contra, multa de Simplici pauca de hoc: credo, quia facile ad Simplicem revocatur, conf. Gassend. de Log. Orig. et Var. cap. 6.

Digitized by Google

ſubjecto; non licet, aſſumto Conſequente, ſumere Antecedens: neque, rejecto Antecedente, rejicere Conſequens. Igitur duo reliqui duntaxat valent modi:

I. Ut, *ſumto Antecedente, ſumatur Conſequens*; v. c.

Si eloquentia est *virtus*, est laudabilis.
Sed eloquentia est *virtus*.
E., Eloquentia est laudabilis.

II. Ut, *rejecto Conſequente, rejiciatur antecedens*: v. c.

Si eloquentia est *virtus*, est *laudabilis*.
Sed eloquentia non est *laudabilis*.
E., Eloquentia non est virtus.

Ad ſimplicem Syllogismum revocatur Hypotheticus, i. e. Antecedens, a Propoſitione omittatur: et ex primo quidem Modo Prima Figura, ex ſecundo, Secunda, exiſtit. Unde facile intelligitur, quid cauſa ſit quod reliqui facile intelligitur, quid cauſa ſit quod reliqui duo Modi falſi ſint.

§. 16.

De Syllogismo Disjuncto.

Syllogismus Disjunctus dicitur cujus propoſitio est Disjuncta. Igitur quum praedicatum formas complectatur (1), quae ſubjecto, tamquam ge-

(1) Disjuncta quamquam non omnia ſint formae Ge-
ne-

genere, continentur, debet Propositio accurate exacta esse ad leges Divisionis, de quibus diximus III, 4, 5; ut formae et contraria invicem sint, et generis summum conficiant. Tribus autem modis hujus Syllogismi conclusio efficitur:

I. Ut, *reliquis formis rejectis, una sumatur:* v. c. apud Ciceronem invent. I, 45. Quoniam habes istum equum, *aut emeris oportet, aut hereditate possideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus sit: aut, si horum nil est, surripueris necesse est.*

Sed *neque emisti, neque hereditate venit, neque domi natus est, neque donatus est;*

Necesse est ergo, surripueris (1).

III. Ut, *una forma assumta reliqua rejiciantur:* v. c.

Sed *surripuisti;*

Ergo neque emisti, neque hereditate venit, neque domi natus, neque donatus est.

III. Ut, *Omnibus formis rejectis, ipsum genus rejiciatur:* v. c. ap. Quinctil. Inst. Or. V.

Ut civis quis sit, *aut natus* sit, oportet, *aut factus.*

Sed *nec natus est, nec factus.*

E. Non est cives.

At-

neris; tamen ita informantur, v. c. *Anima est vel corporea, vel simplex; Aut facies hoc, aut non facies.*

(1) Cic. ib. *Hoc commodo reprehendetur, si dici possit, ex hostibus equus esse captus, cujus praedae sectio non venierit.* Quod si addatur, justus erit Syllogismus.

Digitized by Google

Atque hic modus in Disjunctis valet iis, quae non sint Contradictoria; horum quippe alterum omni rei tribuendum est, et altero negando alterum adfirmatur (1).

Ad hunc Syllogismum referri etiam debet *Conjunctus Negans* (2): ejus quippe Propositio unice formâ differt a Disjuncta: v. c.

Non potest quis et *bonus vir* esse, et popularis aurae captator.

Sed est *bonus vir*.

E., non est popularis aurae captator.

§. 17.

De Dilemmate.

Atque hinc sponte intelliguntur rationes *Dilemmatis* quod est genus Syllogismi, cujus Propositio et Hypothetica et Disjuncta est; ut, quibus

(1) v. c. *Aut facies hoc, aut non facies;* non potest inferri, *Sed neque facies; neque non facies;* nam ita alterum affirmatur. Neque etiam quid efficitur, cum idem negatur in Assumtione, quod in Propositione dictum fuit; neque enim est Terminus Medius. *Anima est vel corporea, vel non corporea; Sed hoc neque est corporeum; neque non corporeum;* falsum est. Haec est natura rerum contradictoriarum, quam late persequitur Aristot. Categ. Cap. 10 et 11. de interpr. Cap. 13. 14. et Metaph. X. 8. Ceterum Quartus Modus, quo negatione Generis formae tolluntur, falsus est; quia is Assumsionem Primae Figurae facit negantem.

(2) Cicero eum vocat *Conjunctionum Negantiam*, Topi. 14. Conf. supr.

Digitized by Google

bus illi reguntur legibus, iisdem regatur *Dilemma.* Qui in eo versantur conclusionis Modi, duo fere sunt:

I. Ut, *Consequentium altero assumto, alterum tollatur:* v. c.

Si Cajus *civis* est, *aut factus* sit oppetet, *aut natus.*

Sed *factus* est *civis.*

E., non natus.

II. Ut, *rejectis Consequentibus, rejiciatur Antecedens* (2): v. c.

Sed neque *natus*, neque *factus* est.

E., non est civis.

Ceterum valde fuit celebris usus Dilemmatis in cavillationibus et fallaciis, quas ad Inexplicabilium genus retulit veterum Dialecticorum disciplina: vid. A. Gell. V, 11. Hinc Syllogismi *Mentientes*, *Reciproci*, *Crocodilici*, qui omnes a falsis Dilemmatum formis fluxerunt (3).

§. 18.

(1) Tertius Modus, quo altero rejecto alterum sumitur, valet in Disjuncto Syllogismo, non in Dilemmate; hujus quippe Propositio Hypothetica est, illius Categorica. Quartus Modus, quo, sumto antecedente, sumuntur disjuncta consequentia, et Quintus, quo, rejectis disjunctis consequentibus, rejicitur Antecedens, nil a Disjuncto Syllogismo peculiare habent.

(2) Hunc Modum Cicero vocat *Complexionem.*

(3) Vid. Jac. Facciolat. Acroas. II. De Pseudomeno. Dilemma etiam *Cornutus* vocatum est; quod utrinque, veluti cornibus, pugnaret. Sed possunt plura duobus co-

Digitized by Google

§. 18.

De Enthymemate.

Sunt vero etiam Syllogismi, iique maxime frequentati hominum usu, in quibus una vel duae duntaxat enunciationum diserte ponuntur, reliquae omittuntur. Quod genus dicitur *Enthymema* (1). Hujus exempla cum ex iis, quae antea exposuimus, peti possunt, tum pervulgata sunt apud Oratores. Veluti Quinctilianus, Inst. V, 14, hoc adfert ex Cicerone Pro Ligar. 6: *Causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset: nunc melior certe ea judicanda est, quam etiam Dii adjuverunt.* Est hic Propositio ejusque Probatio, nulla Conclusio. Igitur recte a quibusdam nomen ei additum est *decurtati Syllogismi.*

Tale quoque est illud compendium Hypothetici Syllogismi, Pro L. Corn. Balbo 14: *Quod si exceptio facit ne liceat; ibi necesse est licere,*

esse disjuncta; unde *Trilemmatis*, *quadrillematis*, cet. nomina exstiterunt.

(1) Aristoteles Enthymema vocat *Syllogismum*; *qui fiat ex verisimilibus seu signis*, et *Syllogismum Rhetoricum*: de quo in capite De Probabilitate dicemus. Nos hic pervulgatam apud alios Dialecticos significationem secuti sumus. Quod vero decantatum est, quomodo ex terminis qui adsunt, enunciatio omissa colligatur, nihili est; propter Figurarum varietatem, et quod una saepius Enunciatio sola ponitur.

Digitized by Google

re, ubi non est exceptum. Ubi igitur exceptum est foedere Gaditano, ne quem Populus Romanus Gaditanum recipiat civitate? Nusquam. Habes duas enunciationes praemissas, Propositionem et Negationem: Consequentia: Conclusio est, omissa.

Ad hoc genus referenda sunt etiam *Consectaria*, quae vulgo *Consequentiae Immediatae* dicuntur. Haec ejusmodi continentur Enunciationibus, ex quibus continuo alia intelligitur: neque manent eae Enunciationes *externa proprietate*, de qua diximus I, 2, 10–14. *Disjunctione*, *Subjectione*, *Pariatione*, *Conversione*.

§. 19.

De Sorite.

In Compositorum numero Syllogismorum ponunt etiam *Soritem*; quamquam is potius ad Demonstrationem Inductionemve pertineat. Est enim *Sorites* coacervatio Enunciationum ita inter se connexarum, ut prioris praedicatum fiat proximae deinceps subjectum. Cumque Enunciationes sint vel certae vel minus certae, ex illis existit *Sorites Explicabilis*, de quo hoc loco dicetur; ex his *Sorites Inexplicabilis*, de quo in capite de *Inductione* exponetur. Itaque in justo *Sorite*, primum subjectum cum extremo praedicato per Conclusionem conjungitur; et Termino cuique antecedenti Terminus quisque sequens, tamquam praedicatum subjecto, adjungi po-

Digitized by Google

potest. Exemplum sumamus ex Cic. Tusc. III, 7. *At nemo sapiens nisi fortis; non cadit ergo in sapientem aegritudo. Praeterea necesse est, qui fortis sit, eundem esse magni animi: qui invictus sit, eum res humanas despicere atque infra se positas arbitrari. Despicere autem nemo potest eas res, propter quas aegritudine adfici potest. Ex quo efficitur, fortem virum aegritudine numquam adfici. Omnes autem sapientes fortes. Non cadit igitur in sapientem aegritudo.* Ejus simplex forma haec est.

Omnis *sapiens* est *fortis.*

Omnis *fortis* est *magni animi.*

Omnis, *qui animi est magni*, est *invictus.*

Omnis *invictus res humanas despicit atque infra se positas arbitratur.*

Omnis, *qui res humanas despicit et infra se positas arbitratur*, ex iis *aegritudine adfici* non potest.

E., *sapiens* non potest *aegritudine adfici.*

Ceterum talis argumentatio constat ex simplicibus Syllogismis tot, quot inter Propositionem et Conclusionem intercedunt Enunciationes. Duae priores Enunciationes transponuntur; ut prima Assumtionis, secunda Propositionis loco ponatur, et ex iis Prima Conclusio efficiatur. Secundus Syllogismus efficitur, cum tertia Sortis enunciatio in Propositionis locum, et antecedentis Syllogismi Conclusio in Assumtionis locum, ponitur. Et ita tertius, et reliqui deinceps.

Quare Soritis ratio ad has fere leges adstricta est:

I. *Prioris Enunciationis praedicatum fiat sequentis subjectum.* Nisi enim ita sit, unum ex altero deinceps non sequatur.

II. *Ne sint negantes Praemissae plures una: et, si sit una negans, ea sit proxima Conclusioni.* Si contra fit, connexio Terminorum tollatur, et duae in eundem Syllogismum conveniant negantes; ex quibus nil effici potest (vid. III, 6, 5. leg. II.) (1).

III. *Ne sint particulares Praemissae plures una: et, si una sit particularis, ea sit omnium prima.* Quod si enim praecesserit universalis et sequatur particularis; Terminus medius earum erit genus, cui tribuantur duae formae, quae formae in enunciatione conjungi nequeant.

IV. *Omnes inter Propositionem et Conclusionem Enunciationes sint universales, ajentes.* Haec lex intelligitur ex antecedentibus.

§. 20.

(1) Si a genere deinceps ad minores formas descenditur, possunt esse omnes negantes Enunciationes; neque hoc quidquam derogat legi Syllogismorum (III, 6, 5.); nam sunt vere affirmantes; v. c. *Quod non lineas habet, non est Figura: Quod non Figura est, non est Triangulum: Quod non est Triangulum, non est Scalenum.* E. *Quod lineas non habet, non est Scalenum.* Sed haec est ratio retrograda. In affirmatione facit *Soritem inexplicabilem*, Conf. Jac. Facciolat. Acroas. II. et Lambert. Neues Organon. §. 296. et sequ.

Digitized by Google

§. 20.

De Demonstratione.

Atque his gradibus ad *Demonstrationem* pervenimus, quae *justa* est *Syllogismorum connexio, quibus certa veritas rei ex ejus principiis ducitur* (1). Cumque Syllogismus duabus contineatur partibus, Materia et Forma; etiam Demonstrationi, si vera futura est, utriusque hujus partis veritas constare debet. Nam et Praemissae debent esse verae certaeque, quod est Materiae: et Syllogismi debent exacti esse ad leges hactenus expositas, quod est Formae. Ratione Materiae dividitur in *puram* et *mixtam*: illa omnes Praemissas habet certas, et ex Mathematica Evidentia: haec admixtas habet Praemissas probabiles, et ex Morali Evidentia. Nos hic priorem quaerimus: quae sola Demonstrationis nomine appellanda est; cum posterior in locum de Probatione et Probabili rejicienda sit. Ratione Methodi est vel *Analytica* vel *Synthetica*. Denique ratione Formae dividitur in *Directam*, quae ipsam rem demonstrat, et *Indirectam* seu *Apagogicam*, quae contrarium ejus rei falsum esse ostendit.

§. 21.

(1) Vel, ut Cicero definivit Graecorum ἀπόδειξιν, Acad. II, 2. *Ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, addycit.* Sunt enim *percepta* Mathematicae Evidentiae.

§. 21.

De Analytica Demonstratione.

In Analytica Demonstratione causas quaerimus proximas, quibus efficitur, ut praedicatum subjecto tribuatur: easque causas veras esse, deinceps demonstramus, usque dum ad initia certa et evidentia perventum sit. Itaque primum Syllogismum facimus ejusmodi, ut ejus Conclusio sit ea ipsa Enunciatio, quae demonstrari debet: deinde Propositionem Assumtionemque, vel alteram vel utramque, demonstramus, donec ad certum eximum res deducta sit. Exemplum sumamus ex §. 18. (1). Demonstrandum igitur est. *Sapientem non posse aegritudine affici.* Causa proxima, quare praedicatum subjecto tribuatur, comprehendenda est ejusmodi Syllogismo, cujus Conclusione contineatur ipsum illud, quod demonstrandum est.

Qui res humanas despicit, non potest aegritudine affici.
Sapiens *despicit res humanas.*
E. Sapiens non potest aegritudine affici.

Invictus res humanas despicit.
Sapiens est *invictus.*
E. Sapiens res humanas despicit.

Qui-

(1) Hoc exempli causa factus est. Quamquam multa dici possint ad hoc Stoicorum decretum labefactandum; nil tamen impedit, quo minus eo uramur in exemplum Demonstrationis.

Digitized by Google

Qui magno est animo, idem est invictus.
Sapiens est *magno animo*.
E. Sapiens est invictus.

Qui fortis est, idem est magni animi.
Sapiens est *fortis*.
E. Sapiens est magni animi.

§. 22.

De Synthetica Demonstratione.

In Synthetica Demonstratione contraria est via: quippe initium ducitur ab ultimis causis, ab iisque progressus fit ad Enunciationem, cujus demonstratio quaerebatur. Eaque est ipsa haec *Demonstratio*, in quam convertitur Sorites, ratione ea, quam exposuimus. §. 18.:

Qui fortis est, idem est magni animi.
Sapiens est *fortis*.
E. Sapiens est magni animi.

Qui magni animi est, idem est invictus.
Sapiens est *magni animi*.
E. Sapiens est invictus.

Omnis invictus res humanas despicit.
Sapiens est *invictus*.
E. Sapiens res humanas despicit.

Qui res humanas despicit, non potest aegritudine affici.
Sapiens *despicit res humanas*.
E. Sapiens non potest aegritudine affici.

Digitized by Google

§. 23.

De Apagogica Demonſtratione.

In hac ita progreditur ratio, ut Enunciationis demonſtrandae contrarium ponatur, v. c. *Sapientem affici aegritudine*, et quid inde ſequatur eousque inquiratur donec in re certa et indubitata offendatur. Nam, ex qua Enunciatione falſi quid proficiscitur, ea ipſa est falſa: et quae falſa est, ejus contraria vera est. Igitur Analytica Methodo agendum (1).

Qui aegritudine afficitur, non despicit res humanas.
Sapiens *aegritudine afficitur.*
E. Sapiens non despicit res humanas.

Qui non despicit res humanas, non est invictus
Sapiens *non despicit res humanas.*
E. Sapiens non est invictus.

Qui non est invictus, non est magni animi.
Sapiens *non est invictus.*
E. Sapiens non est magni animi.

Qui non est magni animi, non est fortis.
Sapiens *non est magni animi.*
E. Sapiens non est fortis.

At-

(1) In Analytica directa, Propoſitio Aſſumtiove ſunt demonſtrandae. In indirecta, Praemiſſae ut certae ponuntur, et praedicatum Concluſionis fit ſubjectum Propoſitionis proxime Syllogismi, ut in Synthetica Demonſtratione.

Digitized by Google

Atque, cum hoc tamquam certum exploratumque ponamus, *Sapientem esse fortem*, initium, unde hoc fluxit, seu *Sapientem aegritudine affici*, falsum sit necesse est: adeoque verum ejus contrarium, *Sapientem non affici aegritudine* (1).

§. 24.

Comparatio horum Demonstrationis generum.

Directa Demonstratio maxime valet ad rem ipsam conficiendam, eique suam veritatem vindicandam. *Indirecta* magnam habet utilitatem, ubi cum ejusmodi hominibus agimus, qui Enunciationes eas, per quas Directa Demonstratio ducitur, non percipiunt; ut ad eorum imbecillitatem descendere, eique nos accommodare, cogamur. Quid, inter *Analyticae* et *Syntheticae* laudes intersit, cum ex iis intelligitur, quae supra P. III. Cap. I diximus; tum hoc loco monendum videtur. In quaestionis alicujus propositae veritate falsitateve exquirenda, praestat Analytica Syntheticae: in illa enim semper retinemus quaestionem, neque ab ea divellimur: quod contra est in Synthetica: ubi a principiis ordimur quidem, neque tamen ab iis semper ducimur ad

(1) Tyronum causa monemus, Assumtiones has esse ajentes; quippe negatio earum ducta est ex Propositionum subjecto. Propositiones negantes tantum valent, quantum ajentes, ex quibus conversae sunt.

Digitized by Google

ad quaestionem propositam. At vero Synthetica praestat, cum Demonstratio, jam inventa, aliis hominibus tradenda est: quae est ratio Mathematicorum: qui ad rem demonstrandam per res cognitas perveniunt Synthetice progrediendo et quasi demonstrando, tum Demonstrationem etiam Analytice ex rebus recens perceptis et cognitis ex abundanti adjiciunt. Ceterum inter Analyticam, quae quaestionem propositam accurate definit, et inter Syntheticam, quae exitum quaestionis indefinitum habet, media quasi est ea Demonstratio, quaestionem propositam, non quidem accurate, sed tamen aliquo modo, definit, cum ad eam, tamquam Conclusionem, progreditur Synthetice (1).

Cap. VII.

DE ARGUMENTATIONE PROBABILI EJUSQUE PRIMO FONTE, SENSIBUS CORPORIS.

§. 1.

Constitutio hujus loci.

Hactenus ita Syllogismus a nobis spectatus est, ut qui Mathematicam pariat evidentiam; nam enunciationes, ex quibus efficitur Conclusio, tamquam certas et Mathematica necessitate praeditas sumsimus. Sequitur, ut eum spectemus ab ea parte, qua

(1) Lambert. Neues Org. P. III. §. 330.

Digitized by Google

qua Moralem evidentiam efficit, et ex Enunciationibus ducitur verisimilibus, probabilibus, incertis, dubiis. Ceterum duo illa evidentiae genera ita differunt a se invicem; ut in *Mathematica* perspectae sint omnes causae, quare praedicatum subjecto adjungatur, in *Morali* vero non nisi pars earum cognoscatur. Porro hujus tres sunt fontes et genera, *Sensus*, *Testimonium*, et *Conjecturae*; de quibus deinceps exponendum est (1).

§. 2.

De fundamento, quo Sensuum evidentiae nititur.

Quamquam omnis cognitionis nostrae fons est in Sensibus, non tamen evidentia in iis est Mathematica (2). Quod facile quidem intelligi potest, si animadvertatur, omne Sensuum judicium contineri Conclusione ex Enunciationibus probabilibus ducta. Harum Propositio Sensibus tribuit veritatem, Assumtio posita est in ipsa sentiendi actione ejusque conscientia; hinc, veluti Conclusio, consequitur *Assensus*: v. c.

Quod

(1) Conf. P. I. Cap. I. §. 5—8. 's Gravesand. Introd. in Philosoph. P. II. Cap. XIV—XIX. Mendelsohn. Phil. Schrifft. P. II. Cap. IV. ueber die Wahrscheinlichkeit.

(2) Neque etiam est in iis ea, quae vocatur *immediata*, *perceptio*. Neque enim v. c. percipimus ipsum Solem: sed enunciationem duntaxat in nobis sentimus.

Digitized by Google

Quod *mihi* visum *a Sensibus objicitur*, illud verum est.

Nunc Cajum adesse, *mihi a Sensibus objicitur*.

E. Verum est, Cajum adesse.

Ceterum, licet, ut dictum est, Propositio et Assumtio sint probabiles; possunt tamen cura diligentiaque ad eam adduci evidentiam, quae ad Mathematicam proxime accedat, et Assensum pariat firmum. Quod qua ratione efficiatur, age videamus.

§. 3.

Reprehensio Propositionis.

Primum omnium, definienda est Propositionis auctoritas, quaerendumque quid sit Veritas, et quomodo Sensibus tribui possit. Veritas igitur, cum sit convenientia cogitationis cum re, absolute tribui Sensuum visis nequit; si quidem vera sunt ea, quae supra exposuimus P. III. Cap. II., et quae quotidie experimur. Neque enim rerum tales imagines imprimuntur Sensibus quales res ipsae sunt, sed signatae duntaxat superficie atque externa facie. At, dicat quis, sit ita, ut Sensus non perfectam rei externae, neque omnibus suis partibus absolutam, ideam menti adferant; si tantum verum est quantum ejus rei adferunt, quid impedit, quominus iis veritatem tribuamus; nam et *testem* v. c. *verum* dicimus, qui; quamquam non totam rem refert, tamen, quantum eius refert, in eo verus est. At ne illa quidem

dem veritas omnino iis vindicari potest. Nam, et ſua quemque experientia docet, Senſus non eſſe fideles: et propter ſentiendi inſtrumentorum varietatem, quae maxima est in hominibus, neceſſe est, ita ex eadem re quemque hominem aliam ideam ſuscipere, ut ejus inſtrumenta aliter conſtituta temperataque ſunt. Denique, ſi vel maxime unam eandemque homines ejusdem rei habeant ideam, quis nobis illud praeſtet, ideam eſſe talem qualis res est, neque aliud quidquam longe ab ea diverſum.

§. 4.

Reprehenſio diluitur.

Neque vero tantam habet vim haec reprehenſio, ut Senſuum fidem prorſus labefactet. Et primum quidem, ut concedimus, per Senſus rem externam neque totam, neque ita ut est, cognosci; ita firmiter tenemus, eandem eſſe rerum inter ſe rationem proportionemque, atque idearum, quae ex iis ortae ſunt (1). Igitur non aliam Senſibus veritatem tribuimus, praeter eam, quam praeſtare poſſunt, ſi ſunt ſani et valentes: atque homines, qui ſanis bonisque Senſibus diligenter utantur, in rerum externarum ideis conſentire affirmamus. Porro, ſi ejusmodi ideas nacti

(1) Hoc acute obſervavit elegantiſſimus auctor libelli, qui nuper prodiit, Gallice ſcripti, *Sophile ou ſur la Philoſophie*, p. 23. et ſequ.

timus, quae reliquorum, Sensibus et fanis et diligenter utentium, hominum consensu confirmentur; nil ultra requirimus. Huc accedit necessitatis ratio, quod, nisi Sensibus velimus habere fidem, omnia vitae subsidia sponte abjiciamus: accedit quotidiana experientia et iteratio, paullatim eam Sensibus auctoritatem concilians, quae nullis rationibus ex Mente nostra evelli possit. Qui, his argumentis non contenti, Deum inducunt, et ex ejus benignitate veracitateque Sensuum veritatem repetunt, haud scio an cupidius quam acutius agant, neque demonstrationis vim capiant (1).

§. 5.

De quinque Sensuum officio.

Quum res extrinsecus ad aliquam Corporis nostri partem accidit, et ejus inde rei cogitatio in Mente existit, dicimur *Sentire*. Atque res, quae sentiuntur, vel ipsae per se, vel aliarum interventu, quasi Corpus nostrum feriunt. Partes vero Corporis, quae rem extrinsecus oblatam suscipiunt, ejusque cogitationem in Mente efficiunt, *quinque* omnino sunt. *Oculi*, quorum Sensus dicitur *Visus*, qui existit, quum radii

(1) Usus est eo vir praeciptus 's Gravesandus. Recte eum reprehendit, *inductionemque* i. e. quotidianae experientiae rekerationem, ut firmum fundamentum subjecit evidentiae morali Mendelsohn libro laudato, über die Wahrscheinl. p. 262.

Digitized by Google

dii lucis per Oculos illapsi ab re corporea: ejus imaginem in intima oculi tunica depingunt. *Aures*, quarum Sensus vocatur *Auditus*: hic efficitur sono, qui est motus aëris ex collisione corporum ortus, et ad aurem ita continuatus, ut ejus membranam pulset. *Tactus* apparet, cum res corporea ipsa per se Corpus nostrum afficit, ita ut ejus rei soliditas cognoscatur: neque hic quidem Sensus ad certam quandam corporis partem adstrictus, sed per totum corpus distentus est; ita tamen, ut ejus praecipua vis in extremis digitorum partibus posita sit. *Gustus* efficitur, quum sales succique linguam et palatum afficiunt. *Odoratus* fit, quum vapores effluviaque, quae reliquos Sensus fugiunt, ad nares adferuntur.

§. 6.

Quibus Sensibus quas ideas hauriamus.

Est quoque universe monendum, quibus Sensibus quas ideas hauriamus (1). Igitur latissime patet in rerum corporearum natura vis *Solidita-tis*, cujus idea per omnes quidem Sensus, maxime tamen per Tactum, menti adfertur. Nam *Lucem* et *Colores* solo Visu intelligimus: *Extensionem*, *Figuram*, *Intervalla*, *Spatium*, et Visu et Tactu cognoscimus: parum reliquis sensi-

(1) Conf. Lock. L. II. §, 4, 4. 's Gravesand. Introd. L. II. Cap. 14.

Digitized by Google

ſibus. Solo Auditu *Sonus*, ſolo palato et lingua *Gustus*, ſolis naribus *Odoratus*, apparent. Sed ex quinque Senſibus praeſtantia, copia, utilitateque reliquos ſuperant *Viſus* et *Auditus*, quippe qui ſoli ad artis rationem revocantur, et rerum abſentium remotarumque notitias adferunt; pulchritudinis porro harmoniaeque ſunt et nuncii et judices; fontes denique Picturae, Muſices, Poëſeos, Scriptionis, et omnis doctrinae; ut vere *doctiſſimorum Senſuum* nomine celebrentur (1).

§. 7.

Leges, quibus Senſationis veritas exploretur.

Superest, ut dicamus de altera parte fundamenti ejus, quo nititur evidentia Senſuum, nimirum de Aſſumtione: cujus veritatem falſitatemve ſi diligenter accurateque exploraverimus, Aſſenſio firma certaque erit: (vid. §. 2. ſupra). Quod ut efficiatur, his maxime legibus regenda est haec exploratio:

I. *Senſus internus externusque ſimul adſint.* Internus ſolus est in ſomnio, delirio, furore, et nimia Mentis intentione: externus tum est ſolus, cum rei impulſio aut non propagatur ad cerebrum, aut nulla inde cogitatio exiſtit (2).

II. *Caveamus, ut cogitatione adjungamus quid*

(1) Conf. ſupr. II, 1, 4.
(2) Conf. ſupr. II, 1, 4.

Digitized by Google

quid rei externae, praeter id, quod Senſus de illa nobis nunciant. Hoc errore nil est frequentius; quem recte Epicurus *Opinioni* tribuit, Senſus ipſos ab eo vindicavit (1). Lucretius IV, 464:

„ *Cetera de genere hoc morando multa videmus,*
„ *Quae violare fidem quaſi Senſibus omnia quaerunt.*
„ *Nequicquam: quoniam pars horum maxima fallit.*
„ *Propter opinatus animi, quos addimus ipſi.*
„ *Pro viſis ut ſint, quae non ſunt Senſibus viſa.*

III. *Senſus ſint ſani et valentes: neque aliquid iis obſtet.*

IV. *Rem pluribus Senſibus ſubjiciamus, et ſingulis etiam ſenſibus vario modo exploremus.*

V. *Senſus, quoad ejus fieri potest, arte adjuvemus et corroboremus.*

IV. *Videamus, an alii homines eodem modo ac nos ex eadem re afficiantur.*

Quamquam vero nonnullae res ita ſunt abditae, ut illa Senſuum acie et ſollertia pervestigari queant; tamen, qui leges illas ſequitur, is tantum aſſequetur veritatis, quantum plurimum in hac re homo aſſequi potest, et ab erroris quidem periculo tutus erit. Recte monet Lucullus

(1) Conf. Sext. Emp. Math. VIII. 103. Douza ad Petron. p. 877.

Digitized by Google

lus ap. Cic. Ac. II. 7. *Meo autem judicio, ita est maxima in Sensibus veritas, si et sani sunt et valentes, et omnia removentur, quae obstant et impediunt. Itaque et lumen mutari saepe volumus: et situs earum rerum, quas intuemur, et intervalla aut contrahimus aut diducimus; multaque facimus usque eo, dum aspectus ipse fidem faciat sui judicii. Quod idem fit in vocibus, in odore, in sapore: ut nemo sit nostrum qui in Sensibus sui cujusque judicium requirat acrius, cet.*

Cap. VIII.

DE TESTIMONIO.

§. 1.

De Testimonii natura Materia.

Pergimus ad *Testimonium*, quod remotius etiam est ab evidentiae firmare quam ipse Sensus, qui quidem his res ipsa praesens percipitur, illo res aliorum Sensibus percepta ad nos defertur. Igitur res, in qua versatur *Testimonium*, debet esse in facto et Sensibus, non in demonstratione et intelligentia, posita; nisi si in re nihil sit repugnantiae, et auctor fide dignus, et is, cui res traditur, ea aetate et ingenio, ut rationes nondum ipse perspicere possit. Assensio, quam tribuimus alicujus Testimonio, dicitur *Fides*: eaque ejusmodi nititur Syllogismo:

Quod

Digitized by Google

Quod mihi ab aliis hominibus refertur, verum est, Trojam, v. c., a Graecis captam esse, ab aliis mihi hominibus refertur.

E. Verum est, Trojam a Graecis captam esse.

Propositio multas variasque habet cautiones, quibus regitur indicium in testis Fide explorandа. Assumtio latissime patet in Historia, et continetur judicio de veritate monumentorum, eorumque recta interpretatione. Neque tamen haec difficultas impedit, quo minus Fides proxime ad Mathematicae evidentiae vim accedere possit. Veluti apud eos, qui aliquem Historiae usum habent, tam firma est Fides *Julium Caesarem fuisse*, quam firma est Scientia *Triangulum tribus lineis descriptum esse*.

§. 2.

De formis Testimonii.

Itaque cum longe minimam partem cognitionis nostrae ipsi nostris Sensibus hauriamus, contra longe maximam ejus partem aliorum Fide accipiamus; operae pretium est cognoscere, quam rationem viamque in hoc judicio sequi debeamus. Et primum quidem Testimonii, tanquam generis, formas exponamus. Earum prima, eaque longe frequentissima est *narratio*, quae in communi hominum usu et quotidiano sermone versatur: altera est eorum, qui rem in judicio edicunt vel interposita jurisjurandi religione, vel libere impulsi, vel necessitate adducti: tertia cernitur

Digitized by Google

in auctoritate Historiae aliorumque monumentorum, quibus res gestae ad posteritatis memoriam transmittuntur. Porro, ratione ipsius testis, *Testimonium* est vel *proximum*, quod est ab eo teste, qui rem suis ipse Sensibus usurpavit: vel *remotum*, quod ab eo est, qui rem ab aliis acceptam refert. Est denique vel *humanum* vel *divinum:* et hoc quidem, nisi si proximum fuerit, eidem judicio subjectum est atque humanum testimonium.

§. 7.

Judicium Propositionis.

Sed propositioni tum demum sua constat firmitas, quum is, qui rem nobis refert, et *sciat* nam et *velit aperire*: quarum illa est *Intelligentiae* laus, haec *voluntatis*: utraque si adsit in teste, tantam vim habet, ut ejus Fides omni exceptione sit major. Ceterum ejus duplicis laudis judicium propter varietatem rerum, ad certam artis rationem revocari vix potest, ut usu potius quam praeceptis est discendum. Tamen veluti aditum rationis aperiamus, universe tradendis quibusdam praeceptis:

I. *Ipse testis spectandus est.* Cujus quidem *Intelligentia* cognoscitur, ex ejus ingenio experientia, solertia, et vitae ratione. Si rem suis ipse sensibus usurpavit; videndum ex praeceptis supra traditis (III, 8, 7.) utrum erraverit, nec ne. Sin rem ab aliis acceptam refert; quaerendum,

Digitized by Google

dum, utrum ipſe idoneos teſtes ſecutus ſit, et cum ea re conjunctus ſit vel tempore vel loco. *Voluntatis* integritas intelligitur, cum ex ejus vita, moribus, animo; tum ex eo, ſi non tantum cauſa, quare mentiretur, non apparet, ſed contra, quare veritatem diceret, cauſa apparent graves.

II. *Res ipſa est ſpectanda.* Igitur primum, ne ſit repugnans, ſed in re et natura poſita deinde ſingulae ejus partes inter ſe conſentiant: denique accomodata ſit ad homines, de quibus dicitur, et ad locum tempusque in quo ſunt et fuerunt.

III. *Ratio narrationis est ſpectanda.* Multum enim interest, utrum ſit ſimplex nec ne, utrum ab arte et meditatione, an a re ipſa et naturâ, profecta ſit: utrum accomodata ſit rei de qua agitur, nec ne: cum motune animi an tranquillitate conjuncta ſit.

IV. *Numerus Testium*, magnopere valet ad Fidem: ſi quidem ſua iis conſtet Intelligentiae Voluntatisque laus, et ſinguli ex ſuis ſibi et peculiaribus fontibus rei cognitionem hauſerint, non univerſi ab uno eodemque teste pendeant.

§. 4.

Judicium Aſſumtionis.

Aſſumtionis firmitas duabus nititur partibus, quarum altera continetur ſubjecto, praedicato altera. Sit v. c. hic Syllogismus:

Digitized by Google

Quod a Sallustio memoriae proditum est, de ea dubitari non debet.

Ciceronem nefarium fuisse hominem, a Sallustio memoriae proditum.

E. non debet dubitari, quin Cicero nefarius fuerit homo.

Hujus igitur Assumtionis, primum, explorandum est subjectum, i. e. an ea fuerit mens et sententia Sallustii; quam quidem assequimur linguae scientia et interpretandi arte. Deinde videndum, utrum is locus ab ipso Sallustio sit, an falso ei tribuatur: quod judicium cum id stili orationisque generum scientia, tum in antiquitatis usu et critico ingenio positum est. Ut recte testis sententia intelligatur, operam in primis dare debent ii, qui in foro et judiciis versantur, quod saepius judicandum iis est ex eorum testimonio, qui propter insciitiam aliasve causas cogitata sua verbis difertis significare nequeunt.

§. 5.

De argumento, quod a Testium silentio repetitur.

Denique illud est tenendum: ut recte pro vera habeamus rem idonei testimonii auctoritate, ita *non contra, rem a nullo teste confirmatam continuo falsam esse.* Quod argumentum in rebus Historicis late patet, et *a Scriptorum silentio* vocatur. Multa enim latent eos homines, qui ipso rei gestae tempore vivunt, eaque poste-

Digitized by Google

terior demum aetas ex tenebris in lucem prorumpit: neque etiam omnia prodit Scriptor, quae cognita ei sunt. Igitur tum demum valet hoc argumentum, si res sit talis, ut ea neque a Scriptoribus ejus aetatis ad quam pertinent, neque per consilium scriptionis omitti potuerit, sed necessario debuerit commemorari (1).

CAP. IX.

DE CONJECTURA, ET, QUAE INDE PROFICISCUNTUR, GENERIBUS SYLLOGISMORUM PROBABILIUM. AC SOPHISMATUM.

§. 1.

De vi et natura Conjecturae, seu, Analogia.

Tertia pars evidentiae Moralis est *Conjectura*, quae ex rebus vel praesentibus vel cognitis res vel absentes vel ignotas prohabiliter colligit (vid. I, 1, 7.) Haec per totam vitam late dominatur: et omnem complectitur cum Verisimilitudinem, quam rebus inter se comparandis assequitur, tum Sensuum ac Testimonii fidem, quippe Syllogismi, quo ea fides continetur, Praemis-

(1) Conf. Ernest. Init. Doct. Solid. Part. Dial. §. 95. qui omnino de toto hoc loco consulendus est. Ejusdem extat egregia disputatio *de fide historica recte aestimanda*. (Opuscul. et Philol. p. 64.) multum praeferenda jejunis eorum Praeceptis, qui sine rerum doctrina perquam sibi acuti et Philosophi videntur.

Digitized by Google

misſas explorat et dijudicat. Tradit quoque rationem, qua, inveniatur, quot Veritatis numeros quaque res habeat, et quantum ex iis quisque valeat. Unde Ars exiſtit, quae veri tanquam calculos ſubducat, et omni Aſſenſione pretium ſtatuat ſuum. *Analogiae* nomen inditum est; quod ex ſimilitudine et proportione ducitur. Et quandoquidem ipſa continetur Syllogismo vel inductione, ſed imperfectis illis; primum de iis exponamus.

§. 2.

De Syllogismo Imperfecto.

Syllogismus Imperfectus est, cujus Concluſio non ex praemiſſis univerſalibus certisve dicitur, Veluti, ſi quid in Praemiſſis fuerit remiſſum ex ſeveritate legum, quae Capite VIII. expoſitae ſunt: v. c.

Quidam *divites* ſunt avari.
Cajus est *dives.*
E. Cajus fortaſſe avarus est.

Infirmior etiam est Concluſio, ſi Aſſumtio fuerit probabilis: v. c. *Cajus fortaſſe dives est.* Itaque, ut intelligatur, quanta ſit Probabilitas Concluſionis, certum Propoſitioni Aſſumtionique ſtatuendum est pretium: quod quidem efficitur Inductione, de qua mox videbimus.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3.

De Dilemmata dubio et inexplicabili.

In Syllogismis *Dilemma* cum late patet, tum ancipitem habet asſenſionem, et rem quaſi in medium adducit, ſi disjunctorum aequalia ſint momenta, aequalis probabilitas. Et de vera quidem ejus vi postea dicetur: est enim in eo poſita, ut, quot ſint cauſae quare praedicatum ſubjecto tribuamus, tot etiam ſint quare praedicatum a ſubjecto disjungamus. Nunc exemplis patefaciamus ejus fallaciam, celebratam illam in Antiquorum ſcholis atque adhibitam frequenter ad labefactanda Veritatis fundamenta.

Mentiens: Gr. ψευδόμενος hac formula enunciatur: *Si mentior, et dico me mentiri; verum et falſum ſimul dico. Igitur potest quid ſimul esſe et non esſe.* Cicero Acad. II, 29, ejus rationem et conſilium exponit: *Nempe fundamentum Dialecticae est, quidquid enuncietur, aut verum aut falſum esſe. Quid igitur? Haec vera an falſa ſunt?* „ *Si te mentiri dicis,* „ *idque verum dicis te mentiri: verum dicis.*" *Haec ſcilicet inexplicabilia esſe dicitis.* Plura de eo prodidit Gellius N. A. XVIII. 2.

Ex eodem genere est *Reciprocus*, Gr. ἀντιστρέφων. Ejus exemplum est apud Gellium V, 10. de Protagora et Euathlo. Aliud apud Lactantium Inſtitut. III, 6. *Huic ſimile est illud, quod in ſcholis proponi ſolet in aſyſtati generis exem-*

Digitized by Google

plum: „ *Somniasse quendam, ne somniis crede-* „ *ret:*" *si enim crediderit: tum sequitur, ut credendum non sit; si autem non crediderit, tunc sequitur, ut credendum sit.* Ex eadem forma expressus est *Syllogismus Crocodilinus:* vid. Quinctilian. Instit. I, 10.

Electra quoque valet ad cognitionis firmitatem evertendam: ejus nomen atque exemplum desumtum est ab Electra, Agamemnonis filia, quae fratrem Orestem clam redeuntem non agnovit, cum tamen sciret, sibi fratrem esse Orestem. Qui hoc utebantur Sophismate, illud effici volebant, *aliquid posse simul et sciri et nesciri.* Quamquam hoc quidem Stoici, qui rerum scientiam contra Academicos tuebantur, facile in suam rem convertebant. Dilemmatis forma apparet in interrogatione, quae est apud Platonem in Menone (1): „ *Quod quaeris, vel scis, vel nescis. Si, scis, frustra quaeris: si nescis, non agnosces, etiam si inveneris.*"

Sunt quoque celebratae rationes, quibus Zeno Eleates et Diodorus Cronus motum ex natura tollere voluerunt. *Res movetur vel in loco ubi est, vel in eo ubi non est. In eo ubi est, non movetur, sed quiescit: in eo ubi non est, ne moveri quidem potest. Igitur nil movetur.* Alia est ejus rationis forma, cui *Achillis* nomen inditum est: *Motus fit Spatio et Tempore. Horum*

(1) p. 16 F.

Digitized by Google

rum partes sunt vel finitae vel infinitae. Si sunt infinitae, permeari non possunt. Si sunt finitae, minimâ quaque parte Temporis minima quaeque pars Spatii conficitur; et omnia aeque celeriter tardeve moventur; neque stadium ad Achille celerius percurretur quam a testudine. Igitur nil movetur.

Ignava Ratio, Gr. ἀργὸς λόγος, ad rerum futurarum necessitatem valet. Haec late patet: nobis hoc loco satis est in exemplo Ciceronis, De Fato Cap. 12. *Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere; sive medicum adhibueris, sive non, convalesces. Item, si fatum tibi est, ex hoc morbo non convalescere: sive medicum adhibueris, sive non, non convalesces. Alterutrum fatum est. Medicum ergo adhibere nil attinet.*

Duo haec postrema genera in Metaphysicis explicantur. Priorum fallacia sponte intelligitur. Docte eleganterque ea explicuit Jac. Facciolatus in Acroasibus.

§. 4.

De Sorite Dubio et Inexplicabili.

Sorites Dubius, seu *Imperfectus*, conclusionem habet incertam, quippe ductam ex enunciationibus vel particularibus, vel incertis; (vid. supra III, 6, 19. Not.). Hic pro varietate argumenti varia nomina accepit.

Dominans, Gr. Κυριεύων, dictus est ab exemplo

plo Cleophanti, Themistoclis filii: qui solebat jactare, se toti Graeciae imperare· *Ego enim*, ajebat, *impero matri*, *mater patri*, *pater Athenienſibus*, *Athenienſes Graecis.* Harum enunciationum nulla est universalis. Igitur Conclusionis non nisi pars vera esse potest.

Proprie dicitur *Sorites*, quod ostendi soiebat in exemplo *Acervi.* Nam cum acervus constet ex multitudine, v. c. granorum; quaeritur, quandonam haec multitudo acervus esse incipiat, seu, quota grano acervus efficiatur? ut addito uno grano acervus fieri, demto uno non amplius acervus esse videatur. Cicero Acad. II, 16. *Cum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur*, *Soritas hos vocant; quia acervum efficiunt addito uno grado. Vitioſum ſane et captioſum genus.*

Eadem est vis argumentationis, quae vocatur *Crescens Ratio*, Gr. αὐξόμενος λόγος. Primus quod constet, ea usus est Epicharmus Siculus, antiquissimus Comoediae poëta, idemque Philosophus. Inde sumtam celebravit, Stoicorum princeps, Chrysippus. Nam cum pronunciasset Epicharmus, ita omnia continuo mutari, ut nihil idem, atque antea modo fuisset, maneret; causam praebuit ejusmodi argumentationi, qua frequenter usi sunt Veteres. Veluti, Athenienses navem, quae Theseus juvenis pueros puellasque, comites exilii, Athenas reduxerat, in sempiternam rei memoriam servare decreverant. Igitur na-

Digitized by Google

navis, ut paulatim putrescebat, ita paulatim resarciebatur; ut dubium tandem fieret, an hanc antiqua illa Thesei navis adhuc esset (2). Neque vero his finibus contineri potuit *Crescens Ratio*, sed totam occupavit humanam vitam; ut, mutatis continuo rebus omnibus, nullus esset locus pactorum foederumque fidei. Ceterum ejus explicatio ad Metaphysica pertinet: hic forma duntaxat exponenda erat. Difficultas in finium ignoratione posita est: quod recte monet Cicero Acad. II, 28, 29. — *Venit ad Soritas, lubricum sane et periculosum locum; quod tu modo dicebas esse vitiosum interrogandi genus. Quid ergo? istius vitii num nostra culpa est? Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus, quatenus. Nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est, sed ulla omnino in re minutatim interroganti, dives, pauper, clarus, obscurus sit: multa, pauca: magna, parva: longa, brevia: lata, angusta, quanto aut addito aut demto, certum, quod respondeamus, non habemus.*

§. 5.

De Inductione Imperfecta.

Ex iis, quae supra. III, 6, 3. monuimus, sa-

(1) Conf. quae notavimus ad Plutarch. de Ser. Num. Vind. p. 75.

Digitized by Google

facile intelligitur, maximam partem humanae cognitionis *Inductione*, eaque *Imperfecta*, contineri. Ejus ratio ejusmodi est, ut, si quid in multis rebus singularibus inesse deprehendimus, illud universae formae, quibus res eae singulares subjectae sunt, tribuamus. Igitur, quod major est rerum singularum numerus, eo firmior ex iis ducitur conjectura. Veluti: omnes, quos quidem novimus, homines quinque habent digitos; ergo fieri nequit, quin, si in ignorum incidamus hominem, cum quinque digitos habere statuamus. Aut, si cui semel ex vini potu male fuit, is iterum sibi male fore credat, si vinum biberit: sed si bis, ter, quater, idem inde evenerit, eo certius statuat: et omnino, quo saepius, quoque pluribus vini generibus usus male sibi fuisse meminerit, eo minus extorqueri sibi patiatur, male sibi fore sumto vino.

Neque vero tantam habet vim rerum singularium numerus, ut *Inductio* continuo vera existat. Veluti, si quis numquam nisi albo colore homines aut viderit, aut sando audiverit, is, perperam quidem, tamen ex vi et ratione *Inductionis*, album colorem, veluti proprietatem, universo hominum generi adjungat. Quare ad *Inductionis* firmitatem plurimum valet, si conjectura ducatur, non tantum ex numero rerum singularium, sed ex natura quoque cum illarum, tum formae et generis, quibus subjecta sunt.

Rerum singularium numero *Socratica* quoque ni-

nititur *Inductio:* ceterum per eas ita conficit argumentum, ut a cognitis concesisque paullatim ad incognita et dubitata pergat. Hoc *Inductionis* genere abundant libri Platonis et Xenophontis, neque quidquam est accommodatius eo ad communem hominum sensum. Et quandoquidem ejus et exemplum proposuit luculentum, et rationem diserte explicuit Cicero Invent. I, 31, facere non possumus quin eum locum adjiciamus: „ Inductio," inquit, „ est oratio, quae rebus non dubiis captat „ assensionem ejus, quicum instituta est: quibus „ assentioni facit, ut illi dubia quaedam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur: velut apud Socraticum Aeschinem „ demonstrat Socrates, cum Xenophontis uxore „ et cum ipso Xenophonte Aspasiam locutam: „ *Dic mihi, quaeso, Xenophontis uxor, si vicina* „ *tua melius habeat aurum, quam tu habes,* „ *utrum illius an tuum malis? Illius, inquit. Quid* „ *si vestem et ceterum ornatum muliebrem pretii* „ *majoris habeat quam tu habes, tuumne an illius* „ *malis? Illius vero, respondit. Age, inquit,* „ *si virum illa meliorem habeat quam tu ha-* „ *bes, virumne tuum an illius malis? Hic mu-* „ *lier erubuit.* Aspasia autem cum ipso Xeno- „ phonte sermonem instituit. *Quaeso, inquit, Xe-* „ *nophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat,* „ *quam tuus est, tuumne equum malis an il-* „ *lius? Illius, inquit. Quid si fundum melio-* „ *rem habeat quam tu habes, utrum tandem* „ *fun-*

„ *fundum habere malis? Illum, inquit, me-*
„ *liorem ſcilicet. Quod ſi uxorem meliorem ha-*
„ *beat, quam tu habes, utram malis? Atque*
„ *hic Xenophon quoque ipſe tacuit* Post As-
„ paſia: *Quoniam uterque veſtrum,* inquit,
„ *id mihi ſolum non respondit, quod ego ſo-*
„ *lum audire volueram, egomet dicam, quid*
„ *uterque cogitet: nam et tu, mulier, optimum*
„ *virum mavis habere, et ut, Xenophon, uxo-*
„ *rem habere lectiſſimam maxime vis. Quare,*
„ *niſi hoc perfeceritis, ut neque vir melior neque*
„ *foemina lectior in terris ſit, profecto id ſemper,*
„ *quod optimum putetis eſſe, multo maxime re-*
„ *quiretis, ut et tu maritus ſis quam optimae:*
„ *et haec quam optimo viro nupta ſit.* Hic cum
„ rebus non dubiis eſſet aſſenſum, factum eſt
„ propter ſimilitudinem, ut etiam illud, quod
„ dubium videbatur, ſi quis ſeparatim quaereret,
„ id pro certo, propter rationem rogandi, con-
„ cederetur. Hoc modo ſermonis plurimum So-
„ crates uſus est, propterea quod nihil ipſe ad-
„ ferre ad perſuadendum volebat, ſed ex eo,
„ quod ſibi ille dederat quicum diſputabat, ali-
„ quid conficere malebat, quod ille ex eo quod
„ jam conceſſiſſet, neceſſario approbare debe-
„ ret. cet."

§. 6.

De Exemplo.

Inductio, qua concluſio ducitur ex unico in-

di-

dividuo, vocatur *Exemplum:* v. c. *Dionyſius in tyrannide miſeram egit vitam: E. tyrannus omnis miſer est.* Igitur *Exemplum* rei universalis veritatem ſingularis rei commemoratione ostendit ejusque magna est vis in Oratoria, Poëſi, Ethica, et omni vita. Atque ad idem genus referenda est *Collatio* et *Imago*, quas tamquam formas, *Exemplo* adjungit Cicero Invent. I., 30: *Comparabile est*, inquit, *quod in rebus diverſis ſimilem aliquam rationem continet. Ejus partes ſunt tres: Imago, Collatio, Exemplum. Imago est oratio demonſtrans corporum aut naturarum ſimilitudinem. Collatio est oratio rem cum re ex ſimilitudine conferens. Exemplum est, quod rem auctoritate, aut caſu alicujus hominis aut negotii confirmat aut infirmat.* Uberior *Exempli* explicatio est apud Auctorem ad Herennium IV, 49. *Exemplum est alicujus facti aut dicti praeteriti cum certi auctoris nomine propoſitio. — Rem ornatiorem facit, cum nullius rei, niſi dignitatis, cauſa ſumitur: apertiorem, cum id quod ſit obſcurius, magis dilucidum reddit, probabiliorem, cum magis veriſimilem facit: ante oculos ponit cum exprimit omnia perſpicue, ut res prope dicam manu tractari poſſit.*

§. 7.

De Hypotheſi.

Hypotheſis est Enunciatio, quae tamquam certa ponitur, ut intelligatur, utrum, quae ex ea

Digitized by Google

consequuntur, secum ipsa et cum aliis rebus consentiant. (conf. I, 2, 19.) Jam, quo major est consensus earum rerum, quae inde consequuntur, eo majorem firmitatem habet *Hypothesis*: et est ejus quasi exploratrix Inductio, Fac. interfectum esse Cajum, et caedis auctorem ignorari. Suspicio nobis oritur de Lucio: quippe interfuit ejus, Cajum mori: praeterea, oderat eum. Nondum satis est. Ecce! Lucius abest ab urbe. Ne hoc quidem satis est argumenti; nam potest alia de causa ex urbe exiisse. Alia ratio accedit: quo tempore Cajus interficiebatur, domi suae Lucius non fuit. Est quoque homo ad omnem audaciam projectus. Vel sic tamen vana potest esse suspicio nostra. At domi ejus invenitur gladius cruentus: et Caji vulnera manifesto sunt ab ictu gladii. Denique constat, eum incitato cursu domum venisse, et confestim evasisse. Itaque vis Conjecturae sensim augetur, quo plura nobis facta innotescunt, quae cum ea concilientur. Neque tamen unquam tanta ejus rei efficietur evidentia, quanta esset, si nostris ipsi oculis caedem a Lucio peragi vidissemus: in primis, quum intra breve tempus hanc informemus Conjecturam, neque exspectemus, donec omnem Lucii vitam, cum anteactam tum sequentem exploraverimus, ut intelligamus, nullum ejus partem isti Conjecturae manifesto repugnare. Veluti, vicissitudinem noctium, dierum, tempestatum, ex alterutra causa ducere licet: vel ex ratione Ptolemaica, qua Sol circum Terram moveatur: vel ex ratione

Copernicana, qua Terra circum Solem movetur. Cumque posteriore hac ratione omnes vicissitudines, quae sunt et fuerunt in Terrae et reliquarum stellarum errantium meatibus, intelligantur, ita ut ab ea recedere atque exceptionem admittere, aliamque causam adducere, numquam cogamur; efficitur, eam non tantum infinitis partibus altera esse verisimiliorem, sed proxime ad Mathematicam evidentiam accedere. Atque hinc apparet, multum differre ad *Hypotheseos* firmitatem, utrum res, de qua quaeritur, sit universalis an singularis, substantia an attributum, praesens an absens, diuturna et constans an mutabilis et brevi transiens. Et cum tam varium et multiplex sit hoc genus, ut usu potius quam praeceptis addisci debeat: ejus tractatione paucis brevibusque defungamur cautionibus, quibus judicium nostrum regatur.

I. *Maximus, quoad ejus fieri potest, sit numerus rerum singularium, ex quibus conjecturam ducimus.*

II. *Sint eaedem variae, cum attributis et mutationibus, tum tempore et loco.*

III. *Sit earumdem consensus maximus, et secum invicem, et cum re, de qua quaeritur.*

IV. *Rei ipsius natura exploretur, ut appareat, si forte congruat repugnetve rebus iis, ex quibus de illa conjecturam facimus.*

V. *Nulla sit rerum singularium, ex quibus conjecturam ducimus, quin ei rei, de qua quaeritur, aut tribui possit, aut proficisci ab ea,*

tamquam causa, potuerit: neque opus sit ad aliam confugere causam.

VI. *Res, de qua quaeritur, ejusmodi sit, ut praeter eam alia nulla sit, ex qua res singulares, quibus conjectura nostra nititur, intelligantur ac proficiscantur: neque alia aeque verisimilis Hypothesis effingi possit.*

§. 8.

De ratione aestimandae Probabilitatis, universe.

Sed cum omnis *Conjectura* ducatur vel ex Inductione vel ex Syllogismo (vid. §. 1. hujus capitis); cumque Syllogismi Propositio Assumtiove aestimentur Inductione (vid. §. 2.); intelligitur, totum illud, quod Morali Evidentia continetur ad Inductionem redire, eâque, tamquam fundamento, niti. Atque ipsa Inductio conficitur, vel solo rerum singularium numero, vel cognitione rei, de qua quaeritur, vel utraque ratione (vid. §. 5, 7.) Fac, ex iis qui variolis laborent, decimum quemque mori. Cajum vero eo nunc morbo laborare: Conjecturae quae speramus eum convaliturum, ad Conjecturam, qua ejus vitae metuimus, ratio erit ut novem ad unum. Fac vero, nos nescire quotusquisque convalescat ex eo morbo, sed solum spectare Cajus, ejusque habitum, et morbi indolem: porro deprehendi signa in Cajo varia, cum quae spem faciant, tum quae metum injiciant; habebit Conjectura salutis ad Conjecturam mor-

Digitized by Google

mortis eandem rationem; atque bona signa ad mala. Nam, ut Cajus convalescat, efficitur causis quae si adsint omnes et certis cognoscantur signis, certum quoque est, eum convaliturum, (vid. I, 1, 5.) Et quum ea sit ingenii humani conditio, ut in his rebus causas omnes perspectas habere nequeamus, comparanda sunt earum signa praesentia cum absentibus, bona cum malis, ex iisque summa probabilitatis subducenda est. Igitur firmius erit de probabilitate judicium, si utroque genere simul utamur, Conjecturamque ducamus cum ex numero mortuorum, tum ex natura statuque Caji, signis causarum.

Ceterum, ne quis exemplo, quod secundo loco proposuimus, eo inducatur, ut credat, Conjecturam ita duci posse ex natura et statu rei, de qua quaeritur, ut nulla omnino ratio numeri habeatur; monendum est, in illo quoque exemplo spectatum esse numerum, non quidem mortuorum, sed signorum et causarum; neque Conjecturam fieri posse, nisi quaedam numeri habeatur ratio. Et primum, ipsa Inductio, quae unice rerum singularium numero conficitur, si quidem omnes inter se conveniant, proxime ad Mathematicam accedit Evidentiam. Nam, ut hoc utamur, quia omnes, quod sciamus, homines duos habent et habuerunt oculos; certo firmiterque statuimus, nullum esse, fuisse, fore, qui unum, clypei instar, oculum in media fronte habeat, qualis fingitur fuisse Polyphemus: etiamsi causam ipsam, quarum duobus

Digitized by Google

oculis praediti sint homines, non habeamus perspectam. Igitur hanc facimus universalem enunciationem. *Omnes homines duos oculos habere.* Aut si, v. c., olla calculis referta, operta quidem sit, verumtamen ita moveatur, ut calculi subinde excidant, iique omnes fuerint albi; Conjecturam facimus, in ea calculos non nisi albos inesse. Atque illa Conjectura ita firmior erit, ut major fuerit numerus calculorum, qui exciderint: et *eousque* tandem augetur, ut nil differat a firmitate judicii illius, quo duos oculos adjungimus singulis et universis hominibus: neque amplius dubium aut verisimile, sed jam certum, sit, album porro futurum quemque, qui exiturus sit, calculum. Quod si vero quatuor duntaxat exciderint, quorum tres albi sint, unus ater, Conjecturam facimus, quamquam levem illam, alborum ad atros rationem esse ut trium ad unum: firmior eadem erit Conjectura, si exciderint sex albi et atri duo: firmior etiam, si albi novem et atri tres: et deinceps eadem ratione. Atque eadem ratio in rebus valet futuris; ut, atrum albumve exiturum esse, hanc rationem habeat, quae interest inter unum et tria.

§. 9.

De ratione aestimandae Probabilitatis, peculiariter.

Quae hujusque de *Conjectura* diximus, eo pertinuerunt, ut ejus vis universe intelligeretur. Nunc ni-

Digitized by Google

peculiarius dicendum, quomodo quibusque rationibus ſingulari etiam in facto Probabilitatis gradus ac veluti pretium aeſtimetur (1).

Primum igitur Conjectura ſit in eo genere, in quo ſit anceps eventus, et res praeter exſpectationem cadere queat: veluti, ſi et atri exierint calculi: non, ſi unice albi, iique magno numero, exierint: hoc enim jam non Conjecturae, ſed exploratae fere cognitionis est. Deinde, quum Conjectura aliunde fieri nequeat, niſi et ratione quae inter atros et albos intercedit; cumque ejus pretium ita ſit aeſtimandum, ut definiatur quot gradibus a Veritate abſit Probabilitas; apparet, Conjecturae hujus, *album exiturum eſſe.* Probabilitatem ad Veritatem ita ſe habere, et in olla ſe habet numerus alborum ad totam calculorum ſummam. Atque hoc est fundamentum et Propoſitio Syllogismi, quo continentur ejusmodi omnes Conjecturae. Syllogismi vero haec est formula:

Probabilitas ad Veritatem est, ut numerus alborum ad totam ſummam calculorum:

Sed numerus alborum ad totam ſummam calculorum ſe habet, ut novem ad duodecim;

Igitur Conjecturae Probabilitas ad ejus Veritatem est, ut novem ad duodecim.

§. 10

(1) Conf. s' Graveſand. Introduct. ad Philoſoph. L. II. C. XVII; XVIII, XIX et Mendelſohn Abhandl. uebet die Wahrſcheinlichkeit, philoſophiſche Schriften. T. II.

Digitized by Google

§. 10.

De ratione aeſtimandae Probabilitatis in variis ejus generibus

Ex hujus Syllogismi varietate gradus et pretia exiſtunt, quibus aeſtimatur Probabilitas. Nam, ſi Aſſumtio ſit certa, et numeri omnes ejusdem potestatis, *Probabilitas* est *Simplex:* veluti, ſi treceni ſint albi, et centum atri calculi, cumque albi et atri aeque facile exeant. *Compoſita* vero *Probabilitas* tres habet formas: nam vel Aſſumtio est incerta, vel numeri non ſunt ejusdem potestatis, vel utrumque. Sed praeſtat earum vim exemplis ostendere.

Probabilitas Simplex est v. c. in calculis, qui omnes aeque facile exeunt, de quibus etiam conſtat, quot in olla ſunt albi, quot atri.

Probabilitatis Compoſitae Prima est *forma*, cujus Syllogismus incertam habet Aſſumtionem. Veluti, ſi numerus calculorum alborum atrorumque, qui ſunt in olla, ignotus ſit. Tunc vero proportio eorum colligenda est ex numero eorum, qui jam exierunt: qui quo major fuerit, eo major erit Probabilitas. (vid. §. 8.)

Probabilitatis Compoſitae Secunda est *Forma*, cujus Syllogismus certam quidem habet Aſſumtionem, ſed numeri non ſunt ejusdem potestatis. Veluti, ſi conſtet, trecenos esſe albos, centum atros: at ſint varia magnitudine, ut alius alio calculus facilius exeat. Alio utamur exemplo.

Qui

Digitized by Google

Quaerat quis, quanta ſit Probabilitas, ut, v. c., duabus teſſeris *duodecim* jaciat. Quum jactus fieri poſſint undecim; videtur cognita eſſe tota numerorum ſumma. At vero numeri non ſunt ejusdem potestatis, et habet alius alio magis minusve facilem jactum. Itaque ipſorum potestas numerorum aeſtimanda est. Quod quidem hac in re parvo negotio conficitur. Nam duabus teſſeris jactus fiunt triginta ſex: quorum ſenis cadunt *ſeptem*, quinis *octo* et *ſex*, quaternis *quinque* et *novem*, ternis *quatuor* et *decem*, binis *trio* et *undecim*, uno *duo*, uno *duodecim*. Ex his jactus *duodecim* unum habet numerum: atque adeo unam ex triginta ſex partibus Veritatis.

Probabilitatis Compoſitae Tertia est *Forma*, ea quae et Syllogismi incertam habet Aſſumtionem, et numeros variae potestatis. Veluti, cum de Caji, qui variolis laborat, ſalute Conjectura facienda est. Primum, numerus eorum, qui obierunt quique convaluerunt ex eo morbo, ignoratur; nec niſi per Inductionem, vel firmiorem vel infirmiorem, tamen imperfectam, colligitur. Sed fac, decimum quemque obire; Probabilitas, *eum convaliturum*, ad Veritatem ſe habebit, ut novem ad decem; ſi quidem omnes aeque facile morian-tur convalescantve ex eo morbo. At vero ſecus est in re atque natura. Multa enim ſunt, quae varietatem adferant: aetas, firmitas corporis, vita anteacta, tempestas, genus variolarum, peritia medici, alia. Quae quidem ſingula eodem Inductio-

Digitized by Google

nis genere aestimanda, suisque numeris inter se comparanda sunt; ut totius Conjecturae summa conficiatur. Ex eodem genere est Cautio, qua pretium alicujus rei praestatur, v. c. navigii et mercis ejus, quae vulgo vocatur *Assecuratio.* Ponamus, praestari navem, quae Alexandriam proficiscatur. Spectanda est tota summa navium, quae vel feliciter vel secus Alexandriam navigarunt. At eam summam assequi non possumus: quomodo enim naves noscamus omnes, quae et susceperunt hanc navigationem, et antea susceperunt: ut neque summam noscimus omnium, qui variolis laborarunt. Sed satis nobis esse debet, ex praeteritorum numero rationem colligere. Itaque, si ex quatuor navibus una perierit, Conjectura de futuris eodem se modo habebit, et prosperae navigationis Probabilitas ad Veritatem erit ut quatuor ad unum, et pretium cautionis aestimabetur quarta parte pretii mercis ac navigii. Sed firmior fit Probabilitas si ex duodenis tres perierint, firmior etiam, si ex quadragenis decem: et ita deinceps ad majorem firmitatem augetur pretium et Probabilitas. Enimvero, hoc non impediente, vaga et temeraria est Conjectura, nisi aestimentur singulae causae, quibus prospera continetur navigatio, et ad singulare factum, de quo agitur, adhibeantur: bonitas navigii, peritia gubernatoris, nautarum robur et numerus, tempestas anni, opportunitas difficultasque locorum qui praetervehundi sunt, belli pacisve status, piratae, syrtes, nu-

Digitized by Google

scopuli. Igitur peculiarius de unaquaque causa numerus ineundus est, quot navigia tali tempestate, quot tali gubernatore, quot omnino ceteris in rebus similia ei navigio, de quo agitur, vel perierint vel prospere secusve Alexandriam pervenerint: tum singularum rerum summae et rationes inter se conferendae, ut de rei praesentis Probabilitate pretioque accuratius statuatur. Ceterum, Tertia haec Probabilitatis Compositae forma cum latissima patet in vita humana, tum adeo multiplex et varia est, ut nisi ad praecepta diligens accesserit usus, satis probabiliter aestimari nequeat.

CAP. X.

DE COMMUNICANDA CUM ALIIS VERITATE, PER DISPUTANDI ET DOCENDI OFFICIUM.

§. 1.

De Disputando.

Argumentationis genus est duplex: necessarium, et probabile. Illius opifex et disceptatrix est Demonstratio, hujus *Disputatio:* (vid. I, 1, 7.) Cumque Demonstrationis quaedam sit *mixta* forma, quae ipsa quoque ad argumentationem probabilem pertinet; efficitur, totum *Dispositionis* officium contineri diligentia, quâ ea, quae hucusque exposita sunt de dividendo, definiendo, argumentando, recte ad usum convertantur, ad eaque sedulo quaestio quaeque proposita exigatur.

Est autem *Disputatio*, ut nomen ipsum significat,

cat, *ejusmodi ratio et oratio, qua quaestionis positae veritas falsitasve expenditur, ponderatis in utramque partem causis.* Et quandoquidem hoc in officio tota consumitur Dialectica, et omnia, cum quae diximus, tum quae dicemus, eo referantur; non erat, quod peculiarius hoc loco de Disputatione ageremus; nisi ejus quasi generis una forma celebrata esset ea, quae a duobus in utramque partem Disputantibus peragitur.

Ac primum, *res ipsae, de quibus disputatur, debent ejusmodi esse, ut in Disputationem cadere queant, id est, ut ab utraque parte rationes adferri possint.* Proinde, res evidentes, axiomata, et quae sensu communi et indemonstrabili nituntur, numquam sunt in Disputationem vocandae.

Deinde, *ipsa res, de quae disputatur, perspicue declarari debet.* Cumque omne Verum enunciatione contineatur, tam subjecti quam praedicati notio definienda est; ut constet, quid sit illud, de quo disputatur: seu, ut vulgo loquuntur, status quaestionis recte determinandus est. Quod praeceptum, post Platonem (1), ita enunciat Cicero, in Orat. Cap. 33: *In omnibus, quae ratione docentur et via, primum constituendum est quid quidque sit. Nisi enim inter eos, qui disceptent, convenit, quid sit illud, de quo ambigitur, nec recte disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest: explicanda est saepe verbis mens nostra de*

(1) Phaedro p. 340. H. conf. Cic. Fin. II, 2.

Digitized by Google

de quaque re, atque involuta rei notitia definitione aperienda est: si quidem definitio est oratio, quae, quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime. Tum, explicato genere cujusque rei, videndum est, quae sint ejus generis sive formae sive partes, ut in eas tribuatur omnis oratio.

Tali modo constituta quaestione, ad ipsam Disputationem accedendum est. Quae ut recte procedat, quaedam observandae sunt leges, cum ab eo, qui defendat quaestionem, tum ab eo, qui eam oppugnat.

Primae partes sunt oppugnantis: qui illud agere debet, ut ostendat, falsam esse quaestionem, contra quam disputat. Qua quidem in re primum spectare debet, quonam in genere veri posita sit res, de qua disputatur: eamque eo ipso vel firmiore genere oppugnet, non infirmiore. Sive res ex sensuum fide sit, vel testimonio, vel conjectura, quamque suis rationibus convellat: vel si ex genere veri *mixto* sit, ex necessario et probabili, tum ipsi accommodata argumentatione quaestionem aggrediatur. Atque hoc duobus modis fieri potest, vel Analytica demonstratione, ut appareat, ex quaestione falsi quid effici: vel a contrario, ut contrarium ejus quaestionis verum esse evincatur.

Tum vero defendens, proposito unoquoque Syllogismo, videre debet, utrum vel in forma vel in materia Syllogismi aliquid vitii insit. In forma erit vitium si a legibus Syllogismorum, quas supra exposuimus, aberratum fuerit. Si forma legitima fue-

Digitized by Google

fuerit, videndum, an aliquid in materia reprehendendum sit. Quod sit, cum ostenditur, praemissas non esse veras, aut non universales, aut esse Definitionem vitiosam in praemissis: aut denique, si ostenditur, ex alterutra praemissarum falsi quid manare.

Si horum vitiorum nullum manifesto reprehendi potest, tamen alterutra ex praemissis ejusmodi erit, ut de ejus veritate dubitari possit: ejusque probatio exigenda est ab adversario: eaque probatio ad easdem iterum leges examinanda, donec tali modo progrediendo ad finem perveniamus, nec adversarius praeterea quid contra nos movere possit.

Denique, ne oratio temere vagetur, aut a proposita quaestione ad alienas res traducatur, hoc defendenti datur, ut ab adversario petat, ut omnem Disputationem suam ad formam Syllogismorum, et quidem primae figurae, adstringat. Quae cautio hanc habet utilitatem, ut omnes a Disputatione excludantur captiones atque fallaciae.

Ceterum, notandum est, Syllogisticam rationem tantummodo valere in rebus philosophicis, iisque, quae ad eandem methodum revocari possunt. Nemo enim facile est, quin videat, Disputationes de rebus Historicis, Criticis, Grammaticis, in severam demonstrandi necessitatem redigi non posse.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2.

De Docendo.

Neque vero unicum hoc est munus Disputationis, ut quaestionem a reprehensionibus vindicet, adversariosque repellat. Sed maxima ejus praestantia in eo posita est, ut adversarium de veritate convincat, eique scientiam ejus tradat: quod dicitur *Docere.*

Hic aliae sunt partes *Docentis*, aliae *Discentis.* Ac Discens adferre debet ingenium docile, nec praejudicatis opinionibus aut superstitione praepeditum, animum vero veritatis cupidum, attentum, et ab affectibus liberum. Quas dotes si non ipse attulerit Discens, Docens operam dabit, ut eas in mente Discentis excitet; idque si non ex omni parte perfecte efficere potuerit, accommodabit se ad ejus imbecillitatem et opiniones. In quo negotio multum valebit, si Docens Discentis ingenium, animum, mores, vitae rationem, totum ejus statum, accurate exploret, deinde ipse se cogitando in illius statum transponat, ejusque personam assumat (1), et videat, quibus rationibus maxime ad hanc sententiam, de qua agitur, traduci posset, si talis homo ipse esset. Quae accommodatio ad personam Discentis dicitur *συγκατάβασις*: a recentioribus Logicis *Condescendentia*, Argumenta;

(1) Vid. Cicero de Oratore II, 24.

Digitized by Google

tatio ad hominem, Disputatio *κατ' ἄνθρωπον*. His effectis, conſtituenda ſunt ſimplicia evidentiaque principia, de quibus Discens nullo modo dubitare poſſit: ex iisque legitima ratione probatio ducenda est, donec ad finem, id est, ad ipſam quaestionem demonſtrandam, perveniatur. Docens, praeterea, clare et perſpicue doceat. Quod fit, cum verborum uſum perfecte callet; ita ut totam veritatis vim ac perſuaſionem aptis verbis in Discentis animum veluti transfundat.

PARS IV.

DE MODO, QUO MENS AD COGNITIONIS PRAESTANTIAM PERDUCENDA EST.

Cap. I.

DE INGENIO ACUENDO.

§. 1.

Diviſio totius Loci.

Quae hactenus de Methodo dicta ſunt, ea generatim pertinebant ad verum inveniendum, dijudicandum, et cum aliis communicandum. Quum vero Methodi vis latius pateat, et omnino ea unica veriſimaque dux ad perfectam rerum ſcientiam ſit, nunc ab ea parte propius cognoscenda est, qua ad cognitionis praestantiam ducit. Quae quidem pars duobus omnino capitibus continetur, quorum altero

Digitized by Google

tero *Ingenii acuendi* praecepta traduntur, altero fontes *Doctrinae* aperiuntur.

§. 2.

De ratione acuendi Ingenii generatim (1).

Ad omnia quidem Doctrinarum artiumque studia Ingenium docile adferendum est: quamquam, quod natura negavit, compensandum erit diligentiâ. Est enim nulla fere Mentis facultas, quin usu exercitioque acui augerique possit.

Jam vero negari nequit, omnem cogitationem Menti aliquid adferre exercitii. Neque tamen propterea omnes, qui cogitant, ingenio valent. Quare operae pretium est videre, quaenam sit vera exercitationis vis et ratio, et quomodo instituenda sit, ut per eam Mentis facultates provehantur. Est autem ea Mentis nostrae natura, ut facilius ideas, quas prius habuit, cogitet, quam novas effingat: et, quo saepius aliquam ideam habuit, aut quo vehementius per eam impulsa est, eo facilius iterum eam instauret: deinde, ut ex pluribus ideis, aliquando simul perceptis, unâ redeunte reliquae etiam plerumque recurrant: denique, ut, si ab altera idea ad alteram progreditur, prius in conjunctam similemque, quam in disjunctam ac dissimilem, incidat.

De his legibus latius disputatur in Psychologia ubi

(1) Ingenium h. l. vocamus, naturalem quandam habilitatem universae facultatis cognoscendi.

ubi *Leges memoriae*, et vulgo *Associatio idearum*, vocantur. Sed hinc intelligisque, Ingenii excolendi principia fundamentaque posita esse in idearum repraesentatione, instauratione, et assimilatione: quarum ex usu nascitur consuetudo, cujus tanta est vis, ut nonnunquam ipsam naturam superare videatur. Nunc videamus, quomodo ex his principiis leges ducamus peculiares, quas in excolendis singulis facultatibus Mentis sequamur.

Omnis accurata cognitio ab attentione et consideratione proficiscitur, quibus Mentis acies ab aliis rebus abducitur, contrahitur, et ad unicam rem spectandam intenditur. Itaque jam triplex attentionis impedimentum apparet. Nam, aut nimis delectatur Mens aliis rebus, iisque ita adhaerescit, ut ad alias res traduci nequeat; aut in iis rebus, quae spectandae sunt, est aliquid, quod Mens refugiat et aversetur: aut denique Mentis acies, dum ab una re ad alteram transfertur, hebescit et in diversas cogitationes diducitur, ita ut ejus vires in unam rem contrahi congregarique nequeant.

Deinde, et animus ab affectibus liber esse, et corpus aliena sensatione vacare debet; ita ut a neutra parte quid adsit, quod cogitationis tranquillitatem serenitatemque turbare queat.

Denique, res, in quas attentio intenditur, sunt vel corporeae, quarum consideratio facilis est, si Sensus valeant, et impedimenta illa, de quibus in capite de Sensibus dictum est, rejecta sint: vel sunt tales, quae sola interiore Mentis actione com-

per-

prehendi possint, veluti res divinae, abstractae, et Mentis ad se ipsam attentio, quae multiplices habent difficultates: quod egregie docet Cic. Tusc. I, 20: *Idem nobis accidit diligenter de animo cogitantibus, quod iis saepe usu venit, qui, cum acriter oculis deficientem solem intuantur, ad spectum omnino amittant. Sic mentis oculis se ipsam intuens nonnumquam hebescit, ob eamque causam contemplando diligentiam amittimus.*

§. 3.

De Attentione confirmanda.

Tria in primis sunt, quae Attentionem turbent, *sensus*, *imaginatio*, et *affectus*. Neque tamen ullum eorum per suam naturam ei ita est contrarium, ut non ad ejus societatem et insignem utilitatem conciliari possit.

Sensuum visa, quum eorum minima pars a voluntate nostra pendeat, plerumque alienas cogitationes in Mentem inferunt: sed possunt tamen eo adduci, ut ipsam Attentionem mirifice adjuvent, praesertim si ad earum rerum considerationem adhibeantur, quae proprie Sensibus percipi non possunt. Nam, cum res simplices et ab omni corporea concretione prorsus remotas contemplamur, saepissime fit, ut Animus aciem amittat, propterea quod hae res neque totae unico veluti obtutu comprehendi, neque etiam earum partes cogitando secerni possint; hinc cogitatio paulatim deficit, et res ipsa ex Mente evanescit. Hic multum valebit,

bit, si singulas partes, quas paulatim in re observavimus, signo aliquo, sive verbo, notemus, et tali quidem, quod rem significatam perfecte significet, ejusque plenam ideam in Mente excitet. Tali ratione discretis ac significatis singulis partibus, primum unam distincte cogitemus, deinde duas, post tres, denique totam rem simul, idque, quantum fieri potest, distincte. Haec ratio Mathematicas disciplinas continet, ac reliquis maxima adfert adjumenta.

Sensuum officio simile est *Imaginationis* munus. Quae, quippe res absentes repraesentans, tum demum proderit, si non alienas, sed eas res quas volumus, Menti adferat, earumque imagines omnibus suis veluti lineis descriptas et perfecte expressas coram sistat. Igitur mens, sive in corporearum, sive intelligibilium rerum consideratione versetur, his signis et imaginibus validius percussa, se ipsa ad eas vehementer adjungit, adfixa tenetur, omnemque suam cogitationem in eas intendit. Hanc rationem, memoriae proditum est, apud nonnullos homines tam admirabiles edidisse effectus, ut aut naturam humanam superare, aut falso monumentis inserta, videantur, nisi sua historiae constaret fides.

Affectuum in utramque partem magna est vis. Alii enim sunt turbidi atque vehementes, quae Mentem nec consistere sinunt, et omni distinctae cogitationi aditum praecludunt: alii sunt placidi, permanentes, qui Mentem ad cogitationem incitat nec lan-

languescere sinunt, sed veluti stimulos ei adhibent; qui quidem vel ipsius veri suavitate, vel aliarum rerum illecebris, ad cognitionem ducunt. Illi continentur amore scientiae, omnibus quidem illo hominibus a natura indito, sed aliis magis et vehementius, aliis minus et remissius; cujus ea est vis, ut nil aliud spectemus nisi ipsam veritatem, ejusque cognitio nobis ipsa laboris sit merces. Hi sunt ejusmodi, ut eas res impense cupiamus, quas sine rerum cognitione assequi non possumus: in quo genere ut rerum magna est varietas, ita *Affectuum* variae sunt formae. Praecipui sunt, *ambitio*, *aemulatio*, *fortunae honorisque cupido*: qui, ut per se honesti sunt, et optimum quemque alliciunt, ita tamen nec omnes homines movere possunt, et qui ab iis moventur, magna cautione opus habent, ne ad aliud quidvis potius deducantur quam ad rerum cognitionem. Sed Affectuum moderatio ad Ethicam pertinet, ubi subtilius ostenditur, *amorem veritatis* cum ab ipsa natura esse insitum hominibus, tum fontem cognitionis uberrimum atque limpidissimum.

§. 4.

De augenda Intelligentia.

Attentio, cum tali modo in dividendis rebus progreditur, donec ad minimas partes pervenerit, parit *Intelligentiam*, verissimam effectricem idearum perfectarum et absolutarum.

In ea valet Methodus utraque, et praecipue quidem Analytica, ut leges dividendi, quae supra traditae sunt, accurate observentur: ne disjuncta inferiora cum superioribus, aut classes divisionem, confundamus, nec ad novam divisionem ante progrediamur quam praecedens recte perspecta sit.

Sed ad eruendam et veluti ex morte excitandam *Intelligentiam* majoris fuerit utilitatis primum Synthetica Methodo uti. Cum enim tali modo ab unica et simplici idea initium capimus, deinde aliam addimus, postea iterum aliam, ita Intellectus nec obruitur, sed paulatim ad plures ideas simul considerandas adducitur.

Recte igitur statuerunt summi Philosophi, *Intelligentiae* optimas esse magistras disciplinas Mathematicas, et si quae ad earum formam comparatae sunt. Nam a simplicissimis ideis proficiscentes ad alias progrediuntur, quae omnes, tanquam unius catenae annuli, inter se aptae connexaeque sunt. Et cum antecedens idea pars sit consequentis, hujus cognitionem jam ex majore parte praecipimus; unde fit, ut ad ulteriora non novi et recentes accedamus, sed eorum cognitionem ipsi quodam modo adferamus. Deinde, Mathematicae disciplinae in iis versantur rebus, quae ipsae quidem unice Mentis contemplationi subjectae sunt, sed quarum tamen signa oculis percipiuntur. Itaque *Intelligentia*, Sensibus et Imaginatione adjuta, paulatim in iis efficit necessariam idearum connexionem perspicere, et, quae propria ejus est vis, tandem reflexis sen-

Digitized by Google

sensibilibus in solis intelligibilibus versari. Sed tamen cavendum est, ne nos nimium ad eas adstringamus. Hoc enim qui faciunt, paulatim ita severi fiunt, ut vix aliis rebus aut delectentur aut aliquid magnopere veri inesse credant, quam iis quae Mathematica necessitate demonstrari possunt. Itaque Mens ex hoc quasi rigore ad alias etiam disciplinas, quae via et ratione tractantur, remittenda est, et in iis exercenda rebus, quae experientia et probabilitate continentur.

Ceterum, et supra (I, 2, 1,) vidimus, et uberius in *Ontologia* docetur, omnium omnino rerum et idearum connexionem esse vel *simultaneam*, et secundum *Spatium*, quo pertinent etiam genera et formae, vel *successivam*, id est, secundum *Tempus*, quo referendae sunt causae et effectiones. Unde clarum est, *Rationem*, quae est facultas rerum connexionem in causis et effectibus perspiciendi, et *Ingenium*, quod constat facultate rerum connexionem per similitudines et relationes videndi atque comparandi, ex iisque novas ideas, easque cum veritate consentientes, effingendi: has igitur *Intelligentiae* esse geminas, et ad eandem rationem excolendas.

§. 5.

De augenda Memoria.

Maximi cujuscunque Ingenii studiique nullus esset usus, si res, uti perceptae sunt, ita continuo ex Mente, tamquam vase perforato, effluerent. Itaque

que nobis data est cognitionis veluti custos *Memoria:* cujus praestantia triplici dote spectatur: *facilitate*, qua ideas celeriter arripit et reddit: *fide*, seu, diuturnitate retinendi: denique copia rerum quas continet, seu *capacitate*.

Alia ratione duplex est species *Memoriae*, *Rerum*, et *Verborum*. Quae et ipsae duplicem habent speciem. Nam *Res* aut sensibus percipiuntur, et sua nomina habent: aut sunt intelligibiles, a sensibus remotae, neque imagine facile significari possunt. *Verba* sunt vel cum rebus conjuncta; vel inanes soni, quorum in quibusdam insignis fuisse memoria dicitur, quam nos quidem iis relinquamus.

Sed cum omnes Mentis facultates suo quaeque modo a corporis affectionibus pendeant, iisque veluti obnoxiae sint, tum maxime hoc licet in *Memoria* cernere. Ea enim plerumque et bono corporis statu viget, et adverso ac senectute debilitatur. Huc accedit, ut, quo vehementius ab aliqua re afficiamur, eam eo firmius diutiusque retineamus: et, quae infantibus nobis obtigerunt, eorum nonnulla tam constanter inhaereant, ut nulla ratione eluantur; unde etiam cerae similitudo ei adjungitur, in qua prima quaeque et altissime impressa vestigia diutissime manent. Hoc certum est, *Memoriam* Sensibus et Imaginatione maxime adjuvari, hinc enim duo maxima ejus adjumenta proficiscuntur, *Signa* et *Ordo*.

Et *Res* quidem *intelligibiles* tum demum firmis-

sime

sime inhaerent, cum earum distinctas habemus notiones, eaeque in sua genera et species accurate divisae sunt; ut, tanquam in magno aedificio, cum infinita vasorum copia et varietas in suos quaeque locos distributa sunt, eorum quodlibet facile invenias. Si vero nobis res objiciatur nova, cui in ordine generum et formarum non sit certus locus, tum ei adfigendum est signum sive verbum, quod facile iterum recurrat: et in id genus eamque collocanda est speciem, cum qua plurimum similitudinis habet.

Res vero *corporeae*, vel ipsae quoque per genera et species distinguantur; vel, si sint *in facto positae*, sive *historicae*, tum vero maxime valet *temporis* ac *spatii* ordo: quorum prior ad *Chronologiam*, alter ad *Geographiam* pertinet.

Verba autem quatuor modis in ordinem redigi possunt: vel secundum ordinem rerum, quibus adjuncta sunt: vel generali divisione, secundum partes orationis, qua Grammatici utuntur: vel secundum Etymologiam, quae si ad perfectionem perduci possit, plurimum adfert luminis, vel ordine literarum, quo Lexica comparata sunt.

Certum nemo nescit, quantum utilitatis *Memoriae* adferant literarum monumenta et *scriptio*. Illud vero disputatur, quaenam ejus ad reminiscendi facilitatem optima sit ratio. Hic varia hominum consilia hujus quaestionis expeditionem difficilem reddunt. Sed tamen, cum in hoc omnes, qui recte sentiunt, conveniant, fieri non posse, ut om-

nes omnino res omniaque et singula verba uno eodemque ordini comprehendantur: cumque nemo facile tam alte spectet, ut totam rerum universarum cognitionem complectatur: denique, cum nemo verborum potius infinita copia mentem obruere, quam distinctis rerum notionibus replere atque instruere velit: haec igitur cum ita sint, facile generales quidem hujus rei leges inveniuntur. Itaque consilia studiaque nostra non per omnes doctrinarum regiones diffundenda, sed potius ad paucas, quas praecipue diligimus, adstringenda sunt. Harum perfectam formam Menti impressam et libro descriptam teneamus, ad eumque librum quidquid novi aut ipsi invenimus, aut apud alios legimus, referamus. Ita illud effecerimus, ut, libro saepius tractando, disciplinam nobis familiarum reddamus, et in ea veluti habitemus; ut, quidquid ejus a *Memoria* petimus, ad nutum Mentis celeriter occurrat. Neque etiam in Platonis festivam reprehensionem incidemus, scriptionem magis impedimentum esse, quam adjumentum, *Memoriae*: et plerumque homines, commentariis suis confisos, mortuae doctrinae vestigia in libris sepulta custodire, non vivam cognitionem Mente tenere (1).

Artem *Memoriae* invenit et conscripsit Simonides, celeberrimus Poëta idemque Philosophus: de quo

(1). Plato Phaedro p. 356. D.

Digitized by Google

quo, cum alia tum praecipue haec, refert Cicero, loco elegantissimo de oratore II, 86. (1): *Simonides fertur artem memoriae protulisse, et invenisse ordinem esse maxime, qui Memoriae lumen adferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos, et ea, quae memoria tenere vellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda; sic fore, ut Ordinem rerum locorum Ordo conservaret: res autem ipsas rerum effigies notaret: atque, ut locis pro cera, simulacris pro literis uteremur. — Quare confiteor equidem, hujus boni naturam esse principem, sicut earum rerum, de quibus ante locutus sum, omnium. Sed haec ars tota discendi, sive artis imago quaedam est et similitudo, habet hanc vim, non ut totum aliquid, cujus in Ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet, verum ut ea, quae sunt orta jam in nobis et procreata educet atque confirmet. Verumtamen, neque tam acri Memoria fere quisquam est, ut non dispositis notarisque rebus, Ordinem verborum aut sententiarum complectatur: neque vero tam hebete, ut nihil hac consuetudine et exercitatione adjuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ita maxime animis affigi nostris, quae essent a sensu traducta atque impressa: acerrimum vero ex nostris*

(1) Cont. Quinctilian. Inst. Or. XI, 2.

vis sensibus esse sensum videndi: quare facillime animo teneri posse, quae perciperentur auribus aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur; ut res caecas et ab aspectus judicio remotas conformatio quaedam et imago figura ita notaret, ut ea, quae cogitando complecti non possemus, intuendo, quasi teneremus. — Imaginibus autem utendum est agentibus, acribus, insignitis, quae occurrere celeriterque percutere animum possint: quam facultatem exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur. — Neque vernm est, quod ab inertibus dicitur, opprimi Memoriam imaginum pondere, et obscurari etiam id, quod per se natura teneri potuisset. Vidi enim ego summos homines et divina prope Memoria, Athenis Charmadam, in Asia Scepsium Metrodorum, quorum uterque tamquam literis in cera, sic ajebat imaginibus in iis locis quos haberet, quae meminisse vellet, perscribere. Quare hac exercitatione non erudita Memoria est, si est nulla naturalis: sed certe, si latet evocanda est.

Quare nos illud teneamus, Ordinem esse primum, ac verissimum Memoriae adjumentum, eumdemque distinctarum idearum effectorem; igitur ad eum esse accommodandas imagines et figuras, quae, etsi ad ideas claras potissimum pertinent, tamen Memoriae altius imprimuntur, et nonnunquam distinctas notiones, seu definitiones, continent. Et talis demum exercitatio non solum res

Mer-

Menti adfigit, sed Intelligentiam quoque acuit. Quae sine Ordine fit exercitatio, ea et servilis est opera, et Ingenii aciem retundit.

Itaque repudiandus est pervulgatus error, quo Memoria tardioribus tribuitur ingeniis, neque facile cum velocitate, perspicacia, atque acumine conjungitur. Nam, si qui tardiores Memoriae tenacitate praediti sunt, ea est *Memoria patiens* (1). Contra ingeniosi, quique eam facultatem ratione et exercitio auxerunt, *Memoria* valent *agente*, sive *Reminiscentia*.

Cap. II.

De

FONTIBUS DOCTRINAE: EXPERIENTIA, LECTIONE, MEDITATIONE.

§. 1.

De Experientia.

Venimus ad triplicem Doctrinae fontem, in cujus prima parte ponenda est *Experientia*, quae continetur cognitione earum rerum, quas ipsi sensibus percepimus. Quamquam non omnes, qui sanis utuntur sensibus, propterea etiam magnopere sapiunt: et latius patet *Experientiae* vis. Etenim sub-

(1) Vid. Aristot. de Memor. I. 13. Tardi valent μνήμη, dicuntur μνημονικοί: ingeniosi ἀναμνήσει, dicunturque ἀναμνηστικοί. Conf. supra II, 1, 7.

Digitized by Google

subjecta ei quidem est rerum sensibus perceptarum cognitio, tanquam materia in qua versetur: sed ex his singularibus ideis ope Considerationis, Deductionis, et Rationis, universales efficere debet ideas, easque duplicis generis, primum *Generum* et *Formarum*, deinde *Causarum* et *Effectuum*.

Ac *Generum* quidem ideae eo sunt perfectiores, quo major est numerus individuorum, ex quibus collectae sunt. *Causarum* vero cognitio eo firmior certiorque est, quo saepius unam rem ex altera effici vidimus. Unde iis, qui diutissime vixerunt, et plurimum rerum copiam variecatemque sensibus perceperunt maxima *Experientia* tribuitur.

Videmus igitur *Experientiam* proficisci ab Inductione, de qua supra egimus, (III, 6, 3. et III, 9, 5.) et ea quidem satis certâ, sed imperfecta tamen. Quare magna observandi diligentia et comparandi sollertia opus est, ut Genera Formasque apte descriptas, et Causarum Effectuumque connexionem recte formatam animo teneamus. Neque enim sufficit, ideas universales habere: sed eaedem etiam distinctae, quantum fieri potest, esse debent. Nam, ita demum nobis tamquam leges constituerimus, ad quas omnia nova inventa exigamus, quasque in rebus agendis sequamur.

Sed de Generum Formarumque collectione satis in antecedentibus dictum est. Quod si enim semel, multorum individuorum consideratione, speciei ideam distinctam, animo conformatum tenemus;

nil

nil aliud relinquitur, nisi ut individuum novum attente consideremus, videamusque ad quod Genus referendum sit. Cujus rei omne momentum in accurata et generis et novi individui cognitione posita est.

Causarum vero indagatio plures habet cautiones. Et primum generatim tenendae sunt formae rationesque Causarum, traditae I, 3, 15—18. Tum peculiariter in facto quoque singulares leges quaedam judicii sunt observandae, quibus observatis appareat, quae sit Causae cum effectu conjunctio; et utrum Effectus vere ad Causam, de qua quaeritur referatur. Quae quidem leges ejusmodi sunt. Primum: ut exploretur, ad illud, quo pro Causa habemus, veri quid sit, id est, tale, quod non cogitatione tantum existat, sed in re ac natura positum sit. Deinde: an vim agendi habeat. Tum: an idem nunc etiam adsit. Postea: utrum id quo minus agat nil obsit: et, sit ne ipsa Causa, an tantummodo cum ea conjunctum. Porro: an plena sit atque unica Causa, ex qua omnia, quae in Effectu apparent, proficisci possint. Denique videndum, an forte alia, vel aeque verisimilis vel verisimilior, Causa excogitari, et in illius locum subjici, queat. Ceterum, quo minus *Experientiae*, propter infinitam rerum varietatem, multae regulae tradi possint, eo magis danda est opera, ut has, de quibus diximus, generales regulas bene perspectas habeamus, et ad res peculiares scienter accommodemus. Sic enim usu

usu exercitioque illud efficiemus, ut regularum exceptiones quoque in quasdam Formas et Genera distribuere, easque magis magisque sensim peculiares efficere, et ad res singulares inveniendas et dijudicandas adhibere queamus. Ita *diuturna observatio*, ut ait Cicero Divin. II, 71, *notandis rebus effecit Artem.* Conf. supra II, 1, 12.

§. 2.

De Lectione.

Sed cum Natura ingenia nostra vitaeque tempus arctioribus circumscripserit finibus, quam et solo experiundo ad aliquam Doctrinae praestantiam perveniri possimus; adsumenda est Experientiae vicaria *Lectio*, quae aliorum inventis nostram cognitionem auget, et omnem studiorum rationem complectitur, qua vel remotissimorum hominum sapientiam, literarum monumentis mandatam, in nostram scientiam conferimus. Neque tamen ejus apud omnes homines vis est eadem. Alios enim quamvis assidua variaque lectione nil magnopere ad veram doctrinam judicandique subtilitatem proficere videmus. Alios vero etiam earum rerum, quae solo usu exercitioque continentur, rationem Lectione adeptos, relatum accepimus. Quale est, quod de Lucullo scribit Cicero, Acad. II, 1. 5, *Incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam. Itaque, cum totum iter et navigationem consumsisset partim in percunctando a peritis, partim in rebus ge-*

gestis legendis, in Asiam factus imperator venit, cum esset Roma profectus rei militaris rudis. Qua magis illud sedulo agendum est, ut re tam praeclara recte utamur. Quod nisi sit, non solum exspectatus fructus non percipitur, sed longi temporis labor, quem melioribus rebus impendere potuisemus, irritus perit. Itaque videamus, an forte aliquam viam designare possimus, quae nos ad hanc veluti metam minimo errandi periculo et brevissimo cursu deducat. Et primum, de ipsis libris dicamus: deinde, de ratione, qua legendi sunt: denique, de legibus, quas in dijudicando interpretandoque sequemur.

§. 3.

Qui libri legendi sint.

Etsi nullus fere liber, qui in re utili versetur, negligendus sit; ii tamen potissimum legendi, qui ad nostrum consilium maxime accommodati sunt. Studiorum vero tale cuique capiendum est consilium, ut se ad illud doctrinarum genus applicet, ad quod suâ naturâ fertur. Neque enim omnes ad omnia apti sumus: et habet suas quisque a natura dotes, quas si cognoscat diligenterque colat, in uno alterove genere excellere possit. Quare omnis doctrinae cardo in eo versatur, ut nos ipsi primum excutiamus, pernoscamusque ad quod artium disciplinarumve genus plurimum sollertiae et opportunitatis habeamus; ne, cum sine judicio in alienum studium incidimus eique adhaerescimus, natu-

Digitized by Google

rale bonum ingenii consopitum pereat. Germanum vero cujusque studium, seu, ut ita dicam, naturae vox, cognoscitur et delectatione, quam ex quibusdam rebus capimus, et facilitate, qua eas comprehendimus. Ubi non est contemnenda eorum ratio, qui praecipiunt, ut a facillimis incipiendo omnia doctrinarum genera leviter degustemus, eique nos addicamus, in quo plurimum & profecerimus et suavitatis perceperimus. Nec perit ille labor, qui in reliquis generibus experiundis consumitur. Nam liberaliter edoctum hominem omnibus literis tinctum esse decet: et, cum in nullo genere omnino sit hospes, in uno aliquo habitare et regnare oportet.

Ita capto consilio, ejus disciplinae, ad quam accedimus, notionem distinctam, sive definitionem et partitionem, teneamus. Deinde librum, in quo ea disciplina accurate, ordine, et brevissime, traditur, perdiscamus: ad eum, tamquam formam, omnia referamus: eique, velut fundamento, reliqua superstruamus.

Mox sensim ad majores veniamus libros, quibus vel tota disciplina, vel ejus partes latius illustrantur. In quo praestabit paucos eosque optimos, quam multos male scriptos, legere. Illi enim ad recte cogitandum viam aperiunt, hi praecludunt: illi notiones mentis involutas evolvunt, hi magis involvunt et obscurant. Et Quintilianus quidem acute praecepit, *non multa, sed multum, legere oportere.* Graviter quoque et eleganter in hanc

rem

Digitized by Google

rem monet Seneca, Ep. II. *Illud autem vide, ne lectio multorum auctorum, et omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum et inſtabile. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nusquam est, qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat iis necesse est, qui nullis ſe ingeniis familiariter applicant, ſed omnia curſim et properanter transmittunt. — Distrahit animum librorum multitudo. Itaque, cum legere non posſis quantum habueris, ſat est habere quantum legas. Sed modo, inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum. Fastidientis ſtomachi est, multa degustare: quae, ubi varia et diverſa, coinquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege: et, ſi quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi.* Adde eundem Ep. XLV.

Neque tamen hoc eo valere debet, ut eos tantum libros legamus et optimos judicemus, qui communi multorum laude et populari fama celebrantur: nulla enim res alia ingeniorum progreſſum magis retardat: ſed alii quoque adeundi ſunt, minus quidem illi cogniti in vulgus, ſed a viris laudatis probati.

Denique et antiquitus fuerunt, et hodieque maxime invaluerunt, Scriptores, qui ſuo ingenio abuterentur ad divinarum humanarumque disciplinarum fundamenta labefactanda, omniaque dubiis vexanda, et diei veluti noctem obducendam. In

Digitized by Google

quorum ſcriptis, ut multa ineſſe facile largimur bona; ita plurima iis mala admixta eſſe, nemo negaverit. Cumque ſuae cauſae ita inſerviant, ut ſe re ſolas rationes ab altera parte tantum expromant: facile incautos in ſuam ſententiam inducunt. Itaque, ad eorum lectionem, non novum et imperitum, ſed judicandi ſubtilitate munitum, et gravioribus disciplinis exercitatum, accedendum est.

§. 4.

De Ratione, qua legendum est.

Qui libris legendis non tempus fallere, ſed ſolidos permanſurosque fructus colligere, ſtudet; is ante omnia Scriptoris conſilium, ingenium, mores, vitiae rationem, exploret: deinde, quoad ejus fieri potest, a praejudicatis opinionibus liber ad lectionem accedat; tum, in ea ita verſetur, ut ad ſequentia non ante progrediatur, quam antecedentia probe intellexerit: porro, lectum quodvis caput, paullum ſubſiſtens, apud ſe examinet et commentetur: denique, cum ad finem pervenit, totum librum uno tenore perlegat; nam ita ea, quae ante obſcura fuerunt, clara fient, et Scriptoris, ut vocant, ſyſtema, ſeu formula et ſcientiae perpetuitas, comprehendetur.

Ceterum, ne iis, quae legimus, temere adſentiamur, cognoscenda ſunt laqueorum artificia, quibus Scriptores nonnunquam incautos lectores irretiunt, imprudentesque in ſuam ſententiam abducunt. Quorum artificiorum tanta est copia et varietas, ut po-

Digitized by Google

potius usu quam praeceptis cognoscenda sint. Praecipua vero ejusmodi sunt: ut, aut falsam suam sententiam, aliqua similitudine aut fallacia, cum certa aliqua et vera sententia connectant, et ita suam disputationem a communibus notionibus et evidentibus initiis ducere videantur: aut, contrariam sententiam jocose festiveque exagitent, salibus obruant, risuique exponant: aut acuta ingeniosaque dicta opportune injiciant, et quasi vibrent in lectores, quorum illi admiratione perculsi, ne per somnium quidem de fallaciis cogitant, sed invicta veritatis vi obrui se putant.

Itaque, detracta inani pompa, nudam veritatem spectemus: et, circumcisa omni verborum ambage, totum librum in brevissimum compendium redigamus; ut rationum connexionem, argumentorumque consecutionem, uno quasi obtutu comprehendamus.

Reliqua vero bona libri, quae quidem digna videntur memoria, excerpamus, et suo quaeque loco per adversariorum libros digesta custodiamus.

§. 3.

De Libris, qui legendi sunt

Librorum omnis varietas ad duplex genus revocatur: quorum alterum in rebus contemplationi subjectis, seu *Dogmaticis*, alterum in rebus facti, seu *Historicis*, versatur. Et in *Historicis* illud primum agendum est; ut universae Historiae et Geographiae brevem, sed accurate in suos locos

Digitized by Google

temporaque distributam, descriptionem mente teneamus. Inde paullatim a generalibus ad peculiaria, ad singularum gentium et hominum res ac facta, veniamus. Totam denique faciem ejus temporis, et statum connexarum nationum exploremus. Cum enim Historiae plurimum adferat luminis ordo Temporis et Loci (III. 1, 4.), hac ratione id adsequemur, quod caput est ejus scientiae, ut ipsos fontes primasque causas commutationem teneamus: perspiciamus etiam, quomodo et a minimis initiis maximi eventus prodierint, et conversionum momenta in occultis fortunae casibus, aut abditis animorum recessibus, latuerint: cognoscamus denique, quibus rationibus, virtutum, ingeniorum, artium, incrementa aut adjuta aut repressa fuerint. Et ejusmodi demum Historiae scientia fructuum ubertate abundat, Philosophiamque maxime corroborat atque illustrat.

Judicium vero de *Libris Historicis* iisdem legibus est subjectum, quibus examen testium, de quo (III, 8.) diximus.

Sed praeterea quaedam hic adjungendae sunt cautiones, quae ad narrandi modum pertinent. Nam merito suspecta sit Historici fides, cum magna tantum facta et admiranda persequitur, minores vero res, tanquam parvi momenti et memoria indignas, silentio praeterit: cum, neglecta simplici accurataque dictione, splendidam ornatamque affectat: cumque saepius in idem argumentum egreditur, et in quosdam vel nimias laudes effundit, vel nimio vitu-

vituperio invehitur. Deinde attendendum est, quae res vere fabulosae sint, et an eas Scriptor ipse credens narret, an aliorum fide acceptas se referre dicat: videndumque, an ita Historiae suas ipse opiniones inseruerit, ut eas legentes a rebus factis discernere nequeant.

In altero scriptionum genere, quo doctrinae traduntur, quodque *Dogmaticum* vocatur, haec observare utile fuerit. Antequam ad legendum accedamus, ipsi primum de hoc argumento cogitemus, videamusque, quomodo illud commodissime describeremus, si nobis ipsis tractandum esset. Habet enim haec praemeditatio insignem admonitionis vim, mentique utilissimam adfert agitationem.

Deinde Definitiones et Divisiones ad suas leges exigamus, totamque auctoris disputationem ad formam simplicem syllogismorum revocemus. Denique ab altera parte rationes suis quasque momentis accurate ponderemus.

§. 6.

De Legibus interpretandi.

Ex iis, quae hactenus dicta sunt, facile intelliguntur *Interpretandi Leges*, ut in iis tradendis eo breviores esse posimus. Nam omnis Scriptor, quam dignum judicamus, qui legatur, censendus est, tamquam homo prudens, tales res scripsisse, quae intelligi possint, et nil absurdi habeant. Itaque, si dubii haeremus aliquo loco, investigandum est, quae vera sit ejus sententia. Cujus investiga-

Digitized by Google

tionis certa ratio his potissimum Legibus continetur.

I. Principio, quod jam in antecedentibus monuimus, Auctoris consilium, vitae rationem, ingenium, consuetudinem, penitus exploremus. Ea cognitio omnis accuratae interpretationis uberrimus fons est.

II. Itaque, cum omnis Scriptor intelligi velit, in universum statuendum est, eum operam dedisse, ut clare scriberet, & suis verbis ubique consuetas subjiceret notiones. Quare, si in obscurum difficilemque locum incidimus, videndum est, primum, quae scriptoris aetate hujus rei dictionisque obscurae fuerit sensus & ratio. Deinde, ad quos homines scripserit; nam probabile est, eum suam orationem ad eorum ingenia accommodasse. Denique, an vel ipse alicujus sectae fuerit, quae verbo, vel rei, de qua agitur, peculiarem adjunxerit sensum: vel, an eo verbo tamen eam sectam tangere aut significare voluerit.

III. Eaedem ex Historia petitae cautiones, ut ad singula verba, sic ad integras Enunciationes examinandas, adhibendae sunt. Sed praeterea in auxilium vocandae Leges Logicae, cum universae, tum praesertim eae de Enunciationibus: accurateque notio Subjecti per notionem Praedicati, et Praedicati notio per notionem Subjecti, determinanda definiendaque est.

IV. Antecedentium et consequentium connexio diligenter perspicienda, & cum utriusque dubia sententia, si quidem commode fieri possit, conciliada est.

IV.

Digitized by Google

V. In primis multum proderit comparasse loca, quae dicuntur *Parallela*, in quibus Auctor vel iisdem verbis usus est, vel eandem sententiam exposuit.

VI. Cumque Scriptor diversis locis sibi repugnare, aut contraria dicere, videtur; accurate attendendum est, an vera sit ea repugnantia. Est autem vera, cum de una eademque re, quae una eademque ratione, uno eodem loco est, simul aliquid adfirmatur et negatur. Quod si igitur vere oppositae sint sententiae, tum vero plerumque ipse Auctor eam tenuisse censendus est, quam ultimo loco posuit. Quamquam, ne hoc quidem ita simpliciter accipiendum est: sed potius ea Auctori tribuenda sententia, quae cum iis, de quibus in antecedentibus diximus, maxime convenit. Quo pertinet ea Lex interpretandi, quae ducitur a convenientia doctrinae, et in Theologia *Analogia fidei*, in Jurisprudentia *Analogia Juris* dicitur.

VII. Si nulla ratione commodus sensus ex aliquo loco per interpretationem erui potest, tum demum pro corrupto est habendus; id est, pro tali, qui vitiose a librariis descriptus sit. Et Ejusmodi locus sanitati restituitur *Emendatione*, quae maxime in Veterum crisi dominatur. Eaque duplicis est generis: nam vel ex libris scriptis sanioribus petitur, vel ingenio doctrinaque expromitur.

§. 7.

De Meditatione.

Sed, praeter Experientiam et Lectionem, tertius

Digitized by Google

tius est doctrinae fons, qui in nobis ipsis novarum rerum cognitionem expromit, contineturque *Meditatione*. Ac si in Experiundo Legendoque recte versati fuerimus, ipsa Meditandi facultas actioque haud difficilis erit. Cum enim res, quas in mentem congesimus, non confusae jacent, sed suis formis et generibus apte descriptae, et ad veritatis normam exactae sunt, tum vero, si quid novi excogitandum erit, hoc non diu quaeretur, sed sponte fere in mentem veniet. Neque tamen propterea artis praecepta negligenda sunt. Nam dici vix potest, quantum momenti adferat ad inveniendum, si excogitando Mens non temere huc et illuc vagetur, sed viam sibi certam describat, quam presse accurateque sequatur. Cujus quidem viae haec in primis sunt praecepta:

I. Cum omne Verum enunciatione contineatur; Meditando nil aliud agimus: nisi ut subjecti alicujus praedicatum, vel praedicati subjectum, *inveniamus*. Unde antea omnia, si Praedicatum quaerimus, Subjecti notio accurate definienda est: et contra, Praedicati notio, si Subjectum quaerimus. Nam, ut ex capite de Enunciationibus notum est. Subjecti Praedicatique ea est ratio, ut alterum cum altero connexum sit, ab eoque vicissim contineatur.

II. Deinde, sive subjectum sive praedicatum nobis sit cognitum, quaerendum, utrum id veri *quid*, an vanum opinionis commentum, sit: utrum in re et natura, an in cogitatione sola, existat: ejusque ideae fons quaerendus: et via, per quam illa in Mentem nostram venit, exploranda est.

III. In-

Digitized by Google

III. Itaque ejus ideae cum veritas (vulgo *realitas*), tum vis et natura, duplici Methodo indaganda est. *Analytica*, qua quousque dividitur, quousque dividendo perveniri potest: ita enim optime perspicitur, an forte in minimis ejus partibus repugnantia subsit, quae in tota universaque idea, veluti partibus suis, obvoluta latuerit. *Synthetica* Methodo dupliciter fit haec indagatio: cum vel has dissolutas partes iterum componimus, et quaerimus, an componendo nova veriorque idea existat: vel ad experientiam attendendo, atque observando ex quibus individuis universalem hanc ideam collegerimus.

IV. Posteaquam unam alteramve perscrutandi viam persecuti fuerimus, desistamus ab hac Meditandi intentione, et alio tempore denuo recentes ad eam accedamus. Hoc eam praecipue habet utilitatem, ut Mens ne in eandem deinceps inducatur viam, neque suas vires consumat, nec vel taedio defatigetur, vel, si quam, tamen imperfectam rei notionem consequatur: sed contra, ut Mens in alias vias incidat, novasque veluti semitas pertinet, et ita tum citius ad verum perveniat, tum notionem nanciscatur eo perfectiorem et pleniorem.

V. Denique videamus, quid in utramque partem dici possit, momentaque accurate ponderemus ac comparemus. Cujus rei optima videtur esse ratio, cum Enunciatio et negans et ajens ponitur, et utraque Analytice et Synthetice examinatur.

VI. In primis vero ea tempora, quibus maxime

ad

Digitized by Google

ad meditandum apti ſumus, obſervemus: aut cum ſponte in alicujus rei attentam conſiderationem deferimur, tum maxime nobis indulgeamus, et ingenii vim intendamus. Cumque, experientia teste, multae praeclarae res non laborioſa meditatione excogitatae fuerint, ſed ſponte, vel quodam tamquam numinis adflatu, vel fortunae caſu, ſe ipſae obtulerint; illud omnino agendum est, ut bonas cogitationes, quae nobis aillud a gentibus accidunt, non praeterfluere ſinamus, ſed manum iis velut injiciamus, easque ſuo loco ſcriptas custodiamus.

CAP. III.
DE ERRORUM FONTIBUS.

§. 1.

Univerſa loci conſtitutio.

Superest, ut ultimo loco de *Errorum fontibus* dicamus, in quorum cognitione et cautione quamquam unice Logicae verſetur officium, nosque hoc ipſum hucusque egerimus, ut tam vias veritatis aperiremus; quam Errorum devitationes monſtraremus; tamen, propter ipſum rei momentum, peculiariter de hoc loco monendum praecipiendumque est. Et errorum quidem tantus est numerus, ut eorum cauſas ſingulatim enumerare infinitum ſit, et ſufficere debeat, eos ad certa genera revocaſſe. Itaque triplicem eorum fontem reperiemus: alii enim ex *cognoscendi negligentia* proficiscuntur: alii ab *animi voluntatisque vitio*: alii ab *externi ſtatus et fortunae conditione*.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2.

Peculiaris explicatio.

I. Atque, ut de primo genere dicamus, non ſolum ille errat, qui rem falſam pro vera, aut veram pro falſa habet: ſed quisquis Verum quidem tenet, ſed ad illud falſa ratiocinatione et via pervenit. Quicunque vero *cognoscendi negligentia* in errorem incidit, is ab iis aberravit legibus, quae hactenus per totam Dialectices tractationem traditae ſunt.

II. *Voluntas* vero etſi a natura ita est comparata, ut verum appetat, falſumque averſetur; tamen non uno modo quaſi in morbum incidit. Hoc in primis a duobus vitiis fit: altero *Pigritiae*, ut per inertiam animique remisſionem in quadam opinione acquiescamus, non quod eam pro certa habeamus, ſed quod probabilior nulla ſe nobis offerat, et Veri penitus excutiendi laborem refugiamus: altero *Superbiae*, cum res vel difficiles vel populares ſolum pro veris habeamus, quod per eas nos maxime ostentare atque jactare poſſimus. Est quoque ea fere communis hominum indoles, ut quisque eas res facillime probet, quibus maxime delectatur. Unde, cum aliis vitiis, nascitur *Pertinaciae* vitium; ut turpe nobis et inhonestum ducamus, a ſententia recedere, quam ſemel amplexi ſumus et defendimus.

III. Nonnunquam corporis vires non apte ſunt ad Veri cognitionem temperatae: cum aut ita incitant Mentem, ut nimio impetu, tanquam telum praeter ſcopum, ſic ipſa praeter veritatem feratur;

aut

Digitized by Google

aut ita remisſae ſunt et torpentes, ut menti languorem et deſidiam adferant. Ex priori genere plurimi oriuntur *Affectus*, qui cognitioni obſint. Nonnullis quoque fortuna, vel vitae ratio neceſſitatem imponit eligendae alicujus ſententiae, aut ſectae; unde fit, ut vel temeritate vel conſuetudine rem minime cognitam probemus et firmiter teneamus. Cum hoc vitio conjunctum est aliud, quod ab *Auctoritate* nomen habet, unum omnium maxime pervulgatum: quo tantum auctoritatis quibusdam tribuimus, ut, etiamſi nullas ſententiae ſuae proferant rationes, tamen in eam concedamus, vel testimonio illorum vel exemplo inducti.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RETURN TO ⟶ **CIRCULATION DEPARTMENT**
202 Main Library

LOAN PERIOD 1 **HOME USE**	2	3
4	5	6

ALL BOOKS MAY BE RECALLED AFTER 7 DAYS

Renewals and Recharges may be made 4 days prior to the due da

Books may be Renewed by calling 642-3405.

DUE AS STAMPED BELOW

AUG 5 1988		
AUTO DISC MAR 0 2 1988		

UNIVERSITY OF CALIFORNIA,
FORM NO. DD6, BERKELEY, CA 94720

Digitized by Google

GENERAL LIBRARY - U.C.
B000531428

Digitized by Google

Digitized by Google